VERBA
VITAE AETERNAE.

Ex quatuor Evangelistis
deprompta atque in argumenta quotidianae
MEDITATIONIS
digesta
a
P. Jacobo Illsung S. J.

Editio nova, emendata et aucta
curante
P. Rudolpho Handmann,
ejusdem Societatis.

ALMA COLLEGE
246.723
LIBRARY
Il6
Alma, California

Tomus I.

Meditationes a Dominica I. Adventus usque ad finem Octavae festi SS. Corporis Christi.

SPIRITUAL FATHER'S LIBRARY,
ALMA COLLEGE LIBRARY
No.
ALMA COLLEGE LIBRARY
St. Ignatius College, Chicago, Ill.

Cum approbatione Ordinariatus Ratisbonensis et permissu Superiorum.

Ratisbonae 1901.
Instit. librar. pridem G. J. Manz.

44438

Imprimatur.

Ratisbonae die 8. Aug. 1900.

Dr. Fr. X. Leitner,
V. G.

Th. Braun.

Facultas R. P. Provincialis Soc. Jesu et approbatio facultatis theologicae.

(Pro I. editione, 1686.)

Ego Jacobus Willi, Societatis Jesu per Superiorem Germaniam Praepositus Provincialis, facta mihi potestate a Patre Nostro Carolo de Noyelle, Societatis Jesu Generali, permitto, ut liber, qui inscribitur: Verba vitae aeternae, ex *quatuor Evangelistis deprompta, atque in argumenta quotidianae meditationis digesta,* a P. Jacobo Illsung, Societatis nostrae Theologo, conscriptus, et a deputatis Patribus census, probatusque in lucem vulgetur: — — Fidem facio manu mea et officii sigillo.

Augustae Vindelicorum 8. Decembr. 1686.

Jacobus Willi.

Liber hic, proponens Verba vitae aeternae, ex *quatuor Evangelistis deprompta,* non solum orthodoxae fidei Regulis integerrime respondet, sed ea quoque omnia, quae promittit auctoris praefatio,

a capite ád calcem adamussim complectitur, ubique tam intellectum doctrinae sublimioris avidum suavissime reficiens, quam voluntatem fortissimis stimulis ad amorem virtutum impellens, — ut magno suo commodo videbit, quisquis gustaverit. Omnium proinde oculis et mentibus observetur utilissimus hic liber, et, dum in lucem publicam prodit, novum etiam splendorem addat Facultati nostrae Theologicae, cui plures annos Auctor adscriptus, voce calamoque totam hanc Universitatem plurimum exornavit.

Ingolstadii 12. Febr. 1687.

Jacobus Wex S. J.,
SS. Theol. doctor et Moralis Professor ordinarius et nunc Facultatis Theologicae Decanus.

Facultas

pro nova editione.

Permitto, ut nova editio meditationum P. J. Illsung S. J. fiat.

Viennae 12. April. 1900.

Antonius Forstner S. J.,
Praepositus Provincialis.

Praefatio Editoris.

Ad quotidianae meditationis usum libri prostant non pauci, iisque plurium in manibus, ex longo jam tempore et cum fructu versantur maximo atque utilissimo. Haud igitur meditationum collectione nova opus esse videri potest. Attamen praesens, quam manibus tenemus, neque nova est, neque utilitate sua carebit.

Laudatissimus auctor est P. Jacobus Illsung, Societatis Jesu theologus, qui inter alia opera etiam haec meditationum edidit volumina duo, primo quidem Ingolstadii anno 1687, typis Thomae Grass, typographi academici, — anno insequenti 1688 Pedeponti prope Ratisbonam sumptibus J. Gastl Bibliopolae ac typis Mariae Apolloniae Hanckim Viduae; inde pluries postea prelo excussa sunt.

Natus est P. Jacobus Hallae prope Oenipontum in Tiroli die 21. Julii a. 1632, et die 22. Aprilis a. 1650 in Societatem admissus. Docuit Hallae Grammaticam et Humaniora, postea per annos novem philosophicas, deinde etiam theologicas disciplinas Ingolstadii et Augustae Vindelicorum; fuit Rector Collegii Landshutensis et Hallensis, necnon Cancellarius Universi-

tatis Dilingensis. Mortuus est Ingolstadii die 11. Septembris a. 1695, anno aetatis 63, Societatis 45.

Jam quod auctoris opus superius citatum attinet, in eo omnium judicio puncta meditationis praeclaro exponuntur modo, ita ut in nostra etiam aetate denuo recudendum non paucis sit visa. Qua quidem nova editione facta, opus jam rarius ad plurium, ut meretur, iterum perveniet manus, eorumque implebitur desiderium, qui pro meditationibus quotidie praeparandis variam cupiunt tractationem. Opus est non solum meditationibus instituendis utilissimum, sed verbi divini praeconibus etiam insignis erit ac uberrimus fons materiarum; secundum auctoris mentem pro Exercitiis quoque tradendis, maximi erit emolumenti.

Qua de ratione opus sane eximium, paucis tantum correctis mutatisve vel adjectis, meditationibus etiam ad dies anni singulos distributis, secundum editionem Pedemontanam proxime citatam typis mandandum curavimus.

Faxit Deus Optimus Maximus, ut haec „Verba vitae aeternae“ vere omnibus sint „fons aquae salientis in vitam aeternam“ et quos hucusque protulerint fructus, denuo proferant magisque in dies augeant!

Lincii, in festo Inventionis S. Crucis,
die 3. Maji 1900.

Editor.

Praefatio auctoris.

Divinae Veritatis ac Sapientiae aeternae testimonio, a S. Matthaeo (c. 4, 4) consignato, *Non in solo pane* (ad corporis sustentationem quotidie a Patris coelestis munificentia filiis praebendo) *vivit homo: sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Suus nempe et animo humano panis est, quo ad beatae vitae immortalitatem nutritur. Ut autem vivificus hic panis obtineatur, post coelestem panem, non ad alium, quam ad Filium, qui est ipsum Verbum Patris, nobis recurrendum esse, ex Principis Apostolorum ore didicimus, qui cum hanc, — deinde a S. Joanne (c. 6, 64) in sacras tabulas relatam, Magistri sui sententiam auribus percepisset: *Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt:* ardente divini hujus alimenti desiderio accensus, statim subjecit: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes.* Haec vero *vitae aeternae verba* sive Divini Filii Dei ore prolata, sive omni voce sonantioribus factis, et sanctae conversationis exemplis jam a primo vitae ejus exordio expressa, sacri quatuor historiographi Matthaeus, Marcus, Lucas, et Joannes fideli calamo exceperunt,

ac toti poteritati sustentandae, ac vitae aeternae producendae, sacratiore in penu recondiderunt, tot veluti Panaria, quot Evangelia condentes. Ex his ego *Verba vitae aeternae* ad quotidianam animae divinis commendationibus roborandae refectionem, veluti panem quotidianum ad beatae immortalitatis nutrimentum deprompsi: utque hunc panem ad cor hominis confirmandum tam necessarium, apte dividerem, duas illum in partes fregi ac divisi.

Prior pars illi accomodata est tempori, quo praecipua Servatoris nostri Mysteria ab Ecclesia solemni ritu celebrantur. Ejus porro initium cepi a primis divinae Prolis in virgineo utero conceptae causis. Inde rerum gestarum seriem a Dominica prima Adventus, quae in vigesimum septimum diem Novembris incidere quandoque potest, usque ad Natalem Domini deduxi. Ab hoc per Infantiae annos usque ad virilem aetatem, qua Christus divini magisterii sui, populique docendi munere fungi cepit, propositi argumenti filum septem et quinquaginta meditationibus protraxi: quibus si ante Dominicam Septuagesimae adhuc unam vel alteram addere necesse foret, ex secunda parte, quae historico ordine locum hunc sibi vindicaret, assumi poterit. Interea tamen placuit, interrumpere narrationem, et tempori tantisper inservire. Quippe cum Ecclesia a Dominica Septuagesimae ob Christi Domini passionem et mortem luctum indicat, Jeremiam (c. 6, 26) monentem audiens: *Filia populi mei accingere cilicio, et conspergere cinere; luctum unigeniti fac tibi planctum amarum:* et cum eundem luctum a Paschate ob Dominicae Resurrectionis, Ascensionis et Pentecostes festam laetitiam rursum ponat: ideo aequum esse ratus, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus, postremam *Verborum vitae aeternae* portionem, quae de Christo Servatore ad praedictum luctum et laetitiam spectantia Mysteria et acta refert, per Meditationes, numero dierum respondentes, de industria praemisi: atque his alias reliquo tempore aptas subjeci ad SS. Tria-

dos et Venerabilis Eucharistiae festa, majore cultu ac pietate celebranda. Atque his primam partem concludo.[1])

Altera deinde pars, in quam aeternae vitae panem divisi, complectitur praeclare a Christo gesta dictaque tempore plusquam triennalis magisterii, eo fere ordine, quo haec ipsa contigere; atque adeo toto reliquo tempore, ab Octavo scilicet post festum Corporis Christi elapso die, usque ad Adventum D. N. animae quotidiana Meditatione reficiendae deservit. Quamvis autem, sicut in prima parte ante Septuagesimum minor aliquando dierum, quam meditationum est numerus, ita etiam secundae partis meditationes numerum dierum usque ad Domini Nostri adventum omnino excedant: facile tamen benevolo lectori integrum est, utrinque residuas meditationes vel solum legere, vel omittere, vel gustui et animi proposito magis idoneas secernere.

---

[1]) In hac nova editione meditationum series ad singulos anni dies, quantum licuit, distributa est, die unoquoque pro majori commodo, peculiari assignato, incepto a Dominica I. Adventus, et anno sequente a die 1. Januarii usque ad diem 19. Februarii. Secundus tomus a die 1. Junii coeptus est, et meditationes majorem ad electionem usque ad diem 21. Decembris productae sunt. Supponitur ordinem esse regularem, seu festum Nativitatis D. N. incidere in diem Dominicam, ideoque etiam annum insequentem a die Dominica initium capere. Series meditationum aut ordo statutus secundum ea, quae supra dicta vel alibi notata sunt, si necesse, mutandus est; item si ob diem aliquem festum singularem, alia quam in ordinem redacta meditatio aliunde (ut ex indice Meditationum in Evangelia vel de Sanctis, etc.) eligatur; quae suo loco assignata est, vel praeteriri, vel, si ejusdem est tenoris, cum sequente in unam poterit contrahi. Quod meditationes pro Tempore distributas attinet, notandum imprimis est, Dominicam in Septuagesima diem esse sexagesimum tertium seu Dominicam *nonam* ante Pascha, terminum vero paschalem inter diem 21. Martii et 26. Aprilis computari, ideoque Dominicam in Septuagesima in diem 18. Januarii vel dies sequentes usque ad diem 21. Februarii (incl.) incidere posse. (Not. Edit.)

Ne vero sic partiti panis soliditate fortassis animi acies dentesque nonnihil hebetarentur, aut usu fatigarentur, neve ob arduitatem ejus degustandi menteque ruminandi ac mandendi quisquam veterem illam, et a S. Joanne (c. 6, 61) jam olim annotatam querelam renovaret: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* —, constitui, meditationi quotidianae apposita, et quasi sacrae mensae illata *Vitae aeternae Verba* non sicce solummodo ex quatuor sacris codicibus referre, sed liquida explicatione, ubi opus videbatur, per breves parentheses affusa, intelligendi difficultatem emollire. Nam etiam in *Verbis vitae*, ut ipse, ex cujus divino ore prodierunt, apud allegatum Joannem testatur: *Littera occidit*, — non sane intellecta: — *Spiritus autem*, qui in sincero ac perspicuo verborum sensu includitur, *vivificat*. Itaque ad vitam, et quidem aeternam ex Spiritu afferendam, ut spero, non ingratam, neque forte hoc in genere jam ab aliis praestitam operam impendi. Ad hunc finem collatis diversorum Evangelistarum sententiis, quae ab uno non satis videbantur expressa, ex altero verbis memoratu dignis supplevi, et quae ad speciem videbantur dissonantia conciliavi. Totam etiam narrationis seriem, a qua non raro quatuor historici deflexerunt, ordine disposui, ut ex antecedentibus et consequentibus verus verborum sensus nexusque magis eluceret. Utque etiam condimenta solido aeternae vitae pani aspergerem, vitae morumque documenta et pia monita suggessi, atque ex aliis Sacrorum voluminum promptuariis idem asserentia testimonia adjeci; quae quidem documenta, etsi nonnunquam ad solos religiosae vitae sectatores dirigi videantur: ea tamen quivis alius sibi quoque data esse, facile intelliget, si *religiosi* vocabulo in *clericum*, aut *christianum* mutato, ad se verba fieri, sibi persuadeat.

Placuit autem in scribendis sacris hisce commentationibus humili stylo incedere, et Evangelicam potius simplicitatem aemulari, quam romano nitori anxie insistere; memineram enim, me animo, non

auribus pabulum apponere. Et vero requirebat id ipsius rei tractandae materia; cum enim pleraque vel ex interpretibus, vel ex ascetis, et non raro etiam ex scholis petenda essent: satius fore visum est, ut propriis quaeque verbis exprimerem; atque adeo si interpretandum quid, cum interpretibus; si pia ex ascesi documenta et morum regulae petendae, cum ascetis; si denique ex scholis lumen aliquod rei explicandae hauriendum, cum scholasticis loquerer, — quam ut alienis ex Latio conquisitis verbis sensum involverem potius, quam clariorem redderem.

Denique ut exemplo ac vestigiis discipulorum coelestis Magistri sui mandato obsequentium inhaererem, qui paucorum panum fragmenta, quae ex aliquot millenorum hominum refectione reliqua erant, in cophinos et sportas colligere jussi sunt: ego ex *Verbis vitae aeternae* residua fragmenta varios in indices collegi, quibus veluti cophinis et sportis usus sum. Unus totam historiae seriem eo, quo in meditationes digesta est, ordine exhibet.

Alter refert non paucas, quae inter Evangelistas nonnunquam esse videntur, Antilogias, sive verborum dissonantias; quas ne longus essem, vel ne obfusa nebula animum lectoris turbarem, in meditatione saepe leviter tantum insinuavi solvique; saepe etiam solutionem per objectionis praeventionem dedi. Alius index designat meditationes in omnia Evangelia de tempore et de Festis, quae per totum annum in Ecclesia Dei legi solent. Censeo tamen, meditationes potius ordine assumendas, quam interrumpendas; nec easdem saepius cum ceterarum exclusione repetendas esse. Propterea salutis monita magis sacro textui, quam Tempori aut Festo, aptare studui, illaque non ad Conciones parandas, sed ad pias meditationes cum fructu instituendas, hac methodo disposui. Denique in particulares indices selegi meditationes, quae animo, sacra Exercitatione reficiendo, per octo continuos dies, vel ad puritatem conscientiae obtinen-

dam, vel ad perfectam vitae sanctitatem comparandam, prae reliquis conducere videbantur, aut quas per aliquot dies recolligendo ac renovando veteri homini magis idoneas ac utiles esse censebam.

Tu itaque, amice lector, *Verba vitae aeternae* mensae tuae inferentem in obsequiis tuis patienter sustine!

PARS I.

Meditationes a Dominica prima Adventus usque ad Nativitatem Christi.

Meditatio I.

(Dominica I. Adventus.)

Verbi divini aeternitas, et dignitas infinita.

Joan. 1, 1—14.

Punctum I. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum* (Joan. 1, 1). Pro historiae Evangelicae, quae est de Verbo incarnato, ordinata enarratione, ab ipsius Verbi divini existentia ac dignitate initium capiendum est; ideo S. Joannes Evangelicam suam historiam his verbis auspicatur: *In principio erat Verbum,* — i. e. antequam quidquam esset extra Deum, Verbum sive Secunda persona in SS. Trinitate jam erat, nempe ab aeterno, et hoc ipsum *Verbum erat apud Deum,* ubicunque scilicet erat Deus; adeoque erat commensum et conjunctum Deo per identitatem. Unde mox subjungit S. Joannes: *Et Deus erat Verbum.* Hanc identitatem Verbi cum

Deo, aeternitatem et immensitatem compendio conclusit S. Joannes ultimis verbis: *Hoc* (quod scilicet est Deus) *erat in principio apud Deum.* Hinc patet, ex quanto dignitatis et excellentia fastigio Verbum divinum per incarnationem se demiserit: quia existens ab aeterno, incarnatum est in tempore; existens ubique apud Deum, descendit in mundum, in stabulum, et *non erat ei locus in diversorio* (Luc. 2); quodque vere erat Deus, *Verbum caro factum est.* Quam humiliationem et demissionem expendens S. Paulus (Philipp. 2, 5 sqq.) ait: *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.*

Collige hinc, quid hortante S. Paulo in nobis ipsis sentire debeamus. Annon, in quacunque dignitate et excellentia constituti sumus, et quantiscunque donis naturae et gratiae ornati, infra omnes homines non demittere debeamus? Annon quemadmodum Verbum divinum pro eluendo unico illo actu superbiae, quo protoparentes nostri ex verbis infernalis serpentis (Gen. 3, 5): *Eritis sicut Dii,* — per vanam spem decepti, se supra se efferre voluerunt, ex sede divinae suae Majestatis et gloriae infinitae semetipsum demisit, humiliavit, exinanivit in humanitate assumpta, in stabulum inter bestias abjecta, ac denique in cruce inter duos latrones suffixa: ita et conveniat, ut nos pro multiplici animi elatione, atque gloriae soli Deo debitae immodica cupiditate semper ad infimum locum, officia, gradum et statum nos abjiciamus?

Punctum II. *In ipso vita erat* (Joan. 1, 4). Quia nimirum *Verbum caro factum est,* ut mortem peccati in nos destrueret, quemadmodum apud Oseam (c. 13, 14) praedixit: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors!* Mors autem mortis, quid aliud est, nisi vita? Dicitur etiam in Verbo, humanitati unito, vita nostra fuisse, quia in *ipso,* quatenus Deus est, *vivimus, movemur et sumus* (Act. 17, 28). Quatenus vero homo est, promeritus est nobis gratiam et gloriam, ut viveremus vita supernaturali. Ideo apud Joannem (10, 10) ipse

dixit: *Ego veni, ut vitam habeant,* — scilicet plus gratiae et gloriae.

Praeterea quia Verbo inerat humana natura, per quam facta est nobis forma vivendi, et quia omnes nostrae actiones supernaturales, per quas agimus vitam supernaturalem, dependent a Verbo incarnato, tamquam a causa efficiente, meritoria et exemplari, idcirco multiplici titulo nostra in ipso vita erat, et vita nostra recte dicebatur. Cum ergo nihil carius sit vita, et omne vivens sollicite studeat conservare suam vitam, idcirco vitam, quam habes in Verbo incarnato, omni rei creatae praeferas, omni sollicitudine serves, et in omni actione tua demonstres: ut, quemadmodum S. Paulus (2. Cor. 4, 10) inquit, *vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.*

Punctum III. *Et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt* (Joan. 1, 4). Sicut Verbum incarnatum erat vita, sic etiam erat *lux* hominum, et ipsi homines tenebrae erant, quae lucem illam non comprehenderunt, sive non apprehenderunt, et non agnoverunt, nec fide susceperunt. Expende, quare Verbum incarnatum recte dicatur *lux,* et quales homines recte dicantur tenebrae. De Verbo incarnato enim inquit S. Joannes (v. 9): *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Quibus verbis indicatur officium supremi legislatoris, et magistri supremi.

De primo officio extat Vaticinium apud Isaiam (33, 22). *Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Et sicut unus sol, sive lux hominum est in mundo, ita teste S. Jacobo (c. 4, 12) *unus est legislator et judex, qui potest perdere et salvare* — Alterum officium Verbum incarnatum iterum sibi soli vendicat, nec aliis vult esse commune, apud Matth. (23, 10) dicens: *Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus.* Itaque radii hujus lucis, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sunt omnia mandata et doctrinae, quibus legifer noster et magister noster animos hominum illustrat docetque, quid credendum, et quid agendum vel omittendum sit. Illi ergo homines tenebrae sunt, lucem hanc non comprehendentes, qui radios

istos non recipiunt, sed per inobedientiam vel incredulitatem excludunt ex cordibus suis caligantibus et obcoecatis, uti Judaei plerique fecerunt. Ideo ulterius scribit S. Joannes (v. 11): *In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri.* Nimirum dedit eis jus filiale, sive dedit eis gratiam adoptionis in filios Dei, quae est spiritualis quaedam regeneratio, quam S. Joannes subjectis verbis explicat (v. 12 sq.): *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri,* — (imitantes proinde generationem Filii Dei naturalis ex Patre coelesti ab aeterno, et ex matre Virgine secundum carnem in tempore) *sed ex Deo nati sunt.* Itaque tu lucis praedictae radios firma fide, et prompta obsequendi voluntate suscipe, et supremo legislatori ac magistro, Christo Domino totum te trade illuminandum ac dirigendum; ut quemadmodum Filius Dei factus est filius hominis, — dum *Verbum caro factum est* (v. 14); ita tu filius hominis fias filius Dei, ex Deo natus per gratiam adoptionis et divinae naturae consors effectus.

Annotatio.

Haec a S. Joanne c. 1 de Verbo incarnato quasi compendio dicta. Et quia nec reliqui tres Evangelistae prima ab origine, et a primis causis historiae Evangelicae initium ducunt, ideo pro ejus integritate aliquot meditationes ex aliis S. Scripturae voluminibus, praesertim ex libro Genesis praemittendae, ac interserendae erunt.

Meditatio II.

(Feria II. infra hebd. I. Adv.)

De creatione hominis in statu innocentiae.

Gen. 1, 27 sq.

Punctum I. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum.* (Gen. 1, 27.)

O quam nobilis, quam elegans, quam artificiosa imago debet esse homo, quem infinite perfectus artifex fecit, seipsum pro idea et prototypo respiciens, et in qua imagine reformanda toto vitae humanae tempore manum nunquam removet a tabula? Unde licet alii artifices imaginibus stylo vel penicillo a se elaboratis subscribere soleant solemne illud *Fecit*, vel *Faciebat:* Deus tamen opus suum, ne in nihilum recidat, nunquam retracta manu conservans, et continuo perficiens, inquit, et per Moysen ei subscribit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1, 27). In eo tamen mire sibi complacet. Unde *ad imaginem suam* factum ter asserit, secumque per meditationem conferendum proponit, et in fine cap. 1 universali epiphonemate collaudat: *Viditque Deus cuncta, qua fecerant, et erant valde bona.*

Quantum ergo Deo debes gratitudinis, quod artificem manum etiam tibi admoverit, prae infinitis aliis hominibus, in suo nihilo relictis, te creando, conservando tibique constanter cooperando? Quam merito a te exigit, ut eum laudes, reverearis, eique serviens tandem salvus fias? Aequum igitur est, ut summo studio tam elegantem imaginem et in te ipso ab omni peccati macula mundam serves, et in proximo tuo velut divinum quidpiam respicias, ames et venereris. Aequum est, ut et tu ipse labores imaginem Dei in te repraesentando, et labores cum Deo et sicut Deus, imitando Deum et exprimendo in te, omnes ejus perfectiones, quam maxime poteris. Ideo S. Apostolus nos monet (Eph. 5, 1): *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charis-*

simi. Si nunc Christus eandem quaestionem de homine institueret, quam olim de numismate (Matth. 22, 20 sq.): *Cujus est imago haec et superscriptio?* — nempe illis verbis expressa: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* — annon, sicut de numismate responsum est: *Caesaris,* — ita de homine responderetur: *Dei?* (cfr. Luc. 3, 38). Christus autem mox inferret: *Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo,* — tamquam ultimo fini, cui ut authori suo, quidquid est hominis, debetur in cultum, laudem et gloriam.

Punctum II. Considera quomodo Deus inter alia perfectionum suarum lineamenta communicaverit ipsi homini perfectionem sui dominii in creaturas, ut hae hominem juvent ad finem suum. *Et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra* (Gen. 1, 26). — *Dominamini piscibus maris, et volatilibus coeli, et universis animantibus, quae moventur super terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna,* etc. (v. 28). Hanc hominis dignitatem et excellentiam dominii admirans regius vates inquit (Ps. 8, 5): *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum: et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus,* etc. Cum ergo Deus omnia subjecerit homini, ut hominem subjiceret sibi, dic cum Psalmista, et cum dolore et emendationis proposito ad toties violatam subjectionem et obedientiam te adhortare: *Nonne Deo subjecta erit anima mea? Ab ipso enim salutare meum?* (Ps. 61, 6), — nempe, quidquid mihi salutare est. Unde non debeo ulla creatura uti contra divinam voluntatem et animae meae salutem; et nullam, quae servit ad divinam voluntatem explendam atque ad salutem meam procurandam, debeo respuere. Sic etiam ego exercebo dominium in creaturam, et non creatura exercebit dominium in me. Et implebo illud S. Pauli (Rom. 6, 20. 18): *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiae;* et: *Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiae.* Habet enim Apostolus pro eodem:

servire Deo ac justitiae, et: liberum esse, ac regnare per subjectionem erga Deum et justitiam.

Punctum III. Considera hominem a Deo creatum esse non tantum ad imaginem et similitudinem aliquam suam naturalem, sed etiam ad similitudinem quandam supernaturalem, quae habetur per gratiam sanctificantem, protoparenti nostro infusam, in primo instanti suae creationis, quo Deum ut authorem suum, et ut bonum infinitum supernaturaliter cognovit, et amavit super omnia. Unde mox factus est consors divinae naturae, filius Dei adoptivus et haeres illius per gratiam, cui per speciale privilegium annexa erat justitia illa originalis, quâ omnes potentiae animae sensitivae subjiciebantur appetitui rationali, perfecta inclinatione ad bonum, et non ad malum praedito. Et hoc multi SS. Patres ajunt significari per illa verba (Gen. 1, 26): *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram:* priori vocabulo similitudinem per humanam naturam, posteriori similitudinem per gratiam denotante. Unde etiam Ecclesiastes (c. 17, 1): *Deus creavit hominem, et secundum imaginem suam fecit illum. Et iterum convertit illum in ipsam, et secundum se vestivit illum virtute,* — i. e. promptitudine ad bene agendum. Vide autem, quam nunc dissimilis sis tuo prototypo, quam inclinatus ad malum, quam tardus et quam difficilis ad bonum. Itaque sequere Paulum monentem ad Ephesios (c. 4, 24): *Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis,* — i. e. in vera et perfecta sanctitate.

Meditatio III.

(Feria III. infra hebd. I. Adv.)

De invidia et odio diaboli erga hominem in statu innocentiae.

Sap. 2, 23; Is. 14, 12—15; Ezech. 28, 14—17.

Punctum I. Considera, quod cum Deus in principio scilicet ante alias creaturas corporeas, creasset coelum et terram, simul etiam produxerit alias substantias incorporeas, quas Angelos vocamus. Hi Angeli autem, cum haberent intellectum praestantissimum et infinitam Dei Creatoris sui bonitatem ac majestatem, ejusque erga se beneficentiam perfectissime cognoscerent; et cum voluntatem etiam haberent pronissimam ad bonum, statim intensissime et perfectissime amaverunt Deum super omnia, secundum gratiam sanctificantem, in primo instanti suae Creationis in gradu perfectissimo infusam.[1]) Ex iisdem tamen quam plurimi praestantiâ suae naturae, intellectus perspicaciâ, et scientiae suae sublimitate ac amplitudine in superbiam elati sunt, ut Deo debitam subjectionem recusarent, et gloriam soli Deo debitam affectarent: unde peccato et lapsui eorum accomodantur illa verba, quae habentur apud Isaiam (c. 14, 12—15): *Quomodo cecidisti Lucifer* (cum tua cohorte tecum peccantium Angelorum), *qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: In coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum,* etc. *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen in infernum detraheris in profundum laci.* Similiter accomodantur illi Lucifero cum suis asseclis, quae ab Ezechiele de ruina regis Tyri dicuntur (c. 28, 14—17): *Tu Cherub extentus, et*

[1]) P. Illsung hac in re sententiam suam promit dicendo: „Angeli amaverunt Deum super omnia et promeriti sunt sibi gratiam sanctificantem, in primo instanti suae creationis in gradu perfectissimo, suo amori proportionato, infusam."

protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum (i. e. Angelorum charitate ardentium) *ambulasti. Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuae repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti: et ejeci te de monte Dei, et perdidi te o Cherub protegens de medio lapidum ignitorum. Et elevatum est cor tuum in decore tuo, in terram projeci te*, etc.

Tu tam ex peccato, quam ex poena peccati Angelici doctrinam et profectum cape. Ex peccato observa ingens periculum labendi. Si enim Angeli, nullis sensuum illecebris illecti, nullo peccati fomite, nulla prava concupiscentia, nullo malo habitu aut consuetudine, nulla tentatione, nullis ante corrupti exemplis, — sed quoad intellectum illuminatissimi, quoad voluntatem promptissimi ad virtutem, de amore perfectissimo immediate praecedente, in peccatum gravissime et citissime prolapsi sunt, quid non metuere nos debemus, in tot peccandi periculis, illecebris, incitamentis, internis et externis, constituti? et tot praesidiis destituti? Unde per merita Christi, quibus infirmitas nostra sublevatur, unicuique summa opus est confidentia in Deum et diffidentia sui, vigilantia, fuga occasionum et periculorum, usu mediorum, quibus a Deo obtinetur auxilium, et quibus humanae succurritur fragilitati, ac inconstantiae voluntatis. Praeterea opus est studio singulari perfectionis, ut vocationem nostram certam faciamus. Vitanda etiam studiose peccata venialia, quae ad graviora disponunt et auxiliorum efficacium subtractionem promerentur, — cujusmodi tamen venialia peccata ab Angelis ante lapsum nunquam fuere commissa.

Punctum II. Ex poena peccati ab Angelis perpetrati collige gravitatem peccati mortalis, quod ex intimis Dei amicis effecit inimicos omni odio dignos, ita ut nec tempus, nec medium recuperandae gratiae ipsis concessum sit; quod privavit illos omnibus bonis supernaturalibus et aeternis ignis inferni cruciatibus vero et mirando modo addixit. Hae poenae et similia pericula finalis impoenitentiae omnibus timenda sunt, praesertim, qui de vita sanctiore, et angelica sanctitate per summam ingratitudinem in peccatum mortale prolabuntur. Quodsi etiam tu frequenter

lapsus es et frequenter veniam per poenitentiam consecutus, pro beneficio Dei, nulli Angelorum concesso, seria emendatione te gratum exhibe, et time ejus subtractionem.

Punctum III. Considera, quanti odii et invidiae adversus hominem occasio fuerit praedictum peccatum Angelorum. Per illud enim fuerunt evacuatae sedes, ipsis in coelo destinatae, et in eorum vicem ab hominibus replendae. Per illud inflammatum est odium adversus Deum, cui cum nocere non possent in sua persona, saltem in imagine ejus constituerunt nocere, dejiciendo hominem ex statu innocentiae. Nam *Deus creavit hominem inexterminabilem*, et *ad imaginem similitudinis suae fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (Sap. 2, 23). Unde ut etiam homines ab occupatione relictarum ipsis sedium impedirentur, ut pulcherrima imago Dei peccato, et privatione gratiae deturparetur, ut de statu innocentiae cum ipsi protoparentes tum omnes eorum posteri dejicerentur, inimici daemones omnem decreverunt lapidem movere. Sic saepe unico peccato voluntas recta fit depravata, et ab uno labitur suo pondere in aliud, et secum alios in ruinam trahit. Sic a Deo et ab amore summi boni avertitur, et animi inquieti motibus ac stimulis agitatur. Tu vero contra odium, invidiam ac insidias diaboli sequere consilium S. Pauli ad Ephes. (c. 6, 11—18): *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in coelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiae, et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assumite, et gladium Spiritus (quod est Verbum Dei), per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu: et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus Sanctis.*

Meditatio IV.

(Feria IV. infra hebd. I. Adv.)

Jactura innocentiae ex invidia diaboli.

Gen. 2, 15—17; 3, 1—6.

Punctum I. *Tulit ergo Dominus Deus hominem* (nempe ex agro Damasceno, ubi Adam conditus dicitur), *et posuit eum in paradisum voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. Praecepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne commedas; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris* (Gen. 2, 15—17). Perpende, quam fuerit hoc praeceptum aequitati conveniens, ut Adam Deo creatori suo debitam reverentiam, subjectionem et gratitudinem illius executione praestaret. Deinde quam fuerit facile, inter tot alias suavissimas arbores, in loco voluptatis omnigenae ab unica arbore abstinere. Denique quam fuerit graviter obligans, nempe sub poena mortis duplicis; ideo dicebatur Adamo: *Morte morieris.* Mors nimirum animae trahit mortem corporis. Sic homo quando est in statu gratiae, et innocentiae a culpa actuali, est quasi positus in loco voluptatis propter gaudium bonae conscientiae, quem tamen debet bonis operibus excolere, atque custodire, ne a noxiis animalibus per animalem vitam devastetur, ut ne alicujus praecepti transgressione amittatur. Sunt autem omnia praecepta, quibus homo subest, aequissima et facilia; unde scribit S. Joannes (ep. I. 5, 3): *Haec est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus: et mandata ejus gravia non sunt.* Quomodo enim grave sit, custodire mandata, prohibentem voluptatem brevem et illicitam, cum abundare possimus gaudiis ac solatiis licitis et aeternis? Graviter tamen obligant, quaecunque sub culpa mortali obligant.

Sicut autem arbor vetita, a Moyse referente prohibitionem, non proprio nomine, sed nomine ab effectu illi imposito, vocatur *arbor scientiae boni et mali:* sic eundem

effectum quodvis peccatum post se relinquit, scilicet experimentalem scientiam ingentis et multiplicis boni amissi, et mali commissi ac promeriti. Abstine summa sollicitudine ac vigili cura ab hac scientia. Si enim Adamus, habens intellectum illuminatissimum et scientiam a Deo infusam, habens etiam voluntatem nullo concupiscientiae fomite depravatum in loco ipsi innocentiae destinato, tam facile et tam celeriter praeceptum divinum violavit: quanta nobis opus est cautela, vigilantia et auxilio gratiae efficacis, a Deo per orationem impetrandae?

Punctum II. *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae, quae fecerat Dominus Deus; qui dixit ad mulierem: Cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi? Cui respondit mulier: de fructu lignorum, quae sunt in Paradiso, vescimur; de fructu vero ligni, quod est in medio Paradisi, praecepit nobis Deus, ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur* (Gen. 3, 1—3). Ne fidas cum Eva calliditati serpentis. Non discute causam, cur hoc vel illud sit praeceptum, nec obligationem, sub poena mortis animae impositam, dubiam redde, vana spe tibi illudens, quod peccatum *forte* non inferat, et mereatur mortem aeternam; vel quod per poenitentiam mortem sis *forte* evasurus. Sed suggestioni diaboli neque respondeas, neque disputes cum illo: verum praecepto simpliciter obedias coecâ obedientia. Modum labendi in peccatum ulterius ostendunt sequentia verba.

Punctum III. *Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicuti Dii, scientes bonum et malum. Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit* (Gen. 3, 4—6). His verbis reliqui gradus ad peccatum percensentur, cujusmodi sunt: vana fiducia evadendae mortis, contemptus et dubia ac infirma fides comminationum, falsa persuasio boni ex peccato obtinendi, appetentia honoris et existimationis apud pauculos mortales homines, neglecto

honore immortali apud Deum et apud universam Curiam coelestem ob vitae innocentiam, oculorum et sensuum effrenatio, periculi et occasionis neglecta fuga, malum exemplum, — respectus humanus, quo Adamus, ne uxorem affligeret, pomum vetitum acceptavit, comedit, et innocentiam perdidit.

Meditatio V.

(Feria V. infra hebd. I. Adv.)

Damna ex peccato Adami.

Gen. 3, 7—13.

Punctum I. *Et aperti sunt oculi amborum: cumque cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata* (Gen. 3, 7). Nempe quia per peccatum amiserunt innocentiam cum gratia sanctificante, ex speciali Dei privilegio conjuncta cum appetitus sensitivi perfecta subjectione, mox senserunt stimulos carnalis concupiscentiae, ob cujus turpitudinem successit pudor et verecundia propriae nuditatis; ex qua ante peccatum propter appetitus sensitivi tranquillitatem, et rationis gubernationem nullos tales stimulos, adeoque nec pudorem de nuditate perceperunt. Hoc ergo est primum damnum peccati, quod per illud Adamus sibi et posteris suis omnibus perdiderit gratiam sanctificantem et privilegium status innocentiae, cui successit concupiscentia, et naturalis proclivitas ad malum, cum cujus motibus et stimulis perpetua, molestissima et periculosa pugna et colluctatio subsecuta est; et quia plerique in hac pugna succubuerunt, ac deinceps succumbent, hinc totus mundus in maligno positus est: *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae* (1. Joan. 2, 16). Unde etiam potior pars hominum aeternis inferni ignibus addicitur; et propterea concupiscentiae molestias et periculosas pugnas gravissime deplorat S. Paulus (Rom. 7, 21—24),

post multas contra illam querelas concludens: *Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet: condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Ex hoc damno collige gravitatem peccati mortalis, etiam unius tantum. Quid ergo erit sentiendum de tuis longe pluribus, imo omnium hominum? Sequere itaque deinceps consilium Ecclesiastici (18, 30): *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere.* Ne alioquin similiter stimulas concupiscentiae per consuetudinem, pravas habitus, auxiliorum divinorum subtractionem, voluntatis depravationem, et per tentationis vehementiam, ex voluptatis praeteritae vivaciori imaginatione amplius irrites, et ne tua peccata aliorum quoque sint ruina, propter scandalum, communis disciplinae corruptionem, et propter communicationem, qua unus quisque sua merita et demerita ad totum illum coetum refundit, cujus est pars; unde saepe propter unius hominis peccatum integrum coetum Deus affligit, ut patet ex c. 7. Josue v. 1, ubi dicitur: *Filii autem Israel praevaricati sunt mandatum, et usurparunt de anathemate; nam Achan tulit aliquid de anathemate, iratusque est Dominus contra filios Israel.* Id vel maxime contingit propter peccata gubernatorum, uti propter peccatum Davidis, numerantis populum *(2. Reg. 24)* peste extincta sunt septuaginta millia virorum. — Illud etiam sapientiae ex protoparentum damno tibi accedat, ut oculi non primum post vel per peccatum tibi aperiantur, sed aperi oculos, ne pecces, et ne pudeat te nuditatis tuae, per mera folia ficus absque bonorum operum fructibus, et absque vestimento gratiae atque habituum supernaturalium, nunquam satis tegendae.

Punctum II. Et *cum audissent vocem* (i. e. sonum venti extraordinarii), *Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei*, etc. *(Gen. 3, 8).* Sic transgredientibus praecepta sua Deus minatus est (Levit.

26, 36): *Terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient, quasi gladium.* Et hoc est alterum damni peccati, nempe timor et remorsus conscientiae, et inutile ac summe etiam noxium studium quaerendi latebras peccati. Deinde si protoparentes nostri post patratum unicum peccatum exhorruerunt, *cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso:* quam erit horrendum audire vocem illius, venientis in sede majestatis suae, quando *omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei:* et *procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (Joan. 5, 28). Et tunc nemo poterit se abscondere a facie Domini Dei, sed experietur quivis id, quod (Ps. 138, 7) dicitur verum esse: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Tunc peccatores frustra *incipient dicere montibus: Cadite super nos, et collibus: Operite nos* (Luc. 23, 20), quia nec vocem condemnantis, nec vultum irati judicis possunt effugere.

Punctum III. *Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quae respondit: Serpens decepit me, et comedi* (Gen. 3, 12). Sic sine gratia Dei speciali, quae praesumenda non est, et tu peccatum tuum excusares, ejus gravitatem non agnosceres, atque confiteri erubesceres; quemadmodum multi propter sacrilegam hujusmodi verecundiam impoenitentes obierunt. Et hoc tertium ac maxime perniciosum damnum spirituale peccati est, nempe finalis impoenitentia, quae ex peccati erubescentia oriri solet, — quamvis protoparentes ex summa Dei clementia ab illa tandem erepti sint. Quem gratuitum favorem tibi non audeas promittere; quia etiamsi nunc paratus esses ad quodcunque peccatum confitendum, posset tamen haec animi promptitudo in poenam peccati tibi auferri, vel tempus et occasio praeripi. Spiritualibus hisce damnis accessere alia temporalia gravissima; nimirum ejectio ex Paradiso, praeclusio accessus ad arborem vitae, adeoque necessitas mortis, aerumnae, labor, terrae sterilitas, etc., quae in cit. c. 3. Gen. non tam protoparentibus, quam

eorum posteris praedicuntur; et experientia constat plerumque peccata abbreviatae vitae, morborum. dolorum corporis, penuriae rerum temporalium causam esse, praesertim si per intemperantiam committantur. Attende etiam, ne malum exemplum protoparentum, sed divini Psaltis monitum sequaris (Ps. 140, 4) ita Deum precantis: *Ne declines cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes* (i. e. ad continuas excusationes) *in peccatis.* Non poteris enim culpam tuam in alterum transferre, nempe neque in hominem seducentem, nec in daemonem decipientem: sed, ne ab his in peccatum inducaris, statue tecum, in nullius gratiam facere malum, aut bonum debitum omittere, et nunquam fidere serpenti. Hoc ipso enim, quod innatum sit ipsi, occulte serpere et repere, attentiore aure gressus et fraudes ejus observari debent.

Meditatio VI.

(Feria VI. infra hebd. I. Adv.)

Necessitas incarnationis divinae ad redimendum hominem.

Gen. 3, 15.

Punctum I. Considera, quod licet Deus generi humano potuisset condonare peccatum Adami in omnes posteros transfusum, vel satisfactionem congruam pro illo acceptare: id tamen merito eum noluisse, quia laesae Majestati infinitae decuit condigne satisfieri; et talem satisfactionem exigebat justitia Dei infinita, ut gloria Dei laesa perfecte repararetur et ablata restitueretur. Unde ad Rom. 3, 23 scribit S. Paulus: *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei,* — per satisfactionem condignam restituendâ. Hinc patet, quantum cavenda sit laesio divinae gloriae, cum infinita Majestas et justitia Dei tantam satisfactionem

exigat. Patet etiam, cum Deus a nobis quotidie offendatur, quantam satisfactionem eidem praestare debeamus, tum patiendo, tum agendo, ita ut semper minus nos pati et agere credamus, quam debemus. Cura ergo, ut facias *fructus dignos poenitentiae* (Luc. 3. 8).

Punctum II. Considera, nec angelicam, nec humanam naturam potuisse per totam aeternitatem consequentem condigne satisfacere pro peccato Adami, vel quocunque alio peccato mortali; cum enim, quo persona est dignior, quae laeditur, et vilior quae laedit, eo major possit exigi satisfactio; ideo Deus tamquam persona laesa infinitae dignitatis, infinito excessu superans vilitatem totius naturae angelicae et humanae, potuisset semper majorem et majorem satisfactionem exigere per totam aeternitatem; quod indicavit regius Psalmographus (Ps. 48, 8): *Frater non redimit. Redimet homo?* (Si Angelus hominem per condignam satisfactionem redimere non potest, cui ab eodem Patre coelesti creato hanc fraternam charitatem alioquin libenter praestaret; — an homo poterit, qui natura suâ est vilior Angelo, et gratia etiam per peccatum exutus?) *Non dabit Deus placationem suam Et pretium redemptionis animae suae: et laborabit in aeternum, et vivet adhuc in finem,* (i. e. sine fine). Sane omnis creatura disparet coram Deo infinito: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei* (Is. 40, 17). Et de te ipso dicere debes: *Substantia mea tanquam nihilum ante te* (Ps. 38, 6). Ex hoc collige et aestima gravitatem peccati mortalis. Et cum feceris omnia, scito te adhuc servum inutilem esse (Luc. 17, 10); vilescant tibi omnia opera tua satisfactoria, attenta Dei infinita majestate, tuaque vilitate.

Punctum III. Considera, cum nec homo nec angelus condignam satisfactionem praestare posset, et Deus sine ea peccatum nollet remittere, Deum ex infinita sapientia sua invenisse modum, quo unus homo pro peccato Adami, et omnium aliorum hominum peccatis condigne satisfaceret: si nempe ipse Filius Dei naturalis, et Patri in infinita dignitate aequalis, humanam naturam assumeret. Sed quis hoc beneficium auderet sperare a Deo tam graviter offenso?

cum illud nec angelis lapsis, quos naturae et gratiae dona longe copiosius ornarunt, sit praestitum; et longe majus sit, quam si Deus gratis, vel pro satisfactione congrua omnia peccata condonaret. Nihilominus considera, Deum Patrem ex infinita misericordia decrevisse, mittere Filium, hunc vero decrevisse venire, et totam sacrosanctam Trinitatem conspirasse in hoc ipsum decretum Adamo revelatum (Gen. 3, 15) per illa verba: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius: ipsa conteret caput tuum* (scil. per semen suum). Unde regius vates de hoc decreto edoctus, Filium Dei sic inducit loquentem (Ps. 39, 7): *Sacrificium et oblationem* (puri hominis) *noluisti: aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti, tunc dixi: Ecce venio.* Haec Filii Dei verba ponderat etiam S. Paulus (Hebr. 10, 4—7): *Impossibile enim est, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Intuere et compara inter se infinitam justitiam et infinitam misericordiam, quomodo in divino decreto incarnationis justitia et pax se osculatae sint (Ps. 84, 11). Osculentur etiam se mutuo spes et timor tuus. Spera Dei misericordiam, quandoquidem peccasti; time Dei justitiam, ne pecces, agnita praesertim gravitate peccati, propter quod condigna satisfactione delendum necesse fuit, Deum fieri hominem. Perpende etiam, quod, sicut Deus pro delendis peccatis hominum factus est homo, non autem pro delendis peccatis angelorum factus est angelus: sic saepe dat auxilia resurgendi degentibus in mundo, quae non dat iis, qui vitam angelicam professi, in grave peccatum labuntur, vel qui magnis naturae et gratiae donis ornati per ingratitudinem a Deo se averterunt.

Meditatio VII.

(Sabbato ante Dom. II. Adv.)

Eligitur Mater tanto Filio digna.

Gen. 3, 15 etc.

Punctum I. Etsi Deus, quemadmodum Adamum in statu virili et perfecto procreaverit, ita etiam humanitatem a se assumendam procreare potuisset, voluit tamen in utero materno concipi, et ex matre nasci: ut sicut humanum genus ab infernali serpente victum ac perditum est per mulierem, ita idem serpens vinceretur ac perderetur per mulierem. Hinc Deus serpenti dixit (Gen. 3, 15): *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Agnosce hic iterum sapientiam et bonitatem Dei, qui non solum invenit medium redimendi genus humanum per satisfactionem condignam; sed etiam invenit modum convenientissimum, gloriosissimum Deo, et ignominiosissimum diabolo, ac humano generi utilissimum, quo sicut homo est evectus ad dignitatem Filii Dei, sic etiam veheretur ad dignitatem Matris Dei, et per hanc Matrem homines reciperent vitam aeternam, sicut ex Eva nascebantur ad mortem. Obstupesce et venerare divinam sapientiam ac bonitatem, gratulare electae Matri Dei dignitatem, qua, sicut Eva secundum naturam, sic Maria secundum gratiam omnium viventium Mater effecta est. Ostende igitur moribus, quod sis semen et filius Mariae; proinde etiam inimicitias et odium continuum gere contra peccatum, quod est semen diaboli, in toto mundo disseminatum; et licet caput illius, id est vires et potestas nocendi, sit contritum et fractum, tamen insidias agnosce et cave; imo debellando et sternendo illum, esto Virginis calcaneus conterens.

Punctum II. Considera, Deum decrevisse ex Matre nasci non qualicunque, sed ex Matre semper Virgine, ut Isaias praedixit (c. 7, 14): *Ecce Virgo concipiet et pariet*

filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, (quod est interpretatum: Nobiscum Deus. Matth. 1, 23). Sic Deus honorare voluit statum virginalem. Itaque ejus decus summe aestimes et custodias, alienus ab omni eo, quod illud obfuscare posset. Deinde quia Deus virginitatem foecunditatis praerogativâ exornavit: gratulare matri Dei geminum decus, et precare, ut foecunditatem suam etiam in te effundat, teque sibi per adoptionem in filium generet, et Deum faciat esse tecum, et te cum Deo, ut ipse te semper et ubique adjuvet, et tu eidem cooperaris.

Punctum III. Considera, quomodo Deus hanc Virginem, quam sibi futuram matrem ab aeterno decrevit, ad dignitatem Matris Dei disposuerit et aptam dignamque effecerit, praeservando illam ab omni peccato, tam originali, quam actuali, gratia super omnes Angelos et homines replendo omnibusque donis supernaturalibus locupletando, ut vere de illa dici possit: *Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas* (Prov. 31, 29). Imitare ejus puritatem a peccato, et sanctitatem, ut Deum per sacram communionem vel per gratiam sanctificantem digne in animam tuam recipias et retineas eamque gratiam semper magis et magis augeas, ut et tu ipse plenitudinem aliquam gratiae consequaris.

Meditatio VIII.

(Dominica II. Adventus.)

Promittitur et revelatur adventus Christi.

Gen. 3, 15 etc.

Punctum I. Considera, Deum Adamo dictatam poenam post commissum peccatum mox mitigasse promissione Redemptoris, quando ad Serpentem dixit (Gen. 3, 15): *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Quam promis-

sionem ipso Adamo sive dubio manifestius exposuit, posteris ejus indicandum; aliisque Patriarchis clarius aliquoties revelavit, ut quando (Gen. 18, 17 sq.) dixit: *Num celare potero Abraham, quae gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam et robustissimam, et benedicendae sint in illo omnes nationes terrae;* et (Gen. 22, 18): *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae;* et (Gen. 49, 10): *Non auferetur sceptrum de Juda, et Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.* Id ipsum in aliorum Prophetarum sacris libris multoties legitur revelatum. Unde Christus (Luc. 24, 27) jungens se discipulis euntibus in Emmaus: *Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant.* Sic ergo tam in lege naturae, quam in lege scripta exigebatur, et necessaria ad salutem erat fides in Christum venturum, ut S. Paulus in Epist. ad Rom. saepe testatur. Quod si autem fides in Christum venturum, cujus mysteria adhuc latebant, poterat excitare ad spem promissorum, haec deinde ad charitatem Dei, et ad pie sancteque vivendum: quanto magis id poterit fides in Christum praesentem, et in omnia ejus mysteria, doctrinam, exempla, miracula, tam claris testimoniis quatuor Evangelistarum et aliorum Apostolorum, per oculorum et aurium experientiam comprobata? Ideo S. Paulus (Rom. 13, 11—13) scribit: *Hora est, jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus,* (scil. in Christum venturum). *Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus.* Timeamus de abusu vel non usu tot gratiarum! *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida! Quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. — Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis* (Matth. 11, 21 sq.).

Punctum II. Considera, mysteria incarnationis et Christi futuri Redemptoris fuisse in Mosaica lege revelata etiam per figuras, umbrosos typos, cujusmodi erant eductio Israelitarum ex Aegypto, in terram promissam, traductio

per mare rubrum, serpens aeneus, immolatio agni paschalis, et aliorum sacrificiorum. Ideo (1. Cor. 10, 1—6) inquit S. Paulus: *Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube* (quae in die praecedens Israelitas deducebat), *et in mari: et omnes eandem escam spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali, consequente eos petra): petra autem erat Christus,* etc. *Haec autem in figura facta sunt.* Hujusmodi figurae, mysteriorum redemptionis nostrae revelationes et promissiones fuerunt, sed Israelitis propter obscuritatem et ignorantiam futurorum parum profuerunt: nobis autem propter earum actualem impletionem et evolutionem plurimum prodesse possunt, ad illustrandam et roborandam fidem, ad devotum Sacramentorum usum, et ad specialem cultum et devotionem erga mysteria Christi Redemptoris. Ideo ait S. Paulus (Rom. 9, 4): *Quaecunque scripta sunt* (in veteri Testamento), *ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.*

Punctum III. Considera, quantum ex his revelationibus et figuris exortum sit desiderium Christi venturi in animis antiquorum Patrum, apud Isaiam (c. 45, 8) clamantium: *Rorate coeli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem: et justitia oriatur simul.* Et (c. 64, 1): *Utinam dirumperes coelos, et descenderes!* Si tantum fuit desiderium Christi venturi, longe adhuc positi et obscure cogniti: quantum debet esse nostrum gaudium de Christo praesente, jam concepto, nato, docente, patiente, regnante, in Eucharistia nobiscum versante, etc.? Quanto nos oportet accendi desiderio, ut conjungamur cum Christo? Et quanta cum diligentia debemus uti bonis illis, quae habemus ex adventu Christi?

Meditatio IX.

(Feria II. infra hebd. II. Adv.)

De fine incarnationis.

Joan. 6, 38 sq.; 10, 10 etc.

Punctum I. Ob quem finem Filius Dei carnem assumere et in mundum venire voluerit, ipse apud S. Joannem (c. 6, 38) dixit: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam* (i. e. voluntatem humanae naturae assumptae), *sed voluntatem ejus, qui misit me.* Sic etiam S. Paulus (Hebr. 10, 7 ex Ps. 39, 8) loquentem inducit: *Dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Unde quam studiose hunc finem prosequatur, dixit apud Joannem (c. 8, 29): *Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum: quia ego, quae placita sunt ei, facio semper.* Si teipsum cum S. Bernardo interroges: *Ad quid venisti?* Cur nempe a Deo in hunc mundum conditus fueris; vel cur deserto mundo in religionem veneris? — annon et ipse dicere debes: Veni, non, ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me? Si enim Filius Dei descendit de coelo, non ut faciat voluntatem suam, quae sapientissima et sanctissima atque optima erat: an tu ascendes de mundo in coelum, faciens voluntatem tuam, quae caeca et prava ac mala est? Fac ergo, ut semper memor finis tui, similiter cum Christo dicere possis: *Quae placita sunt ei, facio semper.* In hoc enim propria perfectio consistit.

Punctum II. Pergit Christus apud Joannem (cit. c. 6, 39): *Haec est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Quod aliis verbis expressit apud Matth. (18, 11): *Venit enim Filius hominis salvare, quod perierat.* Idem finis tuus est. Itaque eodem zelo, diligentia, et constantia saluti animarum vaces, docendo, concionando, exhortando, fidei rudimenta explicando,

vel saltem orando et adjuvando per virtutum exempla, et pietatis monita. Praecipuam autem propriae animae curam geras, ne quam Deus dedit, perdas incompensabili, et irreparabili tuo damno. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* (Matth. 16, 26).

Punctum III. Ulterius inquit Christus (Joan. 10, 10): *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Ideo donavit nobis merita valoris infiniti, et redimet nos modo tam perfecto, ut vel maxime alliceremur ad redamandum, patiendum, et perfectissime serviendum. Instituit sacrificium, sacramenta, et alia media, quibus longe copiosiorem gratiam, quae animae vita est, acquirere nobis possumus, quam si Christus non venisset. Neque ego et tu contentus esto, ut praecise vitam habeas, sed ut etiam abundantius habeas, et ut sic eam aliis quoque procures. Finis etiam tuus est (praesertim si a Deo ad hoc vocatus sis), non solum saluti et perfectioni propriae animae cum divina gratia vacare, sed etiam cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere. Ad hunc proinde finem omnis intentio referenda est, nullaque media negligenda, quibus praeter vitam ac salutem tuam et proximi, etiam perfectionem et abundantiam vitae obtineas: nec acquiescendum responso, ad interrogationem istam: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?* (Matth. 19, 16), — principi cuidam sciscitanti a Christo his verbis reddito: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* sed etiam ad id, quod mox subjungitur contendendum (v. 21): *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me.* Vel saltem psalmistae admonitioni obtemperandum ab iis, qui ad praedictum gradum non sunt vocati: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere* (Ps. 61, 11); imo ipsius Christi consilio parendum (Matth. 6, 19): *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, etc., thesaurizate autem vobis thesauros in coelo. Nam,* teste S. Paulo (1. Tim. 6, 9 sq.), *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa*

inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum, et perditionem. — Radix enim omnium malorum est cupiditas.

Meditatio X.

(Feria III. infra hebd. II. Adv.)

Alius finis incarnationis.

Joan. 18, 37; Marc. 1, 38.

Punctum I. Alium finem, cur Deus voluerit Filium suum in hunc mundum, Christus ipse nobis revelavit (Joan. 18, 37): *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati;* — et (Marc. 1, 38): *Eamus in proximos vicos, et civitates, ut et ibi praedicem: ad hoc enim veni.* Ideo Joël (2, 23) ait: *Filii Sion exultate, et laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiae.* Hunc solum tamquam supremum magistrum agnoscamus. *Unus est enim magister vester* (Matth. 23, 8). De hoc testatur S. Paulus (Hebr. 1, 1): *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Et S. Joannes (1, 18): *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Si ergo primus discendi ardor est nobilitas Magistri, hinc te in discipulum trade, quem in Magistrum ipse coelestis Pater proposuit (Matth. 17, 5): *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quicunque vero hujus doctrinae adversantur, ut mundus, caro, homines tepidi ac imperfecti, ii audiendi non sunt. Itaque cum Maria Magdalena, optimam partem eligente, sede ad pedes coelestis Magistri, et audi verbum illius.

Punctum II. Considera, doctrinam hujus magistri esse *sanctissimam:* nam de illo apud Lucam (4, 18) refertur; impletum esse vaticinium Isaiae (cfr. 61, 1): *Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare*

pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem, et caecis visum, dimittere confractos in remissionem, praedicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. Et ideo (v. 22) subjunxit S. Lucas: *Et omnes testimonium illis dabant, et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius.* Et S. Petrus apud Joannem (6, 69) Christi magisterium omnibus aliis praeferens dixit: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes.*

Praeterea considera, doctrinam Christi esse *verissimam et certissimam,* et prorsus *divinam ac coelestem:* ideo S. Joannes Baptista de illo testatur apud Joannem (3, 31): *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de coelo venit, super omnes est. Et quod vidit, et audivit, hoc testatur: et testimonium ejus nemo accipit. Qui accepit ejus testimonium, signavit,*[1]) *quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Nam: *Unigenitus Filius Dei, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (Joan. 1, 18). — Quantum autem distat coelum a terra, tantum adversatur doctrina Christi mundi doctrinae. Mundus enim honores, voluptates, divitias, prosperitates temporales, etc. praedicat, Christus vero his opposita. Ideo doctrinae mundi nec fides nec aures dandae, sed soli doctrinae Christi, qui fidem et attentionem hac Judaeorum reprehensione exigit (Joan. 8, 46): *Si Veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

Punctum III. Considera, non satis esse, doctrinae Christi praestare auditum et assensum, sed praestandam esse obedientiam et executionem; illos enim solos beatos pronunciat: *Qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* (Luc. 11, 28). Et (Joan. 8, 51) asseveranter ait: *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* E contrario (ib. 12, 47—50) inquit: *Si quis audierit verba mea, et non custodierit, ego non judico eum: non enim veni, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. Qui spernit me, et*

[1]) Graeci legunt *sigillavit,* sive sigillo suo obsignavit, i. e. certa fide confirmavit.

non accipit verba mea, habet, qui judicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Quia ergo ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, et quid loquar. Et scio, quia mandatum ejus vita aeterna est.

Meditatio XI.

(Feria IV. infra hebd. II. Adv.)

Alius finis incarnationis.

Joan. 13, 15 etc.

Punctum I. Quia homo ad imaginem et similitudinem Dei factus, per peccatum, ut psaltes ait (Ps. 48, 13): *Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis,* inclinatione appetitus ad oblectamenta sensuum, et carnalium voluptatum: ideo Deus voluit fieri homo, ut iterum homo disceret vivere modo humano, et ad imaginem et similitudinem Dei reformaretur; quia enim exempla simul docent, et movent ad vitam humano modo, et juxta prudentiam rationis instituendam, ea autem Deus in divina sua natura unice manens praestare homini non potuisset, idcirco Filius Dei, teste S. Paulo (Philipp. 2, 6): *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, habitu inventus, ut homo.* Utque omnis aetas usque ad statum virilem et perfectum, ab eo vitae exempla capere posset, ideo ex matre desponsata nasci, atque a S. Joseph tamquam patre nutritio educari voluit, ut filiis exemplum subjectionis et reverentiae erga parentes, et omnium aliarum virtutum praeberet: exinde sapientia, aetate, et gratia, secundum externam speciem apud Deum et homines proficere, et sic usque ad eam aetatem ascendere voluit, quam referebat homo in statu perfecto ad imaginem et similitudinem Dei

creatus. Usque ad hanc aetatem ita vixit, ut pridie mortis universis hominibus dicere poterit (Joan. 13, 15): *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Unde S. Petrus (ep. I. c. 2, 21) ait: *In hoc enim vocati estis; quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Itaque unusquisque studeat, Christum in omnibus vitae suae actionibus imitari. — *Donec,* ut loquitur S. Paulus (Gal. 4, 19), *formetur in vobis Christus.* Sicut prius (c. 2, 20) idem Apostolus de seipso dixit: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Si enim Deus in vilitate et miseriis conditionis humanae dignatus est fieri similis homini, cur homo erubescat fieri similis Deo per imitationem vitae illius, quae in exemplum nobis est proposita, ut ad imaginem et similitudinem Dei reformemur?

Punctum II. Considera alias rationes ad Christi imitationem impellentes, cujusmodi sunt: beneplacitum coelestis Patris. Ideo dixit (Matth. 17, 5): *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite,* — non solum verbis, sed etiam exemplis docentem. Hoc ipsum beneplacitum suum exposuit coelestis Pater etiam per illa verba (Exod. 25, 40) ad Moysen dicta: *Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Quae S. Paulus (Hebr. 8, 5) in exemplari Christum adumbrasse, et praefigurasse testatur. — Secunda ratio est beneplacitum ipsius Christi. Simile enim simili gaudet. Hinc etiam, si quem ad apostolatum, vel ad statum vitae perfectioris vocavit, dixit illi: *Sequere me.* — Tertia ratio est aequitas et decentia. Nam: *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, si sit sicut magister ejus, et servo, sicut dominus ejus* (Matth. 10, 24), — praesertim si tantus sit Dominus, et tantus rex, quantus est Deus ipse; et si servus fidem ad ubique sequendum etiam juratus dederit. — Ratio quarta: quia vita Christi est imago perfectissimae sanctitatis. Quo igitur vita tua est conformior huic imagini sive prototypo, eo est perfectior et sanctior. Unde et in coelo Christo eris similior.

Punctum III. Penitius itaque contemplare lineamenta

virtutum hac in idea tibi ad imitandum proposita, ac prae reliquis geminas illas virtutes in anima tua exprimere allabora, ad quarum praecipue imitationem hisce te verbis hortatur: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* (Matth. 11, 29).

Statue tibi praeterea ob oculos promptissimam illam, quá Patri coelesti durissima licet imperanti paruit, obedientiam; ardentissimam, quá se totum proximorum saluti impendit, charitatem, et plenam inferioris appetitus subordinationem, quam ut nos doceret, et etiam ostenderet, quibus adversus domesticum hunc hostem pugnandum esset armis, extremam rerum non superfluarum duntaxat, sed et necessariarum inopiam, summam sui apud homines vilipensionem, acutissimos denique tum corporis, tum animi dolores elegit. Annon iniquum foret, te, qui sub hoc duce stipendia mereris, haec ipsa detrectare? Quin igitur agis, et sanctis ejusdem vestigiis alacriter insistis. Audi, qua te oratione ad id faciendum invitet: *Si quis,* inquit, *vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* (Matth. 16, 24; Luc. 9, 23).

Meditatio XII.

(Feria V. infra hebd. II. Adv.)

Causae incarnationis: Misericordia, amor et justitia Dei.

Tit. 3, 5; Joan. 3, 16; Ps. 84, 11; etc.

Punctum I. Considera, a nullo puro homine eas actiones elici potuisse, quibus incarnationem Verbi divini de condigno promereretur. Unde ad Titum (3, 5) scribit S. Paulus: *Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

Et B. Virgo in cantico suo, non suis meritis, sed divinae misericordiae conceptum uteri sui tribuit: *Suscepit Israel puerum suum* (i. e. Israelem servum se colentem) *recordatus misericordiae suae.* Haec misericordia autem tanto major est, quanto major erat hinc miseria nostra, et ingratitudo jam tum praevisa; inde remedium miseriae a Deo praestitum. Disce itaque et tu similiter erga immerentes, inimicos ac ingratos esse misericors, et expertus Dei misericordiam, cave, eâdem ne abutaris; periculum enim est, ne si ingratus fueris, paulo post etiam experiaris justitiam.

Punctum II. Alia causa incarnationis est amor Dei erga homines, quem admirans S. Joannes (c. 3, 16) inquit: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Quanta haec est dilectio! Si enim inter homines Christo attestante, *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Joan. 15, 13), — (quia homini anima est unica, charissima et conjunctissima): infinities utique major est dilectio Dei Patris erga mundum, quia Filium suum unigenitum, dilectum amore infinito et sibi per identitatem naturae conjunctum, mundo et pro mundo dedit, et quidem sibi inimico, ac in maligno posito. Da ergo et tu saltem animam tuam Deo, et proximo propter Deum. Audi S. Joannem (I. c. 4, 8): *Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas; non quasi nos dilexerimus Deum: sed quoniam ipse prior dilexit nos,* et *misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere.*

Punctum III. Tertia causa incarnationis est justitia Dei, — ut nempe esset homo, qui secundum rigorem divinae justitiae Deo condignam, — ut cum Scholis loquamur, — pro omnibus peccatis satisfactionem praestaret, et sic Deus dando nobis hunc satisfactorem, demonstraret suam misericordiam; exigendo autem satisfactionem, ostenderet suam adversus peccatores justitiam: quo impletum est illud Da-

vidis vaticinium (Ps. 84, 11): *Justitia et pax osculatae sunt.* Sic de facto Deus conferendo nobis media satisfaciendi et applicando nobis satisfactionem Christi pro peccatis nostris, exercet erga nos suam misericordiam; requirendo autem etiam satisfactionem nostram, exercet simul justitiam, pro qua S. Paulus (Coloss 1, 24) scribit: *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea.* Cura ergo, ut et tu satisfacias divinae justitiae pro peccatis praeteritis, et ne novae, ac nunquam explendae satisfactionis necessitatem de futuro tibi imponas, cave. *Si enim*, ut inquit S. Petrus (II. 2, 4), *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari. Et originali mundo non pepercit;* etc. si etiam teste Paulo (Rom. 8, 32): *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* neque tibi parcet, nec dimittet, donec reddas novissimum quadrantem. Unde Christus ipse in exemplum divinae justitiae se proponens, in itinere ad montem Calvariae inquit (Luc. 23, 31): *Si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?*

Meditatio XIII.

(Feria VI. infra hebd. II. Adv.)

Unde B. Virgo merita fuerit, ut esset Mater Dei.

Luc. 1, 30 etc.

Punctum I. Etiamsi B. Virgo non merita sit, ut Deus decerneret incarnationem Filii sui, merita tamen (de congruo) est, ut, si Filius Dei humanam naturam esset assumpturus, ipsa eligeretur in matrem. Ideo Angelus ei dixit: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries Filium* (Luc. 1, 30). Unde Ecclesia in antiphona Paschali inquit: *Quem meruisti portare;* et in Oratione temp.: *Omnipotens aeterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et*

animum, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparasti. Considera ergo, quanta debuerint esse merita Mariae, ut mereretur esse Virgo et mater Dei, Regina Angelorum et hominum, Advocata potentissima totius mundi, Mater divinae gratiae et misericordiae, et considera e contrario, quam exigua sint tua merita, per quae neque dignus es esse servus Matris Dei, quam idcirco supplicibus invocas votis: *Dignare me laudare te, Virgo sacrata.* Multo minus dignus es servire Deo. Si enim is, quo non surrexit major inter natos mulierum, nempe Joannes Baptista, jam in utero materno sanctificatus, non se dignum existimavit, Christi calceamenta portare (Matth. 3, 11), vel solvere corrigiam calceamentorum (Marc. 1, 7): Quomodo tu dignus eris, alia nobiliora servitia Deo praestare? Nullam ergo merendi opportunitatem vel occasionem vel conatum intermittas; quin potius diligentia ac constantia obsequii tuam ipsius indignitatem suppleas.

Punctum II. Inter merita porro (praeparatoria), quibus obtinuit excellentiam matris Dei, imprimis fuit summa animi puritas ab omni macula originali et actuali mortali et veniali, imo ab omni imperfectione positiva, ut vocant, alienissima; unde de illa Deus dixit (Cant. 4, 7): *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te;* — et (ib. 5, 2): *Aperi mihi* (uteri tui habitaculum), *soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Imitare hanc puritatem, ut digne merearis, non tantum semel, sed toties, quoties Christum in Eucharistia suscipis, Deum ac Filium Dei in te recipere, et tu per gratiam sanctificantem dignetur ad te venire, ac mansionem apud te facere.

Punctum III. Alterum genus meriti, quo consecuta est matris Dei dignitatem, erat perfectissimum et continuum virtutum omnium exercitium. Unde primum genus indicatur puritate auri, alterum ornamentorum varietate, quando Psalmista de matre Dei vaticinans dicit (Ps. 44, 10): *Astitit regina a dextris ejus, in vestitu deaurato, circumdata varietate;* et (v. 15): *Omnis gloria filiae regis ab intus, in fimbriis aureis, circumdata varietatibus. Adducentur regi virgines post eam.* Ecce causam, cur reliquas vir-

gines antecedat, et benedicta sit inter omnes mulieres, et sit velut *lilium* (puritate candens, et odore virtutum fragrans) *inter spinas,* quibus reliquae filiae Adae propter peccatorum suorum aculeos, et rosarum seu virtutum defectum vel raritatem comparantur (Cant. 2, 2).

Hinc intellige, quantus virtutum apparatus in te requiratur, ut Deum eucharisticum in sacra Communione digne suscipias; quanta earundem varietas, ut inter Dei filios adoptari merearis. Quemadmodum enim, ut B. Virgo ad Dei matris dignitatem eveheretur, continuum ac perfectum virtutum studium effecit: ita, ut tu nomen adoptivi Dei filii consequaris, ac idipsum digne constanterque geras, vario earundem ornatu circumamictus appareas, oportet. Expende proin accuratius virtutes, per quas B. Virgo ad tantum fastigium ascendit, ac prae reliquis contemplare summam animi demissionem, trimulae in templum delatae assiduam erga Deum devotionem, temperantiam, modestiam, sacrae solitudinis ac silentii studium, obedientiam erga praepositos, charitatem in aequales, etc. Has et tu imitandas tibi propone.

Meditatio XIV.

(Sabbato ante Dom. III. Adv.)

De reliquis Christi progenitoribus.

Matth. 1, 1—17.

Punctum I. Ordinem progenitorum sive genealogiam Christi S. Matthaeus (c. 1) sic scribitur: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.* Considera rationem, ob quam ex tota serie progenitorum Christi, David et Abraham, tituli loco et in capite libri prae omnibus aliis exprimuntur, et Christus horum praecipue filius dicitur, duplicem esse: *prima* est, ut pateat, quam fideliter Deus steterit promissis, qui Abrahamo (Gen. 22, 18) promisit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae;* – et Davidi, ut

ex Psalmo 131, 11 constat, pollicitus est: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam,* — nempe filium, qui regnet in aeternum, ut promiserat Deus (2. Reg. 7, 12). Unde vicissim patet, quam fideliter Deo promissiones et vota nostra persolvere debeamus. — *Altera* ratio est, ut agnoscant omnes, solam a Deo virtutem prae aliis naturae dotibus aestimari. Atque hinc non istum v. g. titulum libro suo Matthaeus praefigere voluit: *Liber generationis Jesu Christi, filii Salomonis, filii David.* Licet enim Salomon fuerit omnium sapientissimus et doctissimus, ideoque sui memoria aliquid honoris et famae in suam posteritatem transmittere potuisset: apud Deum tamen non sapientia et doctrina, sed sola virtus in praetio est, et memoriae hominum commendatur. *Non enim,* — ut ipse Salomon ait (Eccl. 2, 16), *erit memoria sapientis, similiter ut stulti in perpetuum, et futura tempora oblivione cuncta pariter operient: moritur doctus, similiter ut indoctus.* E contrario: *In memoria aeterna erit justus* (Ps. 111, 7). Itaque Abraham per insignem obedientiam, et David per eximiam mansuetudinem erga homines, ac per devotionem erga Deum meriti sunt, ut laudem et aestimationem suarum virtutum peculiari generationis suae commemoratione in sanctam posteritatem transfunderent, ac propagarent felici omine, juxta illud S. Pauli (Rom. 11, 16): *Si radix sancta est, et rami.* Sic igitur et apud te sola virtus in aestimatione sit, oportet. Et quemadmodum Christus, ac B. Virgo progenitorum suorum virtutes non tantum imitati, sed etiam longissime transgressi sunt, sic et te non nisi eos per memoriam tibi proponere decet, in quibus aliqua virtus enituit, — quam dein tu non imiteris modo, sed etiam multum coneris superare.

Punctum II. Postquam Matthaeus Catalogum progenitorum per singulorum nomina ordine contexuerat, tandem compendio dixit (v. 17): *Omnes igitur generationes ab Abraham* (etiam istum pro una generatione connumerando) *usque ad David, generationes quatuordecim: et a David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim* (non annumerando David, qui jam in priori quaterdecade numerandus est, sed addendo in fine hujus quaterdecadis complendae unam generationem, quae ob si-

militudinem nominum vitio liberariorum omnissa est; dici enim debuisset: *Josias autem genuit Jekoniam, Jekonias autem genuit Jechoniam:* — quae duo nomina multum differunt; primum enim idem est ac Joakim, alterum vero idem ac Joachim, qui Sabathielem genuit, et qui ad tertiam quaterdecadem spectat, ut notant interpretes cum S. Epiphanio).[1] — *Et a transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim.* Ex hac triplici quaterdecade, quarum prima erat judicum supremorum, secunda regum, tertia ducum simulque pontificum (qua triplici serie Christus supremus Index, Rex et Pontifix futurus esse significabatur), patet, quam antiqua et quam nobilis fuerit prosapia Josephi, et quod consequens est, ipsius etiam B. Virginis, quae, cum non haberet fratrem, debebat per matrimonium jungi uni ex sua tribu, ne bona haereditaria, masculo haerede destituta, transirent ad aliam tribum. Patet praeterea, quod non ex sanctis solum progenitoribus S. Josephus et B. Virgo (cujus mater Anna fuit, soror Jacobi, ex quo Josephus genitus fuit), et ipse Christus Dominus descenderint, sed in genealogia sua plures tam viros, quam foeminas, a notoriis sceleribus infames numeraverint.

Geminum proinde nobis rarae humilitatis exemplum in hac sanctissima Jesu, Mariae et Josephi triade licet contemplari: unum est, quod, etsi summus esset in illis natalium splendor, adeo tamen obscure vixerint, ut per contemptum Judaei de Christo dicerent: *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas, et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* (Matth. 13, 55). — Alterum est, quod non solum non erubuerint progenitores scelestissimos sanguine contingere, sed hanc genealogiam suam voluerint insuper toto orbe divulgari; ut scilicet et tu nec ex claris natalibus lucem ac gloriam quaereres, nec obscuritatem generis ignominiamve, si qua forte majorum vitio familiae tuae aspersa esset, erubesceres. Habes praeterea

---

[1]) Cfr. 1. Par. 3, 15; 16, 4; 4. Reg. c. 23 et 24 etc. Alii aliter explicant. (Cfr. Commentar. in quatuor Evang., auct. Jos. Knabenbauer S. J.)

in hac Jesu ac Mariae genealogia, unde maxima tibi, licet gravissimo peccatori, veniae fiducia accrescat. Quis enim diffidat, apud illos gratiae sibi locum fore, quos audit, a scelestissimis vitam accipere non horruisse?

Punctum III. Expende illa verba Evangelistae: *Jacob genuit Joseph, virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus* (Matth. 1, 16). Nihil his gloriosius de S. Josepho, nihil de B. Virgine, nihil de Christo dici potuisset. Summum enim S. Josephi decus est, esse virum Mariae, esse virginem, — (in illo enim desiit continua verbi *genuit* repetitio, et dicitur: *de qua*, non: *de quo*, nec: *de quibus* natus est Jesus), — esse patrem Jesu Christi nati ex conjuge, semper intacta virgine. Summum vicissim Mariae decus est, talem habuisse virum, et dicere potuisse: *Quoniam virum non cognosco* (Luc. 1, 34), atque adeo virginem fuisse, conjugem et matrem, — *de qua natus est Jesus.* Nec vacat mysterio valde honorifico matri, quod Evangelista non dicat: *De qua natus est Christus, qui vocatur Jesus;* — nec dicat: *De qua natus est qui vocatur Jesus Christus,* sed: *De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus;* — ut indicaretur, Deum in carne genitum hoc a matre accepisse, ut esset *Jesus*, sive Servator; ut enim hoc esset, accepit humanitatem a matre; ut autem esset *Christus*, seu Unctus, humanitas accepit unctionem non a Matre, sed a coelesti Patre (cfr. Act. 4, 27; 10, 38). Itaque quid Mariae debeamus dicitur verbis illis: *De qua natus est Jesus;* ideo etiam Angeli Verbi incarnati nativitatem annuntiantes dixerunt: *Quia natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus* (Luc. 2, 11).

Summum denique ipsius etiam Christi decus est, ex Matre semper Virgine, omnis maculae experte, plena gratia et sanctitate, natum esse Jesum, — *ut in nomine Jesu omne genu flectatur, Coelestium, terrestrium et infernorum* (Philipp. 2, 10). Vocari enim, et esse Christum Dominum, qui sicut ordine naturae est ramus ex radice Jesse, et ipsius David: sic ordine gratiae ipse est radix omnis gratiae in Davidem, et in omnes homines diffusae. Ideo in Apocalypsi (22, 16) ipse de se vere dicit: *Ego sum radix et genus David.* Ex hac radice per Mariam

et Josephum, veluti proximam stirpem, succus omnis gratiae in reliquos homines, ex hac radice pullulantes, diffunditur. Quo itaque huic radici et stirpi fueris per amorem conjunctior, eo plus participabis de succo gratiae.

Meditatio XV.

(Dominica III. Adventus.)

Incarnatio ab Angelo nuntiatur. (1.)

Luc. 1, 26—29.

Punctum I. *In mense autem sexto* (postquam Joannes Baptista a sterili matre conceptus est, et credibile fecit, posse etiam a virgine Filium Dei concipi), *missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria* (Luc. 1, 26 sq.). Haec tam distincta temporis, loci, stirpis nominum personarumque narratio tanti mysterii firmam fidem et claram ac distinctam cognitionem nobis denotat procurandam, ac argumento est, Deum in hoc divinae providentiae ac fortitudinis suae opere non tantum substantiam, sed omnes etiam circumstantias reipsa perfectissime observasse, ut Incarnatio tempore et loco convenientissimo, ex stirpe et matre dignissima, etc. executioni daretur. Sic nos non tantum substantiam operum nostrorum, sed etiam omnes circumstantias loci, temporis, personarum, etc. attendere debemus, ut opera nostra undequaque sint perfecta. Deinde considera, quod Angelus B. Virgini non tantum in somnis (more alias in s. Scriptura usitata et frequenti) sed vigilanti apparuerit; quia Deus ab ea voluit exigere assensum; ut sicut perversa voluntas mulieris cooperata est ad lapsum generis humani: ita cooperaretur ad ejus resuscitationem voluntas obsequens mulieris; et sicut Angelus malus mulierem induxit ad assensum malum inobedientiae: ita bonus induceret ad assensum bonum obedientiae, atque

adeo diabolus eo modo vinceretur, quo vicit. Venerare itaque divinam sapientiam, et morem illius attende; nam per ea, per quae homo peccavit, vult Deus satisfaciendo, vel satis patiendo honorem suum laesum reparare. Hinc de facto etiam in justificatione hominis requirit Deus conversionem voluntatis, qua scilicet priorem voluntatem retractet et aversetur. Praeterea adverte, quod Deus favores suos sine libera voluntatis creatae cooperatione non obtrudat. Quam multas autem gratias a Deo oblatas tu repulisti? Quoties etiam ad te missus est Angelus tuus tutelaris, et illum non audisti?

Punctum II. *Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* (v. 28). Perpende sensum horum verborum et encomiorum, et disce, in quibus bonis vera laus, et vera felicitas consistat. Considera etiam, quam vera sint illa verba, et quanta sanctitas B. Virginis, quales coelestes favores, et qualis redundantia gratiarum in clientes illius significetur. Gratulare itaque illi, invoca et aemulare illam, ac ejusdem exemplo adductus, augmentum et plenitudinem gratiae in te procura, id unum solicitus, ut Dominum, quo meliorem amicum, adjutorem et protectorem nullum habes, tecum semper retineas.

Punctum III. *Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat, qualis esset ista salutatio* (v. 29). Sic perfecti homines turbantur et tristantur, quando laudantur; non agnoscunt etiam ea, quae dicuntur, quia illa in seipsis non reperiunt esse vera. Timent etiam, ne obsit sibi laus, quia vana, fallax, inflans, virtutem enervans plerumque est. Unde si Mater Dei turbata et territa est laude sua, cui non poterat esse damnosa aut periculosa, quanto magis nos laude nostra terreamur, eamque refugiamus?

Meditatio XVI.

(Feria II. infra Dom. III. Adv.)

Incarnatio ab Angelo nuntiatur. (2.)

(Continuatio ejusdem Mysterii.)

Luc. 1, 30—37.

Punctum I. *Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria; invenisti enim gratiam apud Deum* (v. 30). Ex his verbis duplicem infer consequentiam. Prima est: „Invenisti gratiam apud Deum“; ergo non timeas ullum malum; Deo enim propitio, nemo poterit nocere: *Si Deus pro nobis, quis contra nos* (Rom. 8, 31)? — Altera consequentia est, quae tibi causam timendi praebere potest, per conversionem propositionum: „Non invenisti gratiam apud Deum“; ergo timeas. Ut autem invenias, quaere; nam: *Qui quaerit, invenit* (Matth. 7, 8).

Punctum II. *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum; hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis* (v. 31—33). Quid majus de Filio posset dici? quae major posset esse Mater? quis honor major posset deferri? Tantum tamen honorem humillima Virgo nec temere acceptat, nec indiscreta et imprudenti humilitate repudiat, sed ad divinam voluntatem in omnibus exequendam parata, atque in proposito castitatis virgineae firma, prudenti deliberatione et considerantia interrogat: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (v. 34). En! quot virtutes a Dei Matre tibi imitandae proponuntur? Humilitas, prudentia, conformitas et resignatio in divinam voluntatem, castitas, etc.

Punctum III. *Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (v. 35). Sic, quae videntur nobis

impossibilia, si proprias vires spectemus, protegente et adjuvante Spiritus Sancti gratia, fiunt possibilia; ideo in hujusmodi rebus, a Deo nobis demandatis, propriae diffidentiae conjungatur confidentia in Deum; hanc autem confidentiam roboremus considerando, quid alii per gratiam Dei supra vires praestiterint. Ideo Angelus subjungit: *Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum* (v. 36 sq.). Adverte etiam, quod, sicut vires naturae excedit, ex Virgine vel ex sterili nasci filium, ita etiam vires tuas superet, a te homines sanctos ac filios Dei adoptivos generari. Opus itaque est, ut Spiritus Sanctus superveniat in te, per gratiam in corde tuo diffusam, qua prius ipse sanctus evadas, et ut virtus Altissimi, scilicet Dei omnipotentia, obumbret tibi, quae auxilio suo et foecunditatem praebeat, et instar umbraculi protegat, ne integritatis, puritatis et propriae animae detrimentum patiaris, atque, cum aliis praedicaveris, ipse reprobus efficiaris (cfr. 1. Cor. 9, 27).

Meditatio XVII.

(Feria III. infra Dom. III. Adv.)

Responsum B. Virginis, et finis colloquii.

Luc. 1, 38.

Punctum I. B. Virgo, cum divinam voluntatem satis jam haberet perspectam, Deo in persona Angeli obsequens, prompte (ut ex particula *Ecce* colligitur) et non honoris propriae, sed solo obsequendi studio (ut ex *ancillae* appellatione patet) respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (Luc. 1, 38). Sic in superioribus Deum respice, illisque velut Angelis a Deo missis, prompte obedi, et absque ullo respectu ad propria emolumenta, judicium proprium, etiam in rebus creditu difficilibus, eorum

judicio submitte; ob quam causam B. Virgini Elisabeth gratulata est: *Beata, quae credidisti* (Luc. 1, 45).

Punctum II. B. Virgo non matris, sed ancillae titulo gloriatur. Vide ergo, quanti aestimandum sit, servire Deo; quod idem ac regnare est. *Gloria magna est sequi Dominum* (Sir. 23, 38). Ad servum autem non nomine tenus, sed reipsa servientem requiritur, ut non suum, sed Domini emolumentum intendat; unde S. Paulus dicit: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* (Gal. 1, 10); deinde ut voluntatem Domini in omnibus exequatur; denique ut se indignum aestimet, favoribus, qui filiis tantum exhiberi solent. Unde viliori cibo, habitatione, veste contentus est, honorem nullum expectat, abjectis ministeriis occupatur, omnibus inferiorem se aestimat, omnibus obsequitur; si a Deo asperius tractetur, sustinet, etc. Totus denique dependet a voluntate Domini sui. *Fiat* — inquit, *mihi secundum verbum tuum.*

Punctum III. Dato responso, immediate subjungitur: *Et discessit ab illa Angelus.* Sic peractis functionibus, ad coelum, sive cellam, scilicet ad contemplativam vitam redeundum est, nihilque ab hominibus pro iis expectandum; nec mora, nec colloquia, praesertim cum foeminis, protrahenda sunt. Licet autem B. Virgo dulci Angeli alloquio et aspectu fuerit destituta, illa tamen sine dubio hanc in oratione et re gestae meditatione perstitit. Pari modo perseverandum est in oratione ac meditatione divinorum mysteriorum, etiam, quando sensibilis dulcedo recessit; huic enim haud nimium inhaerendum, nec de longiori ejus fruitione praesumendum.

Meditatio XVIII.

(Feria IV. infra Dom. III. Adv.)

De Verbi divini incarnatione.

Joan. 1, 14 etc.

Punctum I. Considera, quod praestito Mariae Virginis consensu, quamprimum divina omnipotentia, sapientia et bonitas ex purissimo ejusdem sanguine Corpus in virgineo utero efformaverit, et creata ex nihilo anima, utrumque inter se et inseparabili nexu cum divinitate conjunxerit; atque sic per ipsum etiam Matris ad generationem divinae prolis secundum humanitatem, concursum, Filius Dei per humanam illam naturam sibi unitam factus sit Filius hominis. In quo Deus, tamquam in opere suo gloriosissimo, summe sibi complacuit; unde illum etiam omnibus naturae et gratiae donis tam quoad intellectum, tam quoad voluntatem exornavit. Quod indicaturus S. Joannes (c. 1, 14) de eo scribit: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Gratulare itaque Deo omnem gloriam, ex hoc opere prorsus admirabili promanantem. Gratulare assumptae humanitati divinitatem, et omnia bona eidem communicata. Gratulare Matri talem Filium, et omnia bona per illum in eam derivata. Gratias age pro dato generi humano Redemptore. Deinde aspice in hoc procreatione Filii Dei naturalis velut in prototypo, quomodo tu ipse per susceptionem baptismi, qui est sacramentum regenerationis, factus sis filius Dei adoptivus, exornatus sis donis supernaturalibus, tam in intellectu, quam in voluntate, et quomodo quovis opere meritorio in gratia facto, acquiratur nova gratia faciens consortem divinae naturae, filium Dei, et fratrem Filii Dei naturalis. Adeo ut quemadmodum S. Joannes (1, 14) dicit: *Et Verbum caro factum est,* — sic etiam vere dici possit: Et caro filius Dei facta est per adoptionem. Ideo scribit S. Paulus (Gal. 4, 4—6): *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut*

eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra. Itaque hoc Spiritu vive et operare, sicut Filius Dei in similitudinem hominum factus est, quem S. Paulus (Hebr. 4, 15) testatur *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.*

Punctum II. Considera igitur ulterius, quare Filius Dei, cui potius debebatur corpus impassibile, assumpserit passibile, simile nostro. *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (Philipp. 2, 7): Nempe ut se nobis per omnia conformaret, in eo pro nobis pateretur, exemplum nobis daret patientiae, et modum, quo corpus nostrum tractaremus, edoceret. Disce ergo ferre patienter miserias tui corporis, aliis te absque exemptionis privilegio conformare, et simili modo tuum corpus tractare, quo Christus suum tractavit.

Punctum III. Expende cur Christus novem mensibus voluerit in utero materno delitescere, donec dici posset: *Impleti sunt dies, ut pareret* (Luc. 2, 6); nempe ut et in hoc se nobis conformaret, ac rursus patientiae constantiaeque in molestiis, quas pleno usu rationis percipiebat, fortiter ferendis exemplum daret; ut se Filium naturalem Matris suae, ac similem nobis, proinde a nobis vicissim imitandum demonstraret; ut nos doceret amorem solitudinis ad vacandum rebus divinis; ut, quemadmodum ipse, libenter essemus, et conversaremur cum Maria, Matre Dei; ut non nisi suo tempore omnia faceremus, etc.

Meditatio XIX.

(Feria V. infra Dom. III. Adv.)

De itinere B. Virginis ad Elisabeth.

Luc. 1, 39.

Punctum I. *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione* (Luc. 1, 39).

Nimirum, ut inquit S. Ambrosius (hom. l. 2. in c. 1. Luc.): *Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo; sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio festina pro gaudio in montana perrexit.*

Considera, hoc iter a B. Virgine, stimulante mentem divino foetu, et Matrem, ad celeriter promovendam Joannis Baptistae tanquam constituti Praecursoris sanctificationem, interno quodam impulsu concitante, susceptum esse. Ex quo Christi ac sanctissimae ejusdem Matris facto agnosce, quomodo divina misericordia in justificatione peccatoris ad illum prius accedat, et actualis, ut vocant, gratiae auxiliis eundem praeveniat; simulque intellige, quantum ad obtinendam veniam conferat B. Virginis opera et intercessio. Imitare praeterea zelum sanctissimae Matris, atque ab ea disce, non tantum propriae quietis commoditatem, cum de proximi salute agitur, relinquere, sed quaevis alia aspera, et ardua vel pro unius animae lucro prompte aggredi ac superare.

Punctum II. Considera, iter istud, quamvis asperum fuerit, difficile ac longum (quatridui enim facile spatio ad viam e Nazareth in Hebron emetiendam opus esse, notant interpretes), a B. Virgine tamen summa cum alacritate, fortitudine, neglectis montium obstaculis, quin et *cum festinatione*, ut sacer textus loquitur, confectum esse. Unde doceris, quantum divina praesentia per memoriam ac intellectum menti proposita valeat ad id, ut prompte, ferventer ac indefesse in via virtutis progrediaris, et quaevis impedimenta in eodem occurrentia fortiter perrumpas. *Nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* (S. Ambr. ib.). Praecipue vero inde discis, quid Deus efficiat, in nobis mansionem faciens per gratiam, quamque efficax sit Christi, per SS. Eucharistiam, atque adeo per sacratissimum Corpus suum, in nobis inhabitatio. Hic valet, quod in S. Scripturis de Elia propheta dicitur (3. Reg. 19, 8): *Ambulavit in fortitudine cibi illius . . . usque ad montem Horeb.*

Punctum III. Considera B. Virginis praecipuas virtutes, in hoc itinere exercitas, ac prae reliquis contemplare obedientiam promptam, fortem, ferventem ac indefessum, internae inspirationi ac divinae voluntatis manifestationi

praestitam; raram et eximiam humilitatem, quam Elisabeth, admirans depraedicavit, et in exhibitis sibi humilibus ac vilissimis obsequiis experta est; denique charitatem, cum propria etiam molestia, officiosam. Fac ergo secundum exemplar, quod tibi in montanis (— *in monte,* Exod. 23, 40) monstratum est.

Meditatio XX.

(Feria VI. infra Dom. III. Adv.)

De gestis in visitatione Elisabeth.

Luc. 1, 40—44.

Punctum I. *Factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, etc.* (Luc. 1, 41. sq.).

Salutare aliquem, est eidem salutem et fausta omnia precari. Ecce autem, quam efficax sit precatio B. Virginis, quem Deum tum quidem in utero, nunc vero per summam conjunctionem in coelo sibi praesentem habet, et verba non tam in aures ipsius Elisabeth, quam in aures Filii sui effundit. Joanni Baptistae remissionem peccati originalis per gratiae sanctificantis infusionem impetravit. Eidem ac ejus matri a Filio suo propheticam mysterii arcanissimi, incarnati scilicet divini Verbi, cognitionem, adorationem, laudem, amorem ac spirituale de illo gaudium exoravit. Similia dona impetrabit et tibi, si devote eam salutando efficias, ut vicissim te salutet, juxta morem, quo salutantibus mutuam salutem reddere solemus; illa enim salutem dicit exorando Deum, ut det efficacia salutis auxilia.

Punctum II. *Et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* (Luc. 1, 42). Considera, a quo, qualem, et quantam benedictionem Dei Mater, et fructus ventris ejus, id est Filius in ventre Virginis vere genitus, accepisse dicatur; scilicet non ab alio, quam a Deo; nec

aliam, quam quod Maria inter omnes mulieres electa fuerit in Matrem Dei, et quod Filius Mariae sit vere Filius naturalis Dei: qua benedictione nulla major potest excogitari. Et hinc mirata est Elisabeth in tanta majestate tantam animi demissionem, qua Mater Dei, in utero gerens Dei Filium, ad ipsam venire dignata est. Imitare et tu B. Virginis exemplum, ac illud Ecclesiastici monitum (c. 3, 20) exequere: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur.*

Expende praeterea vocem illam: *unde?* Qua causae inquiruntur, cur Maria mater Dei ad Elisabeth venerit. Eae duplices sunt; aliae enim Deum ejusque Filium in materno utero latentem, aliae Dei Matrem concernunt. Deum, ut B. Virginem ad suscipiendum hoc iter impelleret, commovit infinita clementia, misericordia et providentia, quâ Joanni Baptistae, etiamnum in utero matris incluso, per infusam sanctificantem gratiam, peccatum originale auferre decrevit eundemque ad officium Praecursoris, parantis Deo plebem perfectam, destinavit; ut et ipsi illud Isaiae (49, 1) aptari posset: *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei. Et posuit os meum, quasi gladium acutum, etc.* Dei Matrem ut ad Elisabeth veniret et Joanni gaudium ac gratiam sanctificantem afferet, impulit immensa in proximum charitas, zelus cooperandi ad justificationem peccatoris, quo jam tum *Refugium peccatorum* esse coepit, ac denique humilitas, quae sanctissimae Virgini, ut etiam multo se inferiori inserviret, persuasit. En! quam multorum exemplorum, tum vero maxime firmae in Deum, ac Dei Matrem spei, et fiduciae ferax sit responsio ad quaestionem illam: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

Punctum III. *Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo* (v. 44).

Gaudium Joannis fuit de externa praesentia Christi, et multo magis de ejusdem etiam praesentia interna per gratiam, cujus infusione ab originali peccato Joannes est liberatus. Tale gaudium et exultatio est in anima hominis,

habentis bonam conscientiam; gaudet enim non de amicitia tantum hominis potentis, et multum per suam amicitiam conducentis, — ut homines communiter vehementer gaudere solent, v. g. de amicitia suorum principum vel dominorum: sed de amicitia Dei, quae firmam spem et certitudinem aeternae beatitudinis, fiduciam impetrandi omnia utilia saluti, protectionem Dei externam, auxilia efficacia vincendi tentationes, exercendi virtutes, fortiter ferendi adversa, augendi merita, favorem coelitum, rerum denique suarum et functionem felicem successum afferre solet: quorum omnium bonorum notitiâ gaudium bonae conscientiae mire intenditur et augetur. Sicut autem S. Joannes ex internis effectibus divinae gratiae agnovit praesentiam gratiae, et sicut filii hominum ex effectibus agnoscunt bonum affectum suorum parentum, etiamsi verbis illum non contestentur: sic licet certitudinem revelationis non habeamus, ex effectibus divinae gratiae eam nos quoque agnoscere possumus, si nimirum experiamur in nobis magnum horrorem peccati, continuas victorias tentationum, desiderium magnum perfectionis, frequentes actus virtutum, solatium in adversis, lumina frequentia spiritualia, contemptum rerum temporalium etc.

Meditatio XXI.

(Sabbato ante Dom. IV. Adv.)

De cantico Magnificat. (1.)

Luc. 1, 46—48.

Punctum I. B. Virgo laudem ab Elisabeth sibi tributam sibi non adscribit, nec de ea laetatur, sed ipsa Dominum magnificat, et in eo exultat: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo* (Luc. 1, 46 sq.) Sic repellenda est laus humana, et Deo omnia bona adscribenda, laetandumque magis de attributis Dei, ex quibus in nos beneficia ac dona promanant, quam de ipsis donis. Magni itaque facienda est boni

tas Dei, quod immerentibus indignis et ingratis tanta et tot beneficia constanter praestet; similiter sapientia, providentia, omnipotentia et misericordia peccatis nostris insuperabilis. *Quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur* (Sir. 3, 21).

Punctum II. Vide, annon tu saepe teipsum magni facias, annon in rebus creatis saepe exultes vel gaudeas, et in quibus. Idem es, quod amas et de quibus gaudes. *Facti sunt abominabiles sicut ea, quae dilexerunt* (Os. 9, 10). *Mihi autem adhaerere Deo bonum est* (Ps. 72, 28). Expende causas, quae tibi suadeant, ut temetipsum, ac omnia, quae sunt extra Deum vilipendas. *Unus est bonus, Deus* (Matth. 19, 17).

Punctum III. B. Virgo his verbis (v. 48): *Quia respexit humilitatem ancillae suae*, – non tribuit virtuti humilitatis beneficia sibi collata a Deo, sed per summam humilitatem tribuit ipsi suae vilitati, et ejusdem vilitatis suae confessione et comparatione cum Dei bonitate, hanc ipsam vehementius laudat et magnificat, quod non obstante humilitate et vili conditione ancillae, ipse supremus Dominus non dedignatus sit, benigno oculo se aspicere. Sicut autem B. Virgo nihil in se aspexit, nisi vilitatem suam, quam solam credidit a Deo respectam fuisse: sic neque nos quidquam boni in nobis intueri debemus, et non ad ea, quae bene, sed quae male agimus, oculos convertere. Hac ipsa autem humilitate B. Virgo re ipsa ostendit, illam Deo esse motivum ad maxima dona conferenda.

Meditatio XXII.

(Dominica IV. Adventus.)

De eodem cantico. (2.)

Luc. 1, 48—50.

Punctum I. *Ecce enim ex hoc beatum me dicent omnes generationes; quia fecit mihi magna* (non quia ego feci magna), *qui potens est* (Luc. 1, 48 sq.). Considera,

quaenam sint illa *magna;* nempe: 1) Conceptio sine macula. — 2) Immunitas ab omni non solum peccato actuali, verum etiam ab omni imperfectione morali. — 3) Carentia fomitis actualis (ut testantur omnes SS. Patres apud Suarez 3. p. t. 2. q. 27. disp. 4. sect. 5). — 4) Perfectus et stabilis usus rationis a primo instanti Conceptionis (ut ex S. Bernardino Senensi et pluribus aliis tradit Suarez l. c. sect. 7), ita, ut neque somno impediretur ejus actuale exercitium, et inde subsequens continuum virtutis meritum, (ut rursum ex S. Bernardino Sen. serm. 51. art. 1. et aliis tanquam probabilius tuetur Suarez tom. cit. q. 37. disp. 18. sect. 2). 5) Gratia in primo instanti conceptionis major, quam fuerit gratia finalis singulorum Angelorum et hominum (ut ex pluribus SS. Patribus et ratione probat Suarez cit. tom. 2. q. 27. disp. 4. sect. 1). — 6) Augmentum gratiae ex continuo merito ante dicto tam intensum, ut Suarez (cit. tom. 2. q. 37. disp. 18. sect. 4. conclus. 2), illud majus asserat, quam sint omnes gradus gratiae universorum hominum et Angelorum in unum cumulum collecti. — 7. Donum fidei perfectissimae, excludens etiam omnem motum primo primum ac deliberatum ullius dubitationis; distinctissime et firmissime repraesentans omnia mysteria ad divinitatem et humanitatem Christi spectantia, ita ut teste Suarez (l. c. disp. 19. sect. 1) sine ulla dubitatione per immediatum magisterium Spiritus Sancti omnes Apostolos et theologos omnes, qui in Ecclesia Dei fuerunt ac erunt, fidei intensione ac claritate, et objectorum distinctione longissime superaverit. — 8) Scientia S. Scripturae, et rerum theologicarum a Deo in prima conceptione infusa in excellenti gradu, ac deinde per experientiam, Scripturae lectionem ac meditationem magis semper perfecta, praesertim per conversationem cum Filio, et per adventum Spiritus sancti, — teste Suarez l. c. 3. sect. — 9) Donum prophetiae, — ut constat etiam ex ejus Cantico: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,* etc. — 10) Donum linguarum non tantum post adventum Spiritus sancti, sed etiam ante; unde sine interprete cum Magis, et cum Aegyptiis in fuga loquebatur, ut probabiliter ait Suarez disp. 20. sect. 2. in fine. — 11) Donum miraculorum, — quamvis B. Virgo

probabiliter illo usa non sit, saltem ante Christi ascensionem; et de hoc solo non usu videtur explicari posse sententia negans hoc donum pro vita mortali B. Virginis, ut expresse se declarat S. Thomas 3. p. q. 27. a. 5, idem asserens de aliis gratiis gratis datis. — 12) Virginea foecunditas, ut esset simul Virgo et Mater Dei, ad quam dignitatem reliqua dona omnia ordinabantur. Atque haec est corona stellarum duodecim, quibus B. Virgo resplendebat (cfr. Apoc. 12, 1). Imple ergo et tu vaticinium illius: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna, qui potens est.*

Punctum II. Considera, cur B. Virgo dixerit: *Magnificat anima mea Dominum.* Rationem ipsa statim hisce verbis subjungit: *Qui potens, et sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus a progenie in progenies, timentibus eum* (v. 49 sq.). Triplicem in his verbis Deum magnificandi causam habes. Prima est immensa ejus potentia, quae in producendo ac conservando mundo praecipue enituit. Altera Dei sanctitas, quam in eodem per leges sanctissimas gubernando, in perducendis ad sanctitatem hominibus, ac demum in operibus omnibus summa cum laude perfectis ostendit. Tertia denique infinita ejusdem tum erga peccatores, tum vero maxime erga timentes se misericordia, quâ a miseriis illos protexit ac liberavit, vel certe in majus illorum bonum easdem convertit. Adscribe itaque et tu cum B. Virgine divinae omnipotentiae, sanctitati ac misericordiae omnia bona tua, quae habes, et spera, quae non habes, sed habere deberes: quia Deus potest, et vult ea tibi dare, si debito modo illa petieris, et iis te dignum reddideris.

Punctum III. Considera, quis sit ille timor Dei, cui B. Virgo specialem hîc Dei misericordiam promittit: *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum* (v. 50). Est is filialis Deo timor, qui non a gravibus tantum, sed levioribus etiam peccatis, quin et quibusvis remotis peccandi periculis nobis cavemus. Misericordia autem, quae vicissim his exhibetur, est paterna Dei miseratio, qua a peccatis omnibusque corporis ac animae malis, quae Deus praevidet, in bonum nobis non esse cooperatura, praeservamur. Itaque time Deum amando, et timendo ama; ac

cum Psalmista precare: *Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum, etc. Quia misericordia tua magna super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori* (Ps. 85, 11).

—

Meditatio XXIII.

(Feria II. infra hebd. IV. Adv.)

De eodem Cantico. (3.)

Luc. 1, 51—55.

Punctum I. Considera, quomodo Deus per omne tempus, ex spiritu prophetico a B. Virgine in praeterito expressum, se hactenus gesserit ergo superbos Angelos et homines: *Fecit potentiam in brachio suo. Dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles* (v. 51 sq.). Hinc ergo collige, quam Deo displiceat superbia, etiam in Angelis prius amicissimis, et in hominibus, prius in magna sanctitate constitutis; e contrario quam placeat humilitas hominum, etiam ex gravissimis peccatis ad magnam sanctitatem evectorum.

Punctum II. Considera, quomodo Deus se habeat erga esurientes justitiam, et agnoscentes suam paupertatem ac nuditatem; e contrario quomodo se habeat erga sibi vane complacentes, et nolentes ulterius progredi: *Esurientes implevit bonis, et divides dimisit inanes* (v. 53).

Punctum III. Attende, quomodo Deus promissionem ante quatuor vel quinque millia annorum ex infinita sua misericordia factam, fidelissime sit executus. *Suscepit Israel puerum suum, recordatus* (est Deus) *misericordiae suae*, etc. (v. 54 sq.). Certus igitur esto de illius fidelitate tam in promittendo, quam in comminando; tuque similiter in servandis promissisae votis tuis eidem fidelis esto. Praesta te servum fidelem ac prudentem, eique, qui se toti mundo in servum dedit, servire ne recusa, ut promissiones, et non comminationes divinae in te impleantur.

———

Meditatio XXIV.

(Feria III. infra hebd. IV. Adv.)

De humilitate B. Virginis.

Luc. 1, 48.

Punctum I. Quia nihil rarius est, quam humilitas honorata, B. Virginis ad honorem Matris Dei erectae humilitas singulariter perpendenda est; vere enim: *Respexit Deus humilitatem ancillae suae* (Luc. 1, 48). Postquam ergo Matris Dei dignitate aucta est, ut aliorum de se aestimationem vitaret, nemini, ne ipsi quidem Sponso suo, quamvis urgente necessitate sinistrae de se opinionis, ac suspicionis de adulterio declinandae, conceptionem virgineam prolis divinae manifestavit; neque cognatae suae Elisabeth exposuit magna illa, quae Deus ipsi fecerat. Dona etiam interna intellectus ac voluntatis supra relata adeo occultavit, ut etiam in Scriptura sacra nihil de iis extet. Praeterea apparitionem Filii resurgentis et innumeros Dei favores clam omnes habuit, seposito omni praetextu divinae gloriae, vel salutis proximi ex propalatione procurandae; proinde perfectissime imitata est Filium suum, usque ad trigesimum annum omnes thesauros divinitatis suae, et sapientiae et sanctitatis occultantem. Idipsum a nobis faciendum, atque ideo, sicut thesaurus absconditur, ut servetur, ita, ne vel merita nostra imminuantur, vel auxilia specialia gratiae praepediantur, et ante tempus merces absumatur recepta, omnes actiones laudabiles, quin etiam ipsa talenta et dona, tam naturalia quam supernaturalia silentio involvenda sunt ac celanda. Sit *vita* nostra *abscondita cum Christo in Deo* (Col. 3, 3).

Punctum II. Non tantum ab aliis aestimari, vel laudari noluit B. Virgo, sed neque seipsam aestimavit neque sibi quidquam attribuit. Verum ita Deo adscripsit omnia, ut neque sibi ulla in re complaceret, neque aliis placere sustineret; unde solum Deum magnifaciebat, et ab aliis magnifieri volebat; in se vero vilitatem conditionis servilis

sive ancillae respiciebat. Sic et nos respiciamus potius ad nostram vilitatem, quae ratione innumerorum defectuum ac imperfectionum sane maxima est, et ad auctorem omnis boni, si quid in nobis est, omnem nostri aestimationem et laudem a nobis repellamus, et in Deum referamus.

Punctum III. Alios honore praevenire, et in illorum gratiam abjectis officiis occupari, honorata autem refugere, insigni humilitatis exemplo nos docuit B. Virgo, quando cognatam suam prior obsequiose invisit, eidem in functionibus vilissimis inservivit, familiam tenuem, sicut fabri uxor, in mariti et Filii gratiam administravit, quaevis vilissima munia domus peregit, nec quidquam eorum sibi vindicavit, quibus summam suam sapientiam ostentare potuisset; sed solum familiaribus colloquiis de rebus spiritualibus ceteros adjuvit.

Meditatio XXV.

(Feria IV. infra hebd. IV. Adv.)

S. Joseph dubitat de Sponsa gravida dimittenda.

Matth. 1, 18 sq.

Punctum I. *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto* (Matth. 1, 18). Considera imprimis, quid in hac re gesta, et a S. Matthaeo c. 1 recensita, Deus egerit: permisit enim, ut B. Virgo fieret aliquomodo suspecta de adulterio, et S. Joseph incideret in gravem tristitiam ex apparentia illatae gravissimae injuriae contra fidem matrimonii, quamvis hoc impedire facillime potuisset, si Angelum ad B. Virginem missum mox ad S. Joseph transmisisset, vel mysterium immediate Sancto Joseph, sicut Elisabethae et Joanni Baptistae revelasset. Praeterea permisit Deus, ut haec utriusque afflictio aliquamdiu duraret, donec proxime ad divortium veniretur. Interea tamen suppeditavit Deus efficacissima auxilia, ut tam B. Virgo, tam S. Joseph

omnia cum virtute agerent, illa humilitatem, iste patientiam et mansuetudinem, uterque prudentiam et mutuam charitatem inviolatam teneret. Si Deus sic cum veneranda Matre sua et Patre nutritio egit, gaude, si etiam tecum sic agat. Sed pete et cura, ut te iisdem virtutibus praemuniat.

Punctum II. Considera deinde, quid B. Virgo egerit in hac gravissima de se dubitatione. Tulit eam patientissime, nec innocentiam tuam purgavit, sed divinae voluntati ad quamcunque sui confusionem se penitus resignavit, ac fiduciam suam omnem in Deo fixit, probe gnara, eum, qui beatae Elisabeth et Joanni Baptistae mysterium virgineae suae foecunditatis revelasset, detecturum et probaturum etiam Sancto Joseph suam innocentiam, si necesse foret. Disce exemplo B. Virginis, quamcunque vilem de te opinionem patienter et cum silentio, sine allatis excusationibus et adhibitis honoris defensionibus, perferre. divinae voluntati et dispositioni te ex integro committens cum plena conformitate et fiducia.

Punctum III. Considera denique, quid S. Joseph egerit. *Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam* (Matth. 1, 19). Charissimam Sponsam suam nec verbulo contristavit, nihil ipsi exprobravit, nec apud alios conquestus est, sed omni, quo poterat modo, honorem illius integrum, et ab omni infamia salvum servare decrevit. Nihil ex repentino animi motu, sed omnia ex prudenti consilio egit. Pari ratione nobis quoque offensae ab aliis illatae sunt perferendae. Procul porro absit a nobis, ut aperte vel occulte Mariam dimittamus ex animo et amore nostro, ut nec ipsa nos unquam deserat, praesertim in fatali mortis hora. Deinde expende verba Evangelistae. Quamvis enim S. Joseph absque temeritate potuisset malum suspicari de B. Virgine, cum viderit praegnantem, et hoc non provenire a se, miraculum autem et mysterium ignoraverit, ideoque de eo ab Angelo primum edoceri debuerit (ob quam causam S. Chrysost., S. Augustin. Epist. 52 ad Macedon., S. Justinus, Franciscus Lucas, et alii plures censent, illum suspicionem mali habuisse, saltem infirmam ac dubiam), quia tamen *Justus* fuisse dicitur et nec voluisse Sponsam suam traducere, sive

diffamare dando libellum repudii, nec apud illam manere, nondum determinate cognitâ illius innocentiâ; ideo crede, ipsum suspendisse suum judicium, et absque assensu in alterutram partem dubitasse, an nocens vel innocens sit,[1]) quum sciret, potuisse vim ac violentiam passam esse, vel potuisse Virginem concepisse, juxta notum sibi vaticinium Isaiae, quod brevi implendum esse a multis credebatur. Sic ergo et tu suspende tuum assensum, quamdiu proximi mala actio commode potest excusari, cum praecipue etiam signa in speciem admodum luculenta non raro fallunt.

Meditatio XXVI.

(Feria V. infra hebd. IV. Adv.)

S. Joseph de mysterio incarnationis edocetur.

Matth. 1. 20. 24.

Punctum I. *Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* (Matth. 1, 20).

Attende, quomodo Deus suo tempore B. Matrem nihil pro honore suo sollicitam criminis suspicione eripuerit, Sanctum Joseph a gravi animi afflictione liberaverit, et in praemium tum aliarum virtutum, tum illarum maxime, quas in hac ipsa sua afflictione exercuerat, eum tanquam mansueti Davidis, et viri omnem divinam voluntatem facientis filium, Maritum suae Matris, et Patrem nutritium sui Filii, ac proinde etiam ministrum circumcisionis constituerit. Sic Deus sui honoris prodigos defendit, sic a tribulatione li-

[1]) Vel potius ipsius animum ob rei novitatem fluctuasse, eumque, persuasum de Sponsae suae innocentia, tamen incertum fuisse, quid juste agendum esset, et demum optimum duxisse, Sponsam occulte dimittere, Deo omnia relinquendo.

berat, sic diligentibus Deum ipsa adversa cooperantur in bonum (Rom. 8, 28).

Punctum II. A Deo ad Angelum nunc mentem converte et perpende, quod in somnis apparuerit Josepho: quod familiarissime cum illo fuerit conversatus, nomine suo et genuinum Davidis filium, non tam ratione nativitatis, quam avitae virtutis eum compellans: quod moerentem sit consolatus: quod dubitantem et ignorantem plene docuerit divinum mysterium: quod praeceptum divinum de conjuge ducenda, et Nomine Jesu Filio imponendo plene persuaserit. Sic Angeli Custodes pro nobis dormientibus vigilant, in adversis visitant et solantur, intellectum illuminant, voluntatem impellunt. O quantam reverentiam, charitatem, gratitudinem, obedientiam Angelo tuo debes!

Punctum III. *Exurgens autem Joseph a somno, fecit, sicut praecepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam* (Matth. 1, 24).

Disce obedire Angeli Custodis inspirationi, sicut S. Joseph jussa Angeli diligenter executus est. Ad hoc enim hortatur et impellit ipsius Domini Dei jussio (Exod. 23, 20): *Ecce, ego mitto Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes; quia non dimittet, cum peccaveris* (quin te arguat, et interna reprehensione corripiat), *et est nomen meum in illo* (i. e. meo nomine et auctoritate, tanquam legatus, me repraesentans, omnia agit, et praecipit). *Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia, quae loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te, praecedetque te Angelus meus.* Expende ergo, quid ab Angelo tuo Custode accipias, quid vicissim ei debeas, et quid pro observantia ac obedientia Angelo praestita Deus tibi promittat et retribuat. — Perpende etiam, quantâ cum reverentiâ S. Joseph accesserit ad sanctissimam suam Sponsam, ipsius officio se totum oblaturus. Accede et tu ad tantam Dei Matrem, et cum beatissimo ejus Sponso ipsius te plane devoveas servitio. *Ego servus tuus, et filius ancillae tuae* (Ps. 115, 16).

Meditatio XXVII.

(Feria VI. infra hebd. IV. Adv.)

De tempore Nativitatis.

Luc. 2, 6.

Punctum I. *Impleti sunt dies, ut pareret* (Luc. 2, 6). Considera, quomodo Christus in utero Matris per novem menses, pleno usu rationis praeditus, continuos actus charitatis divinae, adorationis, gratitudinis pro unione hypostatica et maximis bonis, oblationis et resignationis in divinam voluntatem, zeli, charitatis et misericordiae erga homines, deprecationis pro eorum peccatis et pro eorum salute, desiderii patiendi omnes miserias, contemptum, ac denique ipsam mortem crucis, sine intermissione exercuerit, et praemeditando omnia, quaecunque acturus vel passurus erat per totam vitam, perfectissime disposuerit ac secum ordinaverit (cfr. Hebr. 10, 5 sq.; 12, 2). Sic et tu ex continua vitae ac mortis Christi meditatione ad ejus exemplum, quaecunque tibi agenda vel sustinenda sunt, dispone. Sic ex contemplatione et matutina meditatione, ac spirituali solitudine in lucem prodi ad homines et ad functiones externas; sic animum continuis virtutum actibus occupa; sic omne tempus utilissime impende, nec quidquam per otium, confabulationes, vel occupationes inutiles aut absque bona intentione peractas, dilabi sine.

Punctum II. Considera, quomodo B. Virgo continua meditatione praesentiae Christi secundum divinitatem et humanitatem in utero suo, in vitae integritate ac sanctitate profecerit. Cogita, te quoque templum Dei esse, et a Christi divinitate ac humanitate omnia tua interna et externa cognosci, atque sic ex continua meditatione praesentiae divinae similiter profice.

Punctum III. Considera, quam avide B. Virgo et S. Joseph expectaverint tempus pariendi, ut Homini Deo inservirent. Tale sit tuum desiderium Deo serviendi, ac hominibus tamquam Deo, per obsequia charitatis. Avide

etiam expectavit ipse Christus impletionem temporis, ut pareretur, et ut molestias stabuli, frigoris, paupertatis et alias vitae suae miserias citius et diutius experiretur. Hujusmodi enim patiendi desiderium ipse aliquando indicavit, quando dixit: *Baptismo habeo baptizari* (nempe baptismate sanguinis sui), *et quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* (Luc. 12, 50.) Tale sit iterum tuum desiderium. Noluit tamen Christus praevenire impletionem temporis debiti, ut et tu tempus actionibus tuis debitum, nempe orationi, meditationi, piae lectioni, studio litterarum, faciendo vel audiendo Sacro, etc. constanter impleas. Impleto autem tempore pariendi, nullas Christus ex utero materno prodeundi moras traxit. Sic omnes statim, vel imperfecta littera relicta, ad id, ad quod vocantur, se conferant, et singulas actiones pro tempore peragant.

Meditatio XXVIII.

(Sabbato. — Vigilia Nativ. Dom.)

De profectione a Nazareth.

Luc. 2, 4 sq.

Punctum I. *Ascendit autem et Joseph a Galilaea de civitate Nazareth in Judaeam civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante* (Luc. 2, 4 sq.). Deseruit B. Mater cum Marito suo commoditatem habitationis humanae, lectique, in quo nasciturum Infantem reclinaret. Neglexit solatium et opem a vicinis suis accipiendam, qui, sicut in nativitate Joannis factum est, gratulaturi procul dubio convenissent. Suscepit iter a Nazareth in Bethlehem, quae urbs Jerosolymâ adhuc est remotior, et duabus ab illa horis distat; unde via triduanâ facile major ametienda erat, cum magna tum ipsius B. Virginis, ut quae partui jam proxima erat, tum divinae

Prolis incommoditate, quae tamen, in quantum Deus erat, ita disposuit; in quantum autem homo, hanc sibi occasionem voluit et elegit, ut et suo et sanctissimae Matris suae exemplo perfectam paupertatem, honorum, gratulationum, commoditatum omniumque, quae mundus quaerit, contemptum nos doceret.

Punctum II. Causa hujus profectionis fuit mandatum Octavii, sive Octaviani Augusti, censum in singula capita sibi subjectorum, et obedientiae sibi praestandae professionem exigentis, et ex cognita multitudine subditorum potentiam et divitias suas experiri volentis. Neque praetenditur justa ratio excipiendi, vel differendi ultra puerperium, aut solum maritum mittendi, ut etiam praegnantis uxoris nomine profiteretur. Noverat enim B. Virgo, utpote sacrae Scripturae peritissima, juxta prophetiam Michaeae (5, 2), quam sibi pro praecepto ducebat, Filium suum in urbe Bethlehem gignendum esse. Per haec docemur perfectam obedientiam, et modum, Superiori, quacunque ex intentione aliquid mandanti, fortiter, prompte, integre, humiliter obediendi, etiamsi difficilia et ingrata mandet.

Punctum III. Considera summam patientiam, quam exercuit Virgo tenera et praegnans, cum nullo aut exiguo instructa viatico, tempore hiemali, nonnisi pedibus, aut asello vecta, sat longum iter emensa est. Considera dein solicitudinem et charitatem S. Josephi, exhibitam suo Uxori in via: et virtutes utriusque imitare. Imaginare etiam tibi, te videre, qua humilitate, patientia, et mansuetudine sanctissimi Conjuges hospitium ostiatim rogent, urbemque patriam, longo jam itinere fessi, usque ad noctem perambulent, repulsae contemptum et saepe aspera ac contumeliosa verba substineant. Hinc disces ferre repulsos obsequiorum, verba aspera, mordacia et contumeliosa, illatos contemptus, rerum necessariarum defectum. Considera denique ingressum in plenum sacri horroris stabulum ejusque incommoditates, ubi nec mensa, nec sella ad quietem a fessis captandam, nec quidquam ad usum, et ad puerperium necessarium in promptu erat. Quae omnia B. Virgo et S. Josephus cum gaudio perferebant, unice tamen dolebant ob incommoda Dei Filio nascituro toleranda; simul autem hac divina et

sapientissima Dei dispositione erudiebantur et confirmabantur in ferenda paupertate, contemptu et molestiis hujus vitae. Tu pariter animum indue ad aspera quaeque prompte acceptanda. Neque vero, ut inhumanae Bethlehemitae, Christum e cordis diversorio exclude, aut ut in eo, velut stabulo brutarum ac efferatarum cupiditatum divertat, compelle.

PARS II.

A Nativitate Christi usque ad Dominicam in Septuagesima.

Meditatio XXIX.

(Dominica. — In festo Nativ. Dom.)

De Nativitate Domini.

Luc. 2, 6 sq.

Punctum I. *Factum est autem, ut essent ibi* (in urbe Bethlehem), *impleti sunt dies, ut pareret: et peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio* (Luc. 2, 6 sq.). Considera, quod, sicut B. Virgo non concepit Filium suum propria virtute, sic nec eum genuerit sine speciali concursu Omnipotentiae divinae, qua coelestis Sponsus progressus est de thalamo suo, et divinus justitiae sol ex aurora prodiit sine omni dolore, sine corruptela et macula Matris purissimae. Speciali etiam Dei providentia et sapientissima dispositione factum est, ut tam B. Virgo servaretur immunis a dolore et miseria aliarum matrum parientium, quemadmodum concepit sine voluptate carnali, et concepta est sine macula originali; quam ut e

diverso ipse Filius omnia incommoda et miserias infantium, quarum capax erat, sustineret; ut scilicet frigore hiemali expiaret frigus cordis humani, tenebris nocturnis dissiparet tenebras intellectus humani, stabuli foetore lueret abusum et profanationem Paradisi, et hominem in stabulo quaereret, ac inter bruta animantia (qui ut dicitur Ps. 48, 13 per peccatum *Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis)*, infra homines ad bestias abjiceretur, expertes rationis, ad eluendam superbiam hominum, qui voluerunt esse: *Sicut Dii, scientes bonum et malum* (Gen. 3, 5). Per divinam ergo sapientiam factum est, ut Nativitas Filii Dei esset plena mysteriis; bonitas Dei autem effecit, ut Deus Filium Unigenitum daret, et quemadmodum eum sibi ab aeterno genuit in natura divina, ita hominibus per Virginem Matrem, et miraculosum Omnipotentiae suae concursum generaret in tempore illo secundum naturam humanam, repetens illud: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Ps. 2, 7), et quidem genuit hominibus summe indigentibus, summe indignis, et summe ingratis. Unde sive spectemus, quis dederit, sive quid dederit, sive ubi, sive quibus dederit, sive quare, quomodo et quando dederit, undique elucet divina Bonitas. Ideo in primo hoc puncto tres praedictas perfectiones divinas admiratione, laude, gratiarum actione, gratulatione venerabimur, nosque propter indignitatem et ingratitudinem humiliabimus, et cum Christo ad mundi hujus miserias fortiter tolerandas renascemur, ab omnipotentia, sapientia et bonitate Dei auxilia petentes contra peccata, quae ex humana infirmitate, imprudentia et malitia commisimus, ne denuo recidamus.

Punctum II. Considera, ipsum natum Infantem sponte sua ex utero materno in his circumstantiis progressum esse. Venit enim, ut faceret voluntatem Patris sui, et venit quaerere et salvum facere, quod perierat. Itaque in parvulo corpore progressus est magno animo velut gigas, incipiens statim opus redemptionis patiendo, et docendo per exempla. Offeramus nos ipsi in discipulos et imitatores, ad procurandam nostram ac alienam salutem. Perpendamus etiam, quod nos ipsi quoque in hunc mundum nati, et per religionem in Spiritu renati sumus ad obediendum et patiendum.

Punctum III. Considera denique S. Matris et S. Josephi functiones, quibus in hac Filii nativitate distinebantur. Externae actiones aliae non memorantur, quam quod Evangelista Lucas de Matre dicat: *Et pannis eum involvit, et reclinavit in praesepio.* Ad quod etiam S. Josephum operam suam junxisse, credibile est. Hinc autem disce, quomodo exigua quoque opera, Dei causa suscepta, cum magnarum virtutum meritis praestari possint. Expende itaque, qua interna humilitate, ambo SS. Parentes obsequia sua nato Infanti exhibuerint, quam viva fide, et summo gaudio, quo praeteritae molestiae et afflictiones quaecunque abstergebantur, coram se jacentem aspexerint Deum-Hominem (loco vel divinitus illustrato, ut etiam pastores coelesti luce circumfusi sunt, vel a S. Josepho lumine accenso), quam devota adoratione in genua procidentes (multo magis, quam deinde tres Magi), illum venerati sint, et velut duo Seraphini amore ardentes, et contemplatione defixi per totam noctem coram illo haeserint. Similes actus nos quoque eliciemus, et deinde in S. Communione repetemus, quando idem divinus Infans non fasciis, sed speciebus Eucharisticis involutus, non in praesepio, sed in lingua et sub corde nostro reclinabitur.

Meditatio XXX.

(Feria II. — Die I. post fest. Nat. D.)

De Infante in praesepio reclinato.

Luc. 2, 7.

Punctum I. *Et peperit Filium suum primogenitum et pannis eum involvit, et reclinavit in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio* (Luc. 2, 7). Considera humilitatem hujus infantis, qui dum per omnia se gerit veluti elinguem, rationis inopem, infirmum, aliisque infantibus simillimum, abscondit divinitatem suam, et omnes thesauros sapientiae et sanctitatis, virtutumque internarum: ut

doceat fugere omnem jactantiam, ostentationem, ac propalationem rerum in nobis aestimabilium; contra quaerere ac desiderare, ut nos et nostra alios lateant, et velut infantes, ad omnia inutiles reputemur.

Punctum II. Charitatem erga genus humanum ex vagitu et fletu collige. Causa enim flendi potissima non sunt propriae Infantis, sed nostrae miseriae, et peccata, ac ignorantiae nostrae excoecati et coelestium ignari intellectus. Conare ergo lacrymas huic Infanti abstergere, emendando ea, quae in te sunt fletu digna, et vicissim illacrymare ac condole Infanti propter ea, quae modo patitur, et quae passurus est, et quae deinceps sibi creatura praesagâ jam mente liquido videt.

Punctum III. Meditatione perpende omnia, quae nunc maxime ejus patientiae sint materia, et quomodo, et qua intentione singula patiatur, scilicet paupertatem, dolorem et contemptum, utque jam nunc decernat hos tres comites nunquam a se dimittere, et hoc quidem Patris coelestis ac nostri amore, ut eorum proficiamus exemplo, et merita augeamus. Quos proinde comites etiam tibi deliges propter Dei beneplacitum, proprium meritum, et grati erga Christum animi testimonium.

Meditatio XXXI.

(Feria III. — Die II. post fest. Nat. D.)

De Angelorum in Christi Natali exultatione.

Luc. 2, 13.

Punctum I. Sicut cognati et vicini in nativitate S. Joannis Baptistae congratulabantur Elisabethae: ita Angeli, Vicini in coelo, Verbo incarnato et generi humano venerunt applaudentes et congratulantes: *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis, laudantium Deum et dicentium: Gloria in Altissimis Deo, et in terra*

pax hominibus bonae voluntatis (Luc. 2, 13). Quantum vero fuerit gaudium Angelorum, ex Christi verbis conjici potest; si enim, ut refert S. Lucas (15, 7), est gaudium magnum corum Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, et in sedem ab Angelorum aliquo in coelo desertam succedente: quantum erit gaudium super uno, omnium hominum peccata portante, et pro illis poenitentiam et satisfactionem praestante, ut innumerae sedes vacuae repleantur? Disce a Christo, non hominum, sed Angelorum applausum quaerere atque appetere, illosque tibi cupias occulte gratulari, quando coelo per virtutum merita renascaris. Disce ab Angelis, aliorum felicitate gaudere.

Punctum II. Attende, *quibus* Angelî Nativitatem Christi annuntiaverint, nempe non longe a Christo remotis, sed in regione eadem existentibus et custodientibus vigilias sive vigilantiam; humilibus insuper ac rudibus, non sapientiam aut scientiam suam extollentibus; praeterea pascua praebentibus, scilicet suae et proximorum saluti apta media providentibus. Observa etiam, quales auditores Angeli sibi delegerint ad Evangelium illis praedicandum, ne plausum sibi aliquem aucupari viderentur. Tales tibi opta auditores, et cum humilibus ac rudibus sit conversatio tua, eorumque salutem impensius cura.

Punctum III. Expende verba Angelorum, ex quibus constat, quod Christus natus sit omni populo; unde sine loci aut personarum discrimine aliorum salutem procurare debemus. Ex iisdem verbis patet, quod nobis, non sibi, sit natus Christus, et quidem unice ad curandam nostram salutem, adeoque non ad propria commoda ac lucra sectanda, non ad saecularia negotia gerenda, quae parum utilia, nec fini proposito convenientia sunt. Unde etiam non nobis vivamus, sed Deo et proximo: nobis ipsis autem moriamur.

Meditatio XXXII.

(Feria IV. — Die III. post fest. Nat. D.)

De cantico angelico: Gloria in Altissimis, etc.

Luc. 2, 14.

Punctum I. Considera, in hymno angelico contineri totam intentionem, quam in sua nativitate, et in omnibus suis actionibus Christus habuit, et nos habere oportet. Primam partem, quâ gloria Dei accinitur, impletum esse constat: 1) Manifestatione omnipotentiae, sapientiae, misericordiae, et aliorum attributorum Dei ad nativitatem Christi cooperantium; 2) subjectione voluntatis seu obedientia, quam Christus aeterno Patri perfectissimam praestitit, ut merito dicere potuerit: *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me* (Joan. 5, 30); 3) reparatione honoris laesi, nempe satisfaciendo pro offensis generis humani; 4) propagatione gloriae divinae; hinc moriturus Patri dixit: *Ego te clarificavi super terram* (Joan. 5, 30) et: *Manifestavi nomen tuum hominibus* (v. 6). Sequere exemplum, imple votum angelicum, et omnia fac ad majorem Dei gloriam.

Punctum II. Considera, alteram partem hymni impletam esse: 1) Quia per Christum reparata et pax cum Deo: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus* (Rom. 5, 10). 2) Quin etiam pax mutua inter homines stabilita est, dum charitatem mutuam singulari ac iterato praecepto Christus mandavit, et esse signum, quo suam discipuli erga se magistrum observantiam testarentur (Joan. 13, 35). 3) Quia homini secum ipso pacem habendi modum tradidit, continua sui abnegatione et subjectione appetitus sensitivi. Hanc triplicem pacem Christus precari solitus est usitato illo: *Pax vobis;* quam ipse bene precandi formulam discipulis suis solemnem esse voluit, si quam forte domum ingrederentur (Matth. 10, 12). — Ita Christus, *princeps pacis* (Is. 9, 6), —

pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt (Col. 1, 20), pacis plenitudinem toti mundo attulit; haec igitur *pax Christi exultet in cordibus* nostris! (Col. 3, 15).

Punctum III. Considera, quibus modis haec triplex pax conservari et augeri possit ac debeat: hos indicat Thomas Kempensis (lib. 3, c. 23). Christum ipsum inducens ita loquentem: *Fili, docebo te viam pacis et verae libertatis. Stude, fili, alterius potius facere voluntatem, quam tuam. Elige semper minus, quam plus habere. Quaere semper inferiorem locum et omnibus subesse. Opta semper et ora, ut voluntas Dei integre in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis et quietis.*

Meditatio XXXIII.

(Feria V. — Die IV. post fest. Nat. D.)

De advocatione pastorum.

Luc. 2, 15 sq.

Punctum I. *Et factum est, ut discesserunt Angeli ab eis in coelum, pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum,* etc. Ecce! postquam claritas Dei, quae circumfulsit illos, jam disparuit; postquam solatium Angelicum, a timore erigens, cessavit; postquam voluptas spiritualis ex concentu Angelorum orta desiit; postquam pastores sibi ipsi relicti sunt: se invicem colloquiis et mutuis exemplis excitant ad invisendum, adorandum, et munusculis honorandum natum sibi hodie Salvatorem. Quamvis ergo lumina, solatia, et gaudia spiritualia, in meditatione et exercitiis sacris hausta, jam desierint, executioni tamen danda sunt, quae prius jucunda et suavia voluntati nostrae videbantur. Praeterea nos ipsos piis colloquiis et bonis exemplis ad optima quaeque excitemus.

Punctum II. *Et venerunt festinantes* (Luc. 1, 16). Sic inspirationes divinae, et vocatio interna Angeli Custodis, vel externa Superioris aut alicujus Regulae, prompte ac celeriter exequenda, etiam non intercedente obligatione aut praecepto, quemadmodum nec Angelus interposuit praeceptum veniendi ad Christum. Et quemadmodum pastores sociati cum festinatione venerunt ad Christum: ita et nos agnoscamus, quantum ad celerem progressum in virtute momenti habeat societas et vita inter plures communi fervore, et sub iisdem legibus instituta.

Punctum III. *Et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in praesepio* (v. 16). O quantos thesauros invenerunt! Merito praeter hos nihil aliud memoratur, quia isti sufficiunt, et nihil aliud amandum, aut quaerendum est; haec enim *Tria sunt omnia.* Horum auxilio invenis omnium peccatorum remedium et veniam; horum exemplo invenis omnium virtutum ideam; horum patrocinio invenis omnium bonorum et gratiarum abundantiam. — Sic et tu ut Maria et Joseph, cum Christo, fidelis esto socius Jesu; tunc etiam Deus fidelis erit erga te et thesauris ejus repleberis, sicut Maria et Joseph. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri* (1. Cor. 1, 9).

Meditatio XXXIV.

(Feria VI. — Die V. post fest. Nat. D.)

De reversione pastorum.

Luc. 2, 17—20.

Punctum I. *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de Puero hoc. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: et de his, quae dicta erant a pastoribus ad ipsos* (Luc. 2, 17 sq.). Ea, quae de Christo nobis dicuntur, nempe de ejus paupertate, humilitate, et patientia, non tantum debemus mirari, sed imitari; ut autem

hoc fiat, debemus etiam videntes cognoscere de verbo hoc, sicut pastores; nempe videntes, sive claram cognitionem nobis comparantes per meditationem continuam et mentis reflexionem, ut data occasione imitemur, quod videmus: eam vero cognitionem augere debemus per lectionem spiritualium librorum, et per propriam experientiam exercitationemque virtutum.

Punctum II. *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo* (v. 19). Sic ea, quae legimus, audimus, aut meditamur de Deo et rebus divinis, memoria tenenda, et frequenter recolenda et expendenda sunt, nec admittendum, ut e mente nobis evellantur per dicta et facta aliorum contraria, vel per nimiam animi effusionem in negotia, gaudia terrena, et creaturas. Neque tantum in corde conservanda sunt verba et divina eloquia, sed etiam conferenda cum factis et operibus nostris. Quia, ut inquit Ecclesiasticus (15, 16): *Si volueris mandata servare,* ipsa *conservabunt te,* si nempe ea conservabis, conferens in corde tuo.

Punctum III. *Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum, in omnibus, quae audierant et viderant* (v. 20). Pastores statum repraesentant hominum saecularium, quibus tantum per intervalla concessum est, adhaerere Christo; B. Virgo autem, et S. Joseph repraesentant eos, qui degunt in familia Christi, qui eidem semper adstant, et adhaerent, quibuscunque functionibus propter Deum occupentur. Sicut tamen pastores a Christi adoratione redierunt; ita ex oratione et meditatione digredi debemus, glorificantes et laudantes Deum, ut scilicet devotione et amore accensi procuremus gloriam et laudem Dei per functiones nostras subsequentes. Alii quoque a nostra conversatione et sermone sic recedant, ut laudent Deum in omnibus, quae audierant et viderant; atque adeo impleatur in nobis illud Christi monitum: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* (Matth. 5, 16). Non autem quaeramus nostram laudem ex vitae exemplis, quae aliorum oculis, neque ex verbis, quae aliorum auribus subjicimus.

Meditatio XXXV.

(Sabbato. — Die VI. post fest. Nat. D.)

De tempore Circumcisionis.

Luc. 2, 21.

Punctum I. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, etc.* (Luc. 2, 21). Considera, quot dies vitae tuae, et praesertim toto hoc anno elapso consummati sint, et quam tibi post eos, non tam consummatos, quam perditos et male impensos, necessaria sit mentis circumcisio. Itaque perpende, quomodo consummatos dies transegeris, quae peccata, et quos defectus in observatione Regularum, votorum, et functionibus tuis commiseris; deinde quid boni omiseris, quam parum tuae satisfeceris obligationi, quantumque temporis male ac inutiliter impenderis, quod tibi tamen ad aeternos thesauros comparandos prorogatum est. Dole, veniam precare, etc. Sequenti anno tempus redime per emendationem, et elapsi anni jacturam novo fervore compensa.

Punctum II. Considera obligationem circumcisionis, etiam ex titulo gratitudinis propter beneficia toto anno elapso a Deo, a Christo Domino, a B. Virgine, ab Angelo Custode, a SS. Patronis ac a tota coelesti Curia, in anima, corpore, et in functionibus tuis tibi immerenti, indigno, et ingrato collata. Itaque illa grata memoria recole, et digna aestimatione perpende. Gratias age, ingratitudinem tuam detestare, firmum emendationis propositum concipe, ac beneficiorum continuationem cum gratia efficaci illis recte utendi supplex exposce. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* (Ps. 115, 12).

Punctum III. Considera, quid et quo modo per mentis circumcisionem emendandum et rescindendum sit, quae causae, quae occasiones defectuum removendae; quae media adhibenda ad perfectionem acquirendam, et ad annum sequentem melius transigendum, ut Ecclesiastici (14, 14) sapientissimum consilium explens: *Non defrauderis a die bono, et particula boni doni* (i. e. temporis) *non te prae-*

tereat. Sic etiam S. Paulus (Ephes. 5, 15) hortatur: *Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis; non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus.*

Meditatio XXXVI.

(Die 1. Januarii. — In festo Circumcis. Dom.)

De Circumcisione.

Luc. 2, 21.

Punctum I. *Postquam consumati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.* Considera, quod licet Christus vi legis Mosaici non teneretur subire circumcisionem, tamen Pater coelestis a Filio suo eam subiri voluit, et per Angelum mandans impositionem nominis Jesu, quo scilicet in circumcisione donaretur. B. Virgini ac S. Josepho decretum suum tacite insinuaverit (Luc. 1, 31: Matth. 1, 21); ut ostenderet mundo suum amorem, quo impellente Filium suum Unigenitum illi dedit, et ita dedit, ut proprio Filio non pepercerit, non tantum pro nobis eum tradendo in mortem, verum etiam ad effusionem sanguinis in ipsa infantia. Proinde nec nos debemus differre nostram liberalitatem erga Deum in rebus arduis. Eam praeterea ob causam noluit Pater coelestis Filium suum eximere a Circumcisione, ne filii adoptivi cupiant eximi ab adversis; solet enim Deus etiam charissimis suis filiis, imo magis, quam reprobis, immittere adversa, quibus circumcidantur.

Punctum II. Sicut B. Virgo et S. Joseph apud Angelum, circumcisionis nuntium, non opposuerunt immunitatem a lege; sic adveniente octavo die coecâ quadam obedientiâ, sine respectu ad disparem conditionem sui Filioli, fortiter renitentes amori parentibus ergo filios insito, et proprio honori (cui prolis circumcisio, veluti si amisso Virginitatis decore ex matrimonio illam genuisset, palam adversabatur), praeceptum divinum per Angelum sibi propositum executi sunt, pulchro nobis relicto exemplo, etiam hominibus tanquam divinae voluntatis interpretibus, coece.

fortiter, et humiliter, in rebus arduis et minus nobis honorificis obediendi. Quamvis autem aliqui putent, circumcisionem in ipso stabulo per sacerdotem vel levitam fuisse peractam, longe tamen probabilius est, administratam esse vel ab ipsa B. Virgine, ut multi viri pii existimant apud Salmeronem, non dissentientem, idque confirmant exemplo Sephorae, quae typus erat B. Virginis, propriumque filium circumciderat; — vel a S. Josepho, cum, sicut necesse non fuit circumcisionem in templo fieri, sic neque necesse fuerit, fieri a ministro sacro. Unde patet, obedientiam B. Virginis et S. Josephi fuisse vel maxime arduum, ideoque admodum virtuosam, et talem etiam nostram esse debere obedientiam.

Punctum III. Quia Christus plenum habuit usum rationis, hinc certum est, sponte a Christo fuisse susceptam Circumcisionem, imprimis ut Patri coelesti praestaret perfectissimam obedientiam, et sanguinis sui primitias veluti primos fructus liberaliter offerret, animique promptitudinem ad totum aliquando sanguinem pari amore fundendum demonstraret. — Deinde ut hominibus ostenderet propensam charitatem ad offerendum pro ipsis pretium sanguinis sui in quavis gutta infinitum; unde vicissim homines impellerentur ad se totos liberali amore reddendos, tam in occasionibus levioribus Circumcisioni similibus, quam in gravioribus crucifixioni comparandis. — Denique ut circumcisione carnali praeberet exemplum et incitamentum ad circumcisionem spiritualem, per rescissionem omnium eorum bonorum, quibus per vota religiosa homo se abdicat, et per amputationem omnium inordinatarum cupiditatum generosa alacritate exequendam. Ita segregati ab omni inquinamento et scoria peccati, puri ad Deum accedamus ac foedus cum Ipso ineamus, uti in baptismo nostro factum est (cujus typus in V. T. Circumcisio erat, quo et peccatum originis secundum aliquos et certo sensu condonatum et conjunctio cum populo Dei completa fuit); cum igitur simus populus et possessio Dei (1. Petr. 2, 10), et nomen ab Ipso acceperimus (Apoc. 2, 17): etiam peccato et mundo moriamur, et soli Deo vivamus! Simus oblatio munda et immaculata, sicut Christus, qui *dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (Eph. 5, 2).

Meditatio XXXVII.

(Die 2. Januarii.)

De circumcisione interna.

Coloss. 2, 11.

Punctum I. Per hoc et sequentia puncta perpende actus internos a Christo elicitos, et externae circumcisioni respondentes: quâ in re si Christum imitabimur, idem ex epistola S. Pauli ad Colossenses (2, 11) elogium nobis promerebimur: *In quo* (scil. Christo), *et circumcisi estis Circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in Circumcisione Christi.* Itaque primus circumcisionis actus est humilitas, qua per susceptam circumcisionem non solum Christus abscondit infinitam suam sanctitatem, sed etiam veluti peccator indigus remedii videri voluit, egregium nobis praebens exemplum celandi sanctitatem, et subeundi libenter sinistram de nobis opinionem, vel etiam correctionem, ac reprehensionem innocentibus illatam a superioribus nostris; quemadmodum Pater coelestis: *Cum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (2. Cor. 5, 21), id est, circumcidi et crucifigi voluit, veluti habentem peccatum.

Punctum II. Alter actus internus est obedientia, qua nos docuit, nullam praetendere exemptionem, exceptionem, vel excusationem, etiam quando rationes et causae justae nobis suppeterent, neque expressa lex, aut praeceptum ad obedientiam urgeret, sed solus nutus et beneplacitum Dei, quo Christus unice impellebatur ad subeundam Circumcisionem cum aliis infantibus legi subditis.

Punctum III. Tortius actus est perfectissima charitas erga homines, quam patiendo aspera, et minima quaque non negligendo, maxime ostendit; nam circumcisionem perquam doloriferam, et non solo sensu tactus, sed etiam rationis usu percipiendam sustinuit animo acerbissima deinceps adhuc patiendi; et minimam occasionem fundendi sanguinem non neglexit, quantumvis facile supplendam acerbissima Passione, et morte crucis; nec adeo in oculis

hominum aestimabilem, utpote omnibus masculis communem: ut etiam nos in rebus ad speciem exiguis et communibus, saepe tamen nobis perquam molestis, vicissim Deo ac Christo charitatem nostram comprobaremus. In his enim vera et secura sanctitas consistit, utpote multum difficilibus, et parum gloriosis.

Meditatio XXXVIII.

(Die 3. Januarii.)

De nominis Jesu impositione.

Luc. 2, 21.

Punctum I. *Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur* (Luc. 2, 21). Considera, ab ipso Patre coelesti hoc nomen Filio suo esse decretum, et tam B. Virgini, quam S. Josepho per Angelum fuisse demandatum, ut illud Christo imponerent; quod cum Servatorem significet, patet, ideo a Patre coelesti fuisse per Angelum dictatum, quia Filium suum ipse misit, ut re et nomine esset Servator mundi; quam causam etiam significavit Angelus S. Josepho: *Et vocabis nomen ejus Jesum: Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (Matth. 1, 21). Magnam ergo tibi tum charitatem, tum fiduciam ergo Patrem coelestem pariat nominis hujus salutiferi impositio, quae etiam non sine causa a B. Virgine et a S. Josepho executione data est, quia Deus voluit per ipsos nobis applicari et impetrari merita Christi, ut proficua ad salutem, et ad omnia media salutis; atque ad hanc charitatem Patris coelestis erga genus humanum manifestandam, et ad utriusque SS. Parentis auctoritatem, et patrocinii potentiam evulgandam nomen illud, ac impositio illius publicata est toti mundo; quod a S. Jacobo (in Epist. c. 2) dicitur: *Nomen, quod invocatum est super vos,* — et adhuc invocandum est per Mariam et Josephum.

Punctum II. Considera, hoc nomen susceptum esse a Christo, non ut inde honorem et nominis celebritatem aucuparetur, sed ut illud re ipsa in gratiam sui Patris, et generis humani impleret, et fiduciam hominis erga se excitaret, ad quam plus valet, quam nomen patris, quo homines erga naturales parentes utuntur magna cum fiducia. Scit enim Filius Dei, quis, et quam ob causam donaverit sibi illud nomen, quod est super omne nomen, et praeter quod: *Nec aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. 4, 12). Disce etiam, quo fine suscipienda sint officia honorata, et tituli honorifici, scilicet, ut contemnamus honorem, et onus ac laborem in aliorum utilitatem suscipiamus.

Punctum III. Considera, quoniam Christus nomen suum re ipsa impleverit, tum in ipsa circumcisione fundendo sanguinem infiniti pretii, tum doctrina, exemplis sanctissimis, meritis virtutum innumeris, laboribus et doloribus maximis, vere Servatorem Mundi agendo. Sic nos impleamus nomen nostrum, qui sumus participes ejusdem nominis Jesu, et Christiani, aut socii Jesu vocamur. Nec, quantum in nobis est, sinamus imminui Nominis hujusce incrementum, quod tanto gloriosius evadit, quanto Christus plurium Servator est; unde illud nostra aliorumque salute procurata augetur. Ideo adhortatur nos psalmista regius: *Afferte Domino gloriam nominis sui* (Ps. 28, 2).

Meditatio XXXIX.

(Die 4. Januarii.)

De Nominis Jesu significatione, et exaltatione.

Matth. 1, 23; Phil. 2, 5—11.

Punctum I. Perpende excellentias Christi Nomine Jesu significatas. Nam quia nulla pura creatura poterat redimere mundum, de condigno satisfaciens pro peccatis hominum, et quia purus Deus non poterat praestare opera

satisfactoria: hinc per illud significatur nobis duplex Christi natura, quâ simul fuit Deus et homo; unde S. Matthaeus (1, 23) ait, illud Nomen idem significare, quod: *Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus.* Ex quo ulterius patet, hoc Nomine ex una parte significari et proponi venerandas, amandas, gratulandas, imitandas omnes perfectiones naturae divinae; ex altera parte significari omnes perfectiones naturae humanae, propter unionem naturae divinae illi debitas, adeoque omnes thesauros sapientiae, et scientiae, et gratiae, quemadmodum Joannes (1, 14) dicit: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Fac, ut per vitae sanctitatem, et scientiam de utroque participes.

Punctum II. Perpende gratias et favores, a Christo tamquam a Servatore, generi humano praestitos, ac proinde eodem Nomine significatos; ex quo patebit, varios titulos nostri erga Christum honoris ac amoris, gratitudinis, fiduciae, refugii, etc., dignissimo Jesu Nomine comprehendi, ut: patris, magistri, medici, pastoris, ducis, mediatoris, redemptoris, auctoris bonorum omnium, etc. Tu igitur vicissim gerere et implere debes titulos: filii, discipuli, curantis sanitatem, ovis, obsequentis subditi, reconciali, redempti, coelestibus bonis locupletati. Sic cum propheta Habacuc dicere poteris: *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo* (Habac. 3, 18).

Punctum III. Expende Nominis Jesu excellentiam, duplici similitudine expositam a Salomone ex prophetico instinctu. De illo enim in Cant. (1, 2) praedixit in persona sponsi Christum respiciens: *Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulae dilexerunt te.* Nempe sicut de libra unguenti nardi pistici, pretiosi, S. Joannes (12, 3) scribit: *Et domus impleta est ex odore unguenti:* postquam scilicet S. Maria Magdalena ad Christum in domum Simonis leprosi ingressa, -- *Fracto alabastro effudit super caput ejus* (Marc. 14, 3). Ita tota Ecclesia odore Nominis Jesu, id est, virtutum ex Jesu Nomine redolentium, impleta est, veluti adore fragrantissimi unguenti, per praedicationem in universo mundo effusi ac dilatati. *Si quidem, cum nomino Jesum,* ait S. Bernardus (serm. 15 in Cant.) *homi-*

nem mihi propono mitem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, etc. Haec omnia simul mihi sonant, cum insonuerit Jesus. Unde merito intulit Sponsa in Cant.: *Ideo adolescentulae* (animae scilicet, quae ex conspectis virtutibus Jesu in perfectione adolescunt, et incrementa sanctitatis accipiunt) *dilexerunt te.* — Alteram similitudinem proponit Salomon (Prov. 18, 10) inquiens: *Turris fortissima nomen Domini;* quam scilicet inimici nec conscendere propter altitudinem, nec subruere possunt propter fortitudinem. Ideo qui in tentationibus ad Jesum, nempe ad ejus auxilium, doctrinam et exemplum confugiunt, secure cum Davide (Ps. 43, 6) dicere possunt: *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nos.*

Meditatio XL.

(Die 5. Januarii — Vigilia Epiph.)

De Nominis Jesu invocatione et veneratione.

Act. 2, 21 etc.

Punctum I. Considera, quam efficax sit Nominis Jesu invocatio. *Omnis, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit* (Act. 2, 21). Quod iisdem verbis praedixit Joël (2, 32), et repetiit S. Paulus (Rom. 10, 13): Imo Christus ipse promisit apud Joannem (14, 13): *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Hinc Psalmista recte ait (Ps. 39, 5): *Beatus vir, cujus nomen Domini spes ejus.* Ut tamen invocatio Nominis Jesu praedictam vim habeat, et sit signum et causa nostrae praedestinationis ac salutis, omniaque per auctoritatem hujus Nominis impetrentur: *Discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini* (2. Tim. 2, 19).

Punctum II. Ut in Nomine Jesu aeternam salutem, et omnia ad illam conducentia bona impetrare mereamur, debita illud veneratione prosequamur, hortante regio vate (Ps. 112, 1): *Laudate pueri* (i. e. servi, qui Deo servitis) *Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, et usque in saeculum. A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.* Non solum autem verbis semper et ubique laudandum et venerandum est Nomen Domini, sed etiam et multo magis in omnibus factis nostris, sicut S. Paulus Colossenses (13, 17) admonet: *Omne, quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi.* Si enim Christus apud Matth. (10, 42) inquit: *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli: Amen dico vobis: non perdet mercedem suam.* Quid non impetrabit, qui, quidquid fecerit, in Nomine Jesu fecerit?

Punctum III. Non solum faciendo bona in Nomine Jesu, sed etiam propter illud et amore illius patiendo mala, Jesu Nomen venerandum est. Hinc discipulis suis praedicit (Luc. 21, 16): *Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis: et eritis odio omnibus propter nomen meum.* Quod vaticinium cum gaudio etiam expleverunt, ut dicitur in Actis (5, 41): *Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Hac autem Nominis sui veneratione magnopere delectatur Jesus; ideo de Apostolo gentium (Act. 9, 13) ipse dixit: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel: Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Quidquid ergo persecutionis ab hominibus, et quidquid adversitatis in sequendo Jesu, et sectando spiritum Jesu per studium perfectionis sustinendum erit, illud amore Jesu, et pro honore Jesu cum gaudio sustine, qui ipse Dei Filius Nomen *Jesu* pro te patiendo consecutus est, testante Paulo (Philipp. 2, 8): *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod*

est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (i. e. eadem fruitur gloria ac Deus Pater).

Meditatio XLI.

(Die 6. Januarii — Epiphania Dom.)

De stella Magos evocante.

Matth. 2, 2.

Punctum I. Considera, quomodo Deus rudes pastores per Angelos, sapientes vero Magos per stellam, adeoque singulos appositis mediis vocaverit ad agnitionem Filii sui atque ad ejus cultum, et accessionem ad ipsum: *Vidimus stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum* (Matth. 2, 2). Sic Deus nos tam per externam instructionem ducum spiritualium, et spiritualium librorum, quam per internam inspirationem et excitationem (sine qua nec Angelorum, nec stellae, nec hominum, nec librorum instructio quidquam efficere posset), illuminavit et vocavit ad agnitionem Dei per fidem, et ad ejus cultum per virtutum studium, per fugam vitiorum, et per poenitentiam, atque etiam ad accessionem ad Deum per ingressum Religionis. Agnosce itaque summum beneficium, expendendo, quis, quem, quo modo, unde, et quo vocaverit, et qualem imposuerit obligationem gratitudinis ac promptitudinis ad obsequendum divinae vocationi, ut perfecti eidem satisfaciamus; quâ ratione etiam S. Paulus nos abtestatur (Ephes. 4, 1) ita scribens: *Obsecro itaque vos, vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportates invicem in charitate, soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Ad idem hortatur etiam S. Petrus (2. Ep. 1, 10): *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram*

vocationem et electionem faciatis; haec enim facientes non peccabitis aliquando.

Punctum II. O quam multi fuerunt, qui viderunt eandem stellam, quam Magi viderunt, sed difficultate et rationibus humanis ac negligentia sua inducti sunt, quo minus parerent evocanti stellae. Quoties tu horum exemplum, levioribus etiam ex causis secutus es, et quanta cum jactura perfectionis majoris, ac ingentium meritorum? — Si vero Magi soli stellam viderunt, et non etiam alii, annon et tu speciales a Deo accepisti gratias, inspirationes, etc.? Quomodo cum his cooperatus es, ut ea, quae a te Deus perfici vult, exequaris?

Punctum III. Considera felicitatem obedientiam stellae evocanti, et quantum proinde beneficium sit gratia efficax, et quam frequenter a Deo petendum. Gratias age pro tam efficaci vocatione ad fidem, ad Religionem, et fac, ut pariter sit efficax ad perfectionem religiosam, sicut Magis ad magnam sanctitatem fuit proficua. In tua enim Deus posuit potestate, gratiae vocationis constanter cooperari, illamque proinde reddere efficacem et certam; id quod S. Petrus in 1. Epistola (5, 10) testatur: *Deus omnis gratiae, quae vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.*

Meditatio XLII.

(Die 7. Januarii — Die 2. infra Oct. Epiph.)

De stellae vicissitudine.

Matth. 2, 9. 2.

Punctum I. *Ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos* (Matth. 2, 9). Quod dum dicitur de itinere Jerosolymis in Bethlehem, idem de priori itinere ex Oriente Jerosolymas (secundum non paucos) innuitur.[1]) Itaque con-

---

[1]) Quod si melius cum aliis recentioribus ex dictis ab

sidera, stellam praeeuntem, et Magos directe eam sequentes docere nos, quod semper indigeamus Gratia Dei praeveniente et comitante, eique obtemperandum sit, ut neque ad dextram, neque ad sinistram deflectamus, sed totos nos permittamus ductui divino. Talis stella est etiam dictamen prudentiae, lex divina, Regulae, praeceptum ut nutus Superioris.

Punctum II. Considera, stellam Jerosolymam egredientibus subductam esse; idque ex speciali Dei dispositione factum est, tum in utilitatem Magorum, tum Jerosolymitanorum, tum posterorum, i. e. nostram. Sic enim Magorum virtus et constantia major ac dignior reddita est. Sic Jerosolymitani de nato rege et Servatore a gentilibus peregrinis edocti, exemplo eorum excitati, et ob suam oscitantiam confusi sunt, qui duabus tantum horis distantem urbem Bethlehem adire, et Regem suum salutare neglexerunt. Sic nos subducta illuminatione interna nec animo concidere, nec in virtute et progressu deficere docemur, simulque discimus, Magistros spirituales interea consulere, ac reducem lucem sperare; ejus vero subtractionem patienter ferre, tanquam valde utilem ad nostram humiliationem et ad patientiae et constantiae meritum.

Punctum III. *Ubi est, qui natus est Rex Judaeorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum* (Matth. 2, 2). Considera a Magis unice Christum quaeri, et, ut adorent, quaeri, atque etiam subducta stella quaeri. Imitare intentionis puritatem, et constantiam in prosequendo fine tuo, propter quem venisti in mundum, in Religionem, etc. Adverte etiam, Christum frustra quaesitum esse in aula regia, quia maluit latere in vili stabulo. Sic in locis et officiis humilioribus rectius quaeritur et invenitur Christus, quam in nobilioribus ac splendidioribus.

Evangelista concludatur, stellam a Magis in Oriente visam non semper ducem egisse itineris, praesertim in longiori via versus Jerusalem: quae hic a P. Illsung supponuntur, aliter explicentur, ita ut dicatur: jam per primam stellae apparitionem in Oriente et illustrationem inde perceptam Magos semper a stella ductos per eamque directos fuisse.

Meditatio XLIII.

(Die 8. Januarii — Die 3. infra Oct. Epiph.)

De turbatione Herodis, et totius Jerosolymae.

Matth. 2, 3.

Punctum I. *Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo* (Matth. 2, 3). Considera, quare Herodes turbatus est; nempe quia ipse volebat haberi pro rege illo, promisso populo Israelitico et alium sibi praeferri indigne ferebat. Timebat etiam, ne ipse regno suo exueretur. Sic aemulatio, metus, frustratio desiderati honoris, aliorum dignitas ac excellentia, etc., semper turbant animum superbum. Unde in corde superbi continua jurgia et turbatio existunt. Sed o quam miserum est, semper superbiae ventis agitari ac turbari! Cave igitur a superbia! *Quoniam initium omnis peccati est superbia* (Sir. 10, 15).

Punctum II. Expende etiam, quare Jerosolyma cum Herode turbata sit. Timebant scilicet homines in luxu et deliciis vivere assueti, ne a novo rege meliorem vitae rationem inire cogerentur, et ne per bella et seditiones inter adhaerentes novo regi et Herodi quieta bonorum possessio everteretur. Annon similiter animo turbaris, quando Superiores vitae melioris disciplinam inducere ac reparare volunt, et imperfectiones tuas emendare, vel commoditates tuas tibi subtrahere? Annon, quotiescunque turbaris animo, simili ex causa id contingit? Annon eadem ratione ex te turbant, quae potius pacem et quietem animi parere deberent?

Punctum III. Herodi et Jerosolymitanis, — in quibus verum redditur illud: *Non est pax impiis* (Is. 48, 22), — oppone homines bonae voluntatis, quibus nativitas Christi gaudium et pacem animi affert, juxta angelicum Evangelium: *Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator;* — et vaticinium (v. 14): *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Hi videlicet

sunt, qui discunt a Christo nato in summo contemptu et mansuete Herodis persecutionem sustinente, quod in patientia et mansuetudine invenienda sit vere animi quies; quemadmodum deinde ad sui imitationem omnes invitavit (Matth. 11, 29): *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris.*

Meditatio XLIV.

(Die 9. Januarii — Die 4. infra Oct. Epiph.)

De insidiis Herodis.

Matth. 2, 4 sq. 7.

Punctum I. *Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur* (Matth. 2, 4). Sicut tres Magi diligenter percontati sunt: *Ubi est, qui natus est rex Judaeorum?* (v. 2), — ita Herodes hoc ipsum summo studio quaesivit, ut nimirum compararet sibi notitiam Christi nati, et loci et temporis; hinc — *clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae, quae apparuit eis* (v. 7). Noli autem imitari Herodem, et eos, qui divinarum rerum scientiam summo studio sibi comparant, sed eandem non ad adorandum et colendum Christum ac Deum referunt, vel omnino eâdem abutuntur ad offendendum Deum; sed Magos imitare qui et quaerendi Christum incommoda sustinent, et omnia eo referunt, ut adorent, colant, et ament, quem quaerunt. Omnia igitur studia tua eo dirige, ut eo magis Deum cognoscas et ames eique melius servire possis; ante omnia autem diligenter disce sapientiam Sanctorum. *Infinitus enim thesaurus est hominibus; quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei* (Sap. 7, 14).

Punctum II. *At illi dixerunt: In Bethlehem Judae* (v. 5). Bethlehem *domus panis* latine vertitur. Anima exercitiis spiritualibus addicta, scilicet orationi, meditationi,

lectioni sacrae, vere est domus panis, quo vita aeterna conservatur. In tali anima paratur hospitium Christo, qui (Joan. 6, 51) ait: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.* Templum etiam, ubi Christus sub speciebus panis asservatur, recte dicitur *domus panis:* ibi frequenter Christum quaere, et ibi natum adora, velut in sua urbe Bethlehem.

Punctum III. Sic enim scriptum est per prophetam: *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel* (v. 6). Etiamsi claro et certo testimonio S. Scripturae, omnium Sacerdotum et scribarum unanimi consensu approbato, constiterit, ubi Christus nasceretur: soli tamen Magi eidem obsecuti, et in illum locum profecti sunt. Sic parum prodest externa S. Scripturae, et divinarum rerum notitia, nisi eâdem etiam utaris. Gratia utendi autem non data est Judaeis sola legis scriptae notitia tumentibus; *Deus* enim, ut scribit S. Jacobus in sua Epistola (4, 6), *Superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;* abscondit divina mysteria sua prudentibus et sapientibus; attamen revelat ea parvulis, interius illis ad cor loquens, ut Christus ipse apud Matthaeum (11, 25) attestatur. Praeterea perpende allegatae prophetiae veritatem, quo modo Christus ducis et rectoris munus praeclare obierit, verbo et exemplo ducens ac dirigens. Hunc igitur ducem et rectorem in hoc via sequere.

Meditatio XLV.

(Die 10. Januarii — Die 5. infra Oct. Epiph.)

De colloquio Herodis cum Magis.

Matth. 2, 8.

Punctum I. *Et mittens illos in Bethlehem dixit: Ite, et interrogate diligenter de puero* (Matth. 2, 8). O quoties mittimus et adhortamur alios, ut Christum in omnibus suis actionibus summa cum diligentia quaerant, et easdem

ad illius honorem quam exactissime peragant: nos ipsi vero nihil minus agimus, et alia quaelibet, quam Christum, et Hunc negligenter quaerimus; aliena interim, vel nostra quidem negotia, sed non debita intentione ac diligentia pertractantes. At quam illustre hac in re exemplum praebuerunt tres illi sapientes Magi, qui mali regis piae directioni paruerunt, euntes in Bethlehem, et diligenter omnia exequentes.

Punctum II. *Et cum inveneritis, renuntiate mihi.* Ut Christum renuntiare possimus aliis, ipsi debemus prius illum invenire, et prius perfici, ut alios perficiamus in vita Christi. Sicut autem Magi inventum Christum non quidem Herodi prodiderunt, sed aliis renuntiaverunt: sic nobis satis non sit, si ipsi invenerimus Christum, nisi illum et aliis renuntiemus, eosque ad Christi cultum adducamus.

Punctum III. *Ut et ego veniens adorem eum.* Herodem imitantur, qui divino cultui, orationi, devotioni et pietati se deditos simulant, vel qui verbis solum promittunt, promissa tamen sua, vel proposita nunquam exequuntur. Hos tu ne imitare, quin potius inde disce, quam nulla politicis hominum promissis sit danda fides. Si enim Christo simulatam tantum adorationem ac venerationem Herodes detulit: quid mirum, si mundani ac politici homines aliis multa verbis promittant, et tamen fidem fallant.

Meditatio XLVI.

(Die 11. Januarii — Die 6. infra Oct. Epiph.)

De adventu Magorum in Bethlehem.

Matth. 2, 9—11.

Punctum I. *Cum audissent regem, abierunt* (Matth. 2, 9). Considera, Magos, qui in aula et urbe regia nihil, nisi Christum quaesiverunt, jacturam fervoris in quaerendo Christo non fecisse, ideoque cito se subduxisse consortio vanorum hominum, et docuisse nos, quomodo, qua ex causa,

et quamdiu cum saecularibus, conversandum sit. Nempe agendum caute, ne fervor spiritus amittatur; parce loquendum; (nam: *Cum audissent regem, abierunt;* non dicitur, aliquid locutos esse, vel reditum temere promisisse); ex pura denique intentione, et breviter omnia, quae cum illis aguntur pertractanda.

Punctum II. *Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum staret supra, ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde* (v. 9, 10). Sic Deus solet ad tempus subtractas illustrationes majori cum gaudio reddere; sic priorem tristitiam, et diligentiam in quaerendo Christo luminibus coelestibus remunerari: sic externae instructioni hominum de se inefficaci, lumen gratiae efficacis superaddere, cum homo fecerit, quod in se est.

Punctum III. *Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria matre ejus* (v. 11). Hebraei omnem habitationem vocant domum (hinc etiam domum herodii in Scriptura ut Ps. 103, 17 legimus). Itaque stabulum, ut ibi Christum invenirent, ingressi, interna illustratione fidei agnoscunt recens natum Regem, exemplo suo docentem illos ac nos, contemnere pompum et splendorem mundi; non erubescere paupertatem habitationis, vestium etc., quemadmodum ipse non erubuit coram regibus in stabulo, et in vilibus panniculis apparere. Disce etiam ex Magis gaudere de invento Christo, quocunque in loco, vel officio humili, etc., illum inveneris.

Meditatio XLVII.

(Die 12. Januarii — Die 7. infra Oct. Epiph.)

De adoratione Magorum, et oblatione munerum.

Matth. 2, 11.

Punctum I. *Et procidentes adoraverunt eum,* scilicet per fidem, cultum latriae internum, etc. Sic adorandus

est Deus externa videlicet reverentia et interna devotione, ac attendendum, quocum, et quid loquaris. Expende etiam humilitatem trium regum, qui coram parvulo Infante, in sinu pauperis Matris deposito, divinitatem et majestatem suam penitus abscondente, se dejicere non erubuerunt. Ne ergo erubescas te demittere coram quovis homine, Deum tibi repraesentante, licet, nihil in eo sublime conspicias.

Punctum II. *Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham* (v. 11), profitentes per haec munera, Christum esse supremum Regem, Deum, ac verum mortalemque hominem. Offer et tu apertis thesauris munera tua, nihil tibi reconde ac reserva; nihil etiam vile dona, quod thesauri nomine indignum sit; sed pretium et aestimationem illi addat intentio, quae etiam res viles in aurum vertit, atque ad absolutam operis cujusvis perfectionem nos impellit, ut tanto Regi, Deo et homini, supra omnes homines et Angelos evecto, nihil imperfectum offeramus.

Punctum III. Considera, quod licet Christus, utpote instar infantis se gerens, non dederit Magis signum aliquod complacentiae de tanto itinere in sui gratiam suscepto, de tanta liberalitate, et tam reverenti adoratione; reddiderit tamen illis maxima dona spiritualia, fidei, charitatis, perseverantiae, etc. Sic, etiamsi Deus non ostendat nobis, sibi nostra servitia placere, imo videatur illa aversari, eo quod aridos ac desolatos dimittat et ad tempus omnino non exaudiat: reddit nobis tamen centuplum in hac vita, et maxima dona spiritualia ad obtinendam alteram vitam, et thesaurum in coelis; modo aurum charitatis a nobis oblatum sit purum ab amore omnis creaturae; thus devotionis non multum picis aut foetentis faecis admixtum habeat, id est, non multas distractiones voluntarias; myrrha mortificationis sit recens, nihil habens de vetustate veteris hominis, et sit efficax ad praeservandum ab inconstantia, et ab amoris proprii putredine.

Meditatio XLVIII.

(Die 13. Januarii — Oct. Epiph. — Dom. I. post Epiph.)

De reditu Magorum.

Matth. 2, 12.

Punctum I. Considera, quod sicut Magi munera sua tradiderunt B. Virgini, et per ejus manus Christo obtulerunt; sic valedicentes per eam petierint Filio commendari. Imitare itaque Magos et vota tua et preces omniaque opera bona (exemplo Fr. Francscii Godoii in vita P. Balth. Alvarez c. 2. §. 1.) per B. Virginem offer, et per eam necessitates tuas Filio ejus commenda.

Punctum II. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam* (Matth. 2, 12). Ecce! quam vigilem Deus servorum suorum, etiam dum hi dormiunt, curam gerat, illos et a periculis, et ab hostium, daemonum maxime, insidiis protegat, et pro cultu providentiam suam rependat, eosque praecipue per Angelos Custodes commonefaciat, dirigat, ac defendat. Simili modo Deus in somnis, id est, in otio et quiete orationis ac contemplationis frequenter nos admonet, quid facere vel omittere debeamus, ut salvi et incolumes, hostium insidias evitemus, et animae vitam servemus. Hanc igitur quietem diligenter capiamus, et divinis monitis simili obsequendi studio cum tribus Magis attentas aures praebeamus.

Punctum III. Considera, quomodo per aliam viam in regionem nostram coelestis patriae reverti debeamus, si prior via, per quam ambulavimus, periculosa est, et quam sedulo Angeli Custodis consiliis et adhortationibus parendum sit seposito omni respectu humano. Cujus utriusque doctrinae exemplum nobis tres Magi praebuerunt, quando neglecta Herodis offensa, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Et quia in regionem nostram multae viae sunt, elige semper tutiorem, eam videlicet, quam Christus ipse tenuit, qui est via, veritas, et vita (Joan. 14, 6).

Meditatio XLIX.

(Die 14. Januarii.)

De Purificatione B. Virginis.

Luc. 2, 22 sq.

Punctum I. *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, etc.* (Luc. 2, 22. sq.). Imitandam tibi propone primo obedientiam B. Virginis; sicut enim Filius ejus circumcidi voluit, cum non teneretur lege, sed solummodo ut Deo placeret, et se conformaret legi: sic B. Virgo ob eandem causam voluit se sponte subjicere, et obedire legi. Tu quoque pari ratione praeceptis divinis, mandatis ac nutui Superiorum et Regularum, te perfectissime conforma, tam quoad substantium rei praeceptae, quam quoad circumstantias temporis, loci, etc., etiamsi non solum obligent graviter, sed neque sub culpa veniali.

Punctum II. Cum B. Virgo facile testimonio pastorum, Magorum adventu, legis et Scripturae per Herodem consultae et a legis peritis explicatae auctoritate cuivis prudenti probare potuisset, se Virginem esse et Matrem Dei: hunc tamen honorem non solum non manifestare voluit, sed per observantiam legis humiliter occultare. Secundo igitur tibi imitandum propone profundam humilitatem B. Virginis, fugiendo gloriam et aestimationem hominum, neque super alios eminere desidera.

Punctum III. Si B. Virgo media puritatis legalis, quibus non indigebat, tam exacte adhibuit: quanto magis usa fuerit mediis ad animae puritatem conservandam ordinatis, quarumcunque capax erat? Tertio igitur imitare studium puritatis internae vel conservandae, vel recuperandae a te per fugam peccatorum, contritionem, examen conscientiae, confessionem sacramentalem, diligentiam in rebus spiritualibus, oblationem Christi in SS. Eucharistia, cum Missam audis vel facis, aut sacram Synaxin accipis; est enim Hostia pro peccato, et Sanguis ejus emundat a peccato (Hebr. 10, 12; 1. Joan. 1, 7).

Meditatio L.

(Die 15. Januarii.)

De Praesentatione Christi in templo. (1.)

Luc. 2, 27. 24.

Punctum I. *Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo*, etc. (Luc. 2, 27). Cogita, quam grata et accepta Deo fuerit a parentibus facta praesentatio, sive oblatio pueri Jesu, quam praecedere et praefigurare debuerunt tot primitiarum et primogenitorum oblatio; hic enim Deo suus primo- et unigenitus Filius offerebatur pro toto genere humano manu Matris Sanctissimae, summa cum externa et interna reverentia ac devotione. Idem gratissimum munus Deo offers, quoties assistendo, vel ad aram faciendo offers Sacrificium eucharisticum. Quam mundae ergo ab omni labe debent esse manus tuae? quanta reverentia externa, et devotione interna hoc te peragere necesse est? Et haec quidem nunc oportet facere, ut sit consuetudo quotidiana. Ad imitationem praedictae oblationis mane offer primitias totius diei, imo cujusvis operis boni primitias offerre stude, praemittendo illi bonum semper intentionem (Prov. 3, 9).

Punctum II. Considera, quomodo ipse puer Jesus Patri coelesti se totum et totam suam vitam ad ipsum honorandum, et generi humano placandum, summa liberalitate et resignatione obtulerit. Itaque et tu, et omnia tua similiter offer Deo Patri, ac Christo Domino, se pro te prius offerenti; offer memoriam, intellectum, et voluntatem omnem, nec aliter illis utere, quam veluti re ad Deum pertinente, et custodiae tuae commissâ, et ad ejus gloriam unice ordinatâ.

Punctum III. Considera, quomodo oblatione Filii parentes, nempe Virginea Mater et Pater nutritius, nihil amiserint, sed eundem magno cum gratiarum coelestium lucro receperint, quinque duntaxat siclorum, lege praeceptorum, pretio (Numer. 3, 47), et dando hostiam, — *Secun-*

dum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum (Luc. 2, 24; Lev. 12, 8). Sic si te totum offeras Deo, nihil amittes, sed cum coelestium gratiarum foenore te recipies; ideo dixit Christus apud Matthaeum (10, 39): *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Necesse tamen est, ut pro ea quinque siclos, et duos turtures, vel duos pullos columbarum offeras. Per quinque siclos intellige abnegationem quinque sensuum externorum, per turtures autem aut pullos columbarum, qui sunt munditiae et innocentiae symbolum, intellige corporis et animi puritatem ac innocentiam, — vel abnegationem proprii judicii ac voluntatis, quâ vera animi munditia ac innocentia obtinetur et conservatur. — Imitare etiam geminorum sanctissimorum Parentum summam paupertatem, cujus studio de oblato a Magis auro vel nonnisi modicum acceperunt, vel mox in pauperes, vel in usum templi distribuerunt, ut nequirent divitum more, loco columbae aut turturis agnum offerre. Nec minus tibi imitandum propone purissimae Matris humilitatem, qua obtulit praeceptum pullum columbae vel turturem pro peccato, cum tamen sine omni peccato, et sine omni etiam legali immunditia Filium suum conceperit, et pepererit; tu vero pro peccatis tuis nec te humilias, nec debitam satisfactionem praestas; innocentem vero culpae argui, vel mulctam solvere, minime ferendum ducis.

Meditatio LI.

(Die 16. Januarii.)

De Praesentatione Christi in templo. (2.)

(Continuatio.)

Luc. 2, 25 sq.

Punctum I. Christo in templo praesentato intervenit S. Simeon, qui prophetam ejus agere his virtutibus promeritus est, nimirum conscientiae puritate ab omni peccato;

timore Dei, ne illam puritatem per peccatum amitteret; expectatione consolationis non terrenae aut corporalis, sed spiritualis ac divinae ex aspectu Dei incarnati. Hunc sanctum Evangelista bis vocat *hominem*, ut ostendat, exemplum ejus esse ab hominibus imitabile; ut vero etiam declaret, esse valde aestimabile, proponit verbis, quibus in frequentissima urbe rarum quid et admiratione dignum insinuatur: *Ecce homo erat in Jerusalem, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel* (Luc. 2, 25).

Punctum II. Fructus tantae sanctitatis subjungitur sequentibus verbis: *Et Spiritus sanctus erat in eo* (v. 25), — scilicet per gratiam inhabitantem et per sua dona; qui illum etiam impellebat ad ingens desiderium, et constantem fiduciam videndi Messiam. Idem efficit Spiritus sanctus suâ praesentiâ in nobis, quando parit in nobis desiderium spirituâlium gratiarum, praesertim coelestis patriae, ac visionis beatificae, cujus explendi praestat etiam fiduciam firmam, ut idem de quovis homine justo, quod de Simeone, dici possit: *Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem*, etc. (v. 26).

Punctum III. Quemadmodum Simeon — *Responsum acceperat a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Dominum* (v. 26): sic, si illum imitati fuerimus, acquiremus claram Dei notitiam in hac vita; nec videbimus mortem aeternam, verum Dei intuitiva visione aeternum beabimur. Et de hoc responsum, id est, promissionem accepimus: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. 5, 8). Si ergo pro corporali et sensibili visione humanitatis Christi ad breve tempus Simeon tam diligenter et constanter studuit, ut esset *justus et timoratus*, adeoque munditiem cordis servaret: quid faciendum est, ut animus noster divinitatem de *facie ad faciem* aeternum videat ac contempletur? (1. Cor. 13, 12).

Meditatio LII.

(Die 17. Januarii.)

De Praesentatione Christi in templo. (3.)

(Continuatio.)

Luc. 2, 27—29.

Punctum I. *Et venit* (Simeon) *in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo: et ipse accepit eum in ulnas suas, etc.* (Luc. 2, 27 sq.). Ecce quam fideliter et liberaliter praestet Deus sua promissa; non tantum datum est Simeoni, videre Christum Domini, sed etiam tangere, osculari, amplecti. Sic multo magis videre, et per amoris beatifici spiritualis oscula, ac spirituales amplexus frui licebit Deo promisso nobis post hanc vitam (Cant. 1, 1). Mundus vero et diabolus promittunt bona vilia, vana, fallacia, et tamen non servant promissa. Itaque haec contemnenda et negligenda; divina autem promissa maximi aestimanda, firmissime speranda et studiosissime procuranda sunt.

Punctum II. Sine dubio multi alii ex omni genere hominum, etiam sacerdotum et scribarum fuerunt in templo; sed inter hos soli Simeoni aperti sunt oculi mentis, quia erat *justus, timoratus* (v. 25); et contempto omni terreno solatio, solum desiderabat coeleste, videre scilicet ac agnoscere Christum Dominum; et quia *in spiritu,* non autem ex consuetudine, non ex intentione vana, etc., venit in templum. Sic et tu in oratione accipies divinas illustrationes, sic gustus coelestes percipies, sic divina aestimare disces, si sancto Simeoni per omnia te conformaveris, praesertim si omnia agas in Spiritu, nempe ex impulsu et directione Spiritus sancti, non autem ex mera consuetudine vel intentione vana et terrena.

Punctum III. *Et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, etc.* (v. 28 sq.). Ita satiant men-

tem gaudia coelestia, ut praeter ea nihil aliud terrenum videre, vel sensu percipere lubeat, et mors in votis sit; quando intellectus ea pro meritò aestimat, et voluntas depravata non est desideriis terrenis. Sic etiam prompta et parata volüntate ad moriendum quovis tempore dicere potest: *Nunc dimittis*, etc., qui justus et timoratus est, velut Simeon. O si ita omni tempore paratus esses ad libenter et feliciter moriendum!

Meditatio LIII.

(Die 18. Jannuarii.)[1]

De Praesentatione Christi in templo. (4.)

(Continuatio.)

Luc. 2, 30—32.

Punctum I. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum* (Luc. 2, 30). Si tanti aestimavit Simeon corporeis oculis videre puerum Jesum, ut secure et in pace, sive in gratia Dei mori posset: quantum ad securam et felicem mortem afferet nobis praesidii, si continuo mentis nostrae oculis videamus et contemplemur vitam et passionem Ghristi, triginta tribus annis transactam? et quantum, si non tantum videamus, sed etiam imitemur?

Punctum II. Considera, quam merito Christus dicatur *Salutare Dei*: quia sine eo impossibile fuit salutem consequi; per eum autem habemus media efficacissima, nempe ipsius sancta exempla, praecepta, consilia, documenta, merita, sacramenta, auxilia gratiae omnia. Hoc itaque Salutare non tantum videndum et agnoscendum, sed cum Simeone manibus et brachiorum ulnis recipiendum, id est, opere ipso

---

[1]) Si in hunc diem vel dies proxime sequentes jam incidit Dominica in Septuagesima (cfr. Praef. not.), et meditationes tempori convenientes eligere quis velit: adeat med. partem III. (a med. LXXXVI.).

et cooperatione nostra amplectendum et applicandum nobis est, exequendo exempla, praecepta, consilia, documenta, et utendo meritis, sacramentis, auxiliis.

Punctum III. *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israel* (Luc. 2, 32). Per illum enim omnes gentes illuminatae sunt lumine verae fidei, didiceruntque, quid credendum, et quomodo vita ad virtutis leges exigenda sit; insuper errores mundi et fraudes diaboli detectae: denique populus fidelis ad veram gloriam in hac vita, et ad aeternum in altera evectus est. Juxta hujus igitur luminis directionem institue vitam tuam, nec in hac vita aliam gloriam quaere, quam quae habetur in vita et cruce Christi, et ad quam per Christum pervenitur, nempe ad gloriam aeternam. Sic S. Paulus (Gal. 6, 14) dixit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.*

Meditatio LIV.

(Die 19. Januarii.)

De Praesentatione Christi in templo. (5.)

(Continuatio.)

Luc. 2, 34 sq.

Punctum I. *Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam, matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (Luc. 2, 34 sq.). Gaudio, quod ex glorioso de Christo vaticinio B. Virgo percepit, mox admixta est gravis et per totam deinceps vitam B. Virginis perseverans tribulatio animi. Maria enim, sicut verba pastorum (Luc. 2, 19) et verba Filii (v. 51) conservavit, ita etiam *conservabat omnia verba haec in corde suo.* Et antequam eveniebant ea, quae praedicta sunt, jam affligebat illam eorum scientia, et certus metus, quotiescunque oculis Filium suum contue-

batur; quam afflictionem augebat notitia veterum de Filio suo in S. Scriptura expressorum vaticiniorum, et deinde etiam amplior illorum per frequentia cum Filio adolescente colloquia declaratio. Postquam autem evenerant, affligebant illam per experimentalem notitiam, et continuam memoriam. Quanto autem zelus honoris divini, amor Filii, et desiderium salutis proximi in corde B. Virginis erant majora, tanto magis transfigebant illud injuriae et offensae Dei, ignominiae, dolores ac cruciatus Filii, tamque multorum non solum in Israel, sed in toto genere humano ruina, atque frustratio meritorum Filii sui. Unde merito *Regina Martyrum* dicitur, quae plus et diutius passa est, quam omnes Martyres; et sicut a Filio maxime omnium amabatur: sic ipsi de passione sua plurimum communicabat Filius. Disce ergo semper vivere in sancta tristitia et dolore animi, ut de se S. Paulus attestatur (Rom. 9, 2): *Quoniam tristitia mihi magna est, et continuas dolor cordi meo;* disce bajulare crucem tuam quotidie, eamque simili animi moderatione ferre, considerando, pariter gloriam Deo et Christo, atque utilitatem tibi ac proximo inde orituram.

Punctum II. Christus, alias *Salutare Dei* dictus, in eorum *ruinam* est, qui noverunt ejus exempla et doctrinam, nec tamen sequuntur; auxiliis, quae ipse nobis promeruit, non utuntur: Sacramenta ejus indigne, sine reverentia, vel fructu recipiunt, etc. Cave ergo, ne de horum sis numero, sed esto de eorum, quibus Christus positus est in *resurrectionem*, qui scilicet Christi meritis et exemplis a peccatis, et a pravis suis consuetudinibus resurgunt.

Punctum III. Christus positus *in signum, cui contradicetur*, vel verbis, vel factis. Unde illi contradicunt, qui aliter, ac ipse, sentiunt, aut vivunt. Quod si tamen Christo ita ab innumeris contradicitur, ut Judaeis etiamnum sit scandalum et gentibus stultitia (1. Cor. 1, 23): noli tu hominibus placere; si enim his placeres, Christi servus non esses (Gal. 1, 10). Noli laudari, sustine vituperari, et quaevis verborum jacula, in praesentem vel absentem conjecta, ut detractiones, querelas, oblocutiones, reprehensiones, etc. animo pacato suscipe. Adi Christum dicentem: *Non est servus major Domino suo. Si me per-*

secuti sunt, et vos persequentur (Joan. 15, 20), et ipse nos monuit: *Benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos* (Matth. 5, 44); sed etiam asseveravit: *Beati estis, cum persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversus vos mentientes, propter me: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis* (Matth. 5, 11 sq.).

Meditatio LV.

(Die 20. Januarii.)

De Praesentatione Christi in templo. (6.)

(Continuatio.)

Luc. 2, 36—38.

Punctum I. *Et erat Anna prophetissa, etc; et haec vidua usque ad annos octogintu quatuor, quae non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die* (Luc. 2, 36. sq). His virtutibus impetrabis cum hac sancta vidua cognitionem divinorum mysteriorum, scilicet: castitate, soli Deo placendi studio (quod teste S. Paulo, 1. Cor. 7, 34 — proprium est coelibatui), perseverantia, oratione et mortificatione.

Punctum II. *Et hae ipsa hora superveniens*, etc. (v. 38). Etiamsi non miraculoso modo Deus favores conferat, sicut Simeoni miraculosa promissione ac revelatione Spiritus Sancti concessum est, videre Christum Dominum: tam specialiter Deus res et causas naturales ita ordinat, ut ex ordinaria quasi dispositione divinâ extraordinaria beneficia Dei servis eveniant. Sic ergo non casu, nec miraculose, sed ex singulari Dei dispositione contigit, ut Anna prophetissa eâdem hora superveniret. Itaque te prorsus divinae dispositioni ac providentiae committe, et licet Deus non sit tecum facturus miraculum, confide in eum, qui disponit omnia suaviter (Sap. 8, 1). Agnosce etiam, quantum prosit

observare horam quamlibet, et nihil differre, ne gratiae illius horae negligantur.

Punctum III. *Et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel* (v. 38). Quo datur nobis exemplum, piis colloquiis proximum aedificandi et juvandi. Verum, de quibus rebus tua sunt colloquia? an de Christo? an vero de rebus inutilibus, vanis, damnosis, etc.? Disce etiam, quibuscum sermones miscendi sint, nempe cum probis, quales erant illi, qui expectabant redemptionem Israel; qui proinde libenter audiebant de Christo pium sermonem. Inter hos auditores benevolos et tu esto; nec pudeat divina mysteria etiam ab indoctis addiscere, qui specialiter saepe a Deo illustrantur.

Meditatio LVI.

(Die 21. Januarii.)

De fuga Christi in Aegyptum. (1.)

Matth. 2, 13.

Punctum I. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Aegyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum*[1]) (Matth. 2, 13). Considera, quomodo Deus, — post trium Magorum adorationem, et munerum oblationem, et accuratam legum ceremonialium observationem, per purificationis et oblationis ritus omnes impletos integre praestitam, — gravissimam persecutionem Filii sui sub ipsum statim ingressum in hunc mundum permiserit, et exilium in Aegyptum ad homines gentiles, impios, inhumanos indici curaverit: ut nos filii adoptivi exemplo Filii naturalis discamus patienter ferre, si prosperis succedant adversa citra omnem nostram culpam, aut ullius divini

---

[1]) S. Familia in Aegyptum itinere 8—10 dierum pervenire potuerat. (Grimm.)

mandati transgressionem; si homines nos injuste persequantur; si in ipso ad servitutem Dei accessu mox tribulationibus probemur.

Punctum II. Considera in coelesti Patre providentiam, quâ suos defendit, dum ipsi periculorum ignari securi dormiunt. Ideo confide Deo, et ipsi tui curam relinque in omnibus necessitatibus et periculis, modo tu illam promerearis. In Filio Dei autem perpende mansuetudinem et clementiam cedentis hostibus, quos potuisset morte plectere, vel contra illos plus quam duodecim legiones Angelorum mittere in sui propugnationem et vindictam (Matth. 26, 53). Sic mansuetudine vince adversarios.

Punctum III. Considera, Angelum S. Josepho non indicasse tempus, quo in Aegypto ipsi manendum esset: ut majoris indifferentiae, resignationis et perseverantiae merito liberationem suam expectaret. Et nos in quacunque tribulatione vel molestia loci, officii, morbi, tentatione positi, non cupiamus scire tempus liberationis nostrae, sed quousque Deo placuerit, nos cum omnimodâ indifferentia, resignatione, perseverantiâ divinae dispositioni permittamus.

Meditatio LVII.

(Die 22. Januarii.)

De fuga Christi in Aegyptum. (2.)

(Continuatio.)

Matth. 2, 14 sq.

Punctum I. *Qui consurgens accepit puerum et Matrem ejus nocte, et secessit in Aegyptum: et erat ibi usque ad obitum Herodis* (Matth. 2, 14. sq.). In executione obedientiae a Josepho praestitâ Angelo, et a sanctissima Matre praestitae Josepho, considera quomodo Superiores subordinati, et reliqui subditi obedire debeant celeriter, fortiter et constanter, etiamsi difficilia et sensuum commoditati repugnantia jubeant.

Punctum II. Perpende in sanctissimis Parentibus perfectionem obedientiae, etiam in voluntate. Non enim exceperunt contra importunitatem temporis, non contra loci incommoditatem, non petiverunt mitti ad aliquem ex tribus Magis, ubi secure, commode et gloriose degere potuissent. Non deprecati sunt longam temporis moram in exilio. Pari et tu ratione, si ad officium, vel locum minus commodum vel honorificum mittaris, noli magis commodum aut honorificum affectare, noli excipere, excusare, liberationem petere: sed prompte accomoda tuam voluntatem.

Punctum III. Expende etiam perfectionem obedientiae in intellectu. Etiamsi enim spectando rationes humanas videri potuisset, fugam potius institui debuisse in regiones Magorum, tanquam in locum tutiorem, et ad protectores magis fidos ac benevolos: nullam tamen hujusmodi rationem Josephus Angelo, aut B. Mater Josepho opposuit; neuter etiam Angeli tarditatem, quod ad extremum mediae noctis, ac instantis persecutionis articulum admonitionem suam differret, incusavit. Disce itaque tuum judicium Superiorum decretis subjicere, eorumque acta et jussa nullo modo improbare, sed eos a Deo immediatius illuminatos tibi persuade, prout immediate a Deo est Angelus, et ab Angelo Josephus, tanquam Superior familiae ad quem proinde et non ad B. Virginem Angelus missus est. Ad perfectionem obedientiae etiam spectat, rationes mandatorum nullas exposcere, quemadmodum S. Josephus non inquisivit, cur in Aegyptum, et non ad Magos mitteretur.

Meditatio LVIII.

(Die 23. Januarii.)

De commoratione Christi in Aegypto.

Matth. 2, 15.

Punctum I. *Et erat ibi usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophe-*

tam dicentem: Ex Aegypto vocavi Filium meum (Matth. 2, 15; Os. 11, 1). Qua revocatione cum Deus quodammodo glorietur, colligitur, per illam a gravi exilio fuisse factam liberationem. Itaque considera, quomodo Christus, et sanctissimi ejus Parentes, expenso prius auro a Magis oblato in usum pauperum vel templi, in extrema ac perfectissima paupertate vixerint in Aegypto, tum quoad habitationem, quam supellectilem, et victum diurnum; cum S. Josephus vel instrumentis artis suae plerisque caruerit, vel tanquam alienigera et ignotus exiguum lucrum facere, vel ab hominibus inhumanis vix tenuissimam eleemosynam corrogare potuerit. Sine dubio vero S. Familia in Aegypto plurima pertulit incommoda. Ita et tu ex amore Dei patienter sustine incommoda habitationis et loci, ad quem Superiores te mittunt.

Punctum II. Considera et imitare earundem trium personarum profundam humilitatem, quarum summa excellentia ac dignitas, donaque omnia tam naturalia, quam supernaturalia penitus latebant occulta, ac despecta apud Aegyptios.

Punctum III. Considera earundem maximam patientiam in perferenda inurbanitate, duritia et inclementia hominum gentilium ac barbarorum, atque in supportandis asperis ac impiis illorum moribus, et aliorum prorsus deorum cultibus, quam veri Dei, quem sanctissimi Parentes in Filio suo adorabant, atque ab omnibus coli ac agnosci pro suo in Deum et proximum amore optabant. Hinc ergo disce, aliorum defectus, asperos et tibi contrarios mores ac indolem leniter supportare, et non tantum bonis, sed etiam malis amice convivere, illisque compati, ac eos etiam mansuetudine, vitae exemplo, ac precibus tuis demereri.

Meditatio LIX.

(Die 24. Januarii.)

De caede Innocentium.

Matth. 2, 16.

Punctum I. *Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros a bimatu et infra,* — (qui scil. jam inceperant bimatum, i. e. annum secundum aetatis, sed adhuc erant infra ejus expletionem) *secundum tempus, quod exquisierat a Magis* (Matth. 2, 16); (— quod ab ortu stellae usque ad Pascha sequentis anni, quo caedes infantium creditur contigisse, est quindecim mensium). Considera, iram et superbiam fuisse causam tanti furoris ac tyrannidis. Ita nimirum uterque animi affectus et eum inquietum reddit ac perturbat, qui eo tenetur, et gravissime laedit alios, in quos effunditur. Hinc utriusque impetum reprime, et eo durante, nihil statue.

Punctum II. Considera, istam persecutionem fuisse infantibus causam Martyrii, qui, si ad aetatem adultam pervenissent, forsan non tantum Christo non credidissent, sed etiam clamassent: *Crucifige eum!* Sic saepe, quae videntur esse gravissima nostra damna et adversa, sunt maxima nostra lucra. Certe *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. 8, 24): ut talia ergo omnia de manu Dei suscipienda sunt.

Punctum III. Considera, Christum caede infantûm partim tristatum esse, partim bono eorum spirituali summe laetatum; praeterea non tam gavisum esse, quod ipse tunc morti ereptus fuerit, quam quod ad mortem longe ignominiosiorem et crudeliorem fuerit praeservatus. Hinc disce aliorum malis commoveri ad condolendum, vel bonis ad gratulandum, atque gaudere occasione plurima patiendi. Deinde considera S. Josephum et B. Virginem, audita caede tot Infantium, similiter illis et eorum parentibus con-

doluisse; inde tamen aestimasse magnitudinem beneficii, quod ab Angelo praemoniti, et ne inter aliorum caedem sui quoque Filii interitum spectare deberent, liberati sint. Hinc ex damnis, periculis et miseriis aliorum aestima beneficia Dei, ab illis te praeservantis aut liberantis.

Meditatio LX.

(Die 25. Januarii.)

De reditu Christi ex Aegypto.

Matth. 2, 19—23.

Punctum I. *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Aegypto, discens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri* (Matth. 2, 19. sq.). Quando ista revocatio contigerit, non conveniunt auctores. Baronius putat, fuisse aetatis Christi annum nonum, septimum Ammonius, quintum Jansenius censet; utrique eatenus consentit Maldonatus quatenus certum existimat, non ultra septimum, nec infra quartum annum contigisse; probabilissimum demonstrat Tirinus, et Cornelius a Lapide, contigisse ante biennium completum; ab aliis certum habetur, contigisse, postquam Christus jam ultra annum manserat in exilio; alii e contra (Lamy, etc.) S. familiam paucis mensibus ibi habitasse autumant.[1]) Tempus sane commorationis tamdiu duravit, quamdiu Deus voluit et praefinivit, et S. familia exilium patienter sustinuit. Ex quo discimus, patienter perseverandum esse tempore tribulationis, et Deo omnia committenda esse, qui scit tempora et momenta, et omnia praeordinavit in sapientissima sua providentia. Succurret nobis tempore

---

[1]) V. P. J. Knabenbauer S. J., Commentar. in Matth. p. 98 sq.

opportuno, nec nostri obliviscitur. *In tempore erit respectus illorum* (Sap. 3, 6). *Dicite pusillanimis: Confortamini, et nolite timere; — Deus ipse veniet et salvabit vos* (Is. 35, 4). — Obitus Herodis (teste Cornelio a Lapide in Matth.) circa idem tempus, quo caedes est patrata, contigit; imo quinto mox die, postquam etiam filium suum Antipatrum occiderat. Sic pro brevissimo tempore honoris, vel voluptatis, Deum offendimus. Quanta est haec stultitia!

Punctum II. *Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel* (v. 21). An ita celeriter obedis tuo Angelo Custodi, vocationi et illuminationi divinae, Regulae et Superiorum mandatis? An ita paratus es ad cujusque loci vel officii mutationem aeque prompte subeundam?

Punctum III. *Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Judaea pro Herode patre suo, timuit illo ire, et admonitus in somnis, secessit, in partes Galilaeae. Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth; ut adimpleretur, quod dictum est per praphetas: quoniam Nazaraeus vocabitur* (v. 22, 39). Considera, Angelum Josepho prius tantum denuntiasse reditum in terram Israel; deinde in somnis reducem jussissé eundem in partes Galilaeae secedere ob prudentem metum Archelai, qui filius Herodis, etiam morum ejusdem, praesertim crudelitatis, saevitiae, ac luxuriae fere heres fuisse traditur. (Joseph. Antiq.). — Sic Deus successive homines illuminat, et requirit etiam, ut homo adhibeat propriam prudentiam, pericula prospiciat, et caveat. Religiosi etiam advertant, duplex beneficium esse, vocationem ex Aegypto, sive ex mundo (ubi concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae (1. Joan. 2, 16) velut idola adorantur) — ad vitam religiosam, sive ad Sanctam terram Israel; atque vocationem specialem in Galilaeae urbem Nazareth, sive ad talem particularem statum et locum religiosum, ubi floret et viret, ac continuo oritur seu germinat virtus ac disciplina religiosa, per *Nazaraei*, i. e. *floridi*, sive *orientis* aut *germinantis* vocabulum designata; ob quem virtutis continuum florem de Christo in Nazareth tanquam surculo tenero et virgulto adolescente et sanctitate cor-

ruscante per prophetas dictum est, nempe per Isaiam (11, 1): *Egredietur virga de radice Jesse* (sive Isai, qui fuit pater Davidis), *et flos de radice ejus ascendet*, i. e. Christus; et per Jeremiam (23, 5): *Suscitabo David germen justum;* et per Zachariam (6, 12): *Ecce vir Oriens nomen ejus;* etc. Agnoscant ergo Religiosi geminum beneficium, universalis et particularis vocationis, et simili virtutis in se flore ac virore mereantur et ipsi *Nazaraei* appellari, et ut de ipsis dici possit: *Ascensiones in corde suo disposuit; — ibunt de virtute in virtutem* (Ps. 83, 6. 8). *Mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient* (Is. 40, 31). — *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum* (Ps. 1, 3). *Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani.* (Os. 14, 7).

Meditatio LXI.

(Die 26. Januarii.)

De ascensu Christi duodennis in Jerusalem.

Luc. 2, 41—43.

Punctum I. *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschae. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus* (Luc. 2, 41—43). Jusserat Deus (Exod. 23, 14; Deut. 16, 16), ut omnes viri ter in anno illuc irent ad Deum ibidem adorandum. Considera itaque, quam exacte S. Joseph legem in omnibus observârit, et quod circumcisionem, et quoad praesentationem Jesu superius a Luca enarratum, et nunc etiam quoad adorationem Dei in Jerusalem consumans ibidem dies septenos, per quos durabat solemnitas festi, quamvis eorum consummatio non erat praecepta. Itane exacte servas tuas Regulas etiam in rebus sub peccato non obli-

gantibus, sed solum ad majorem perfectionem spectantibus? Itane bonas et pias consuetudines observas?

Punctum II. Considera ingens actionibus bonis pretium accedere per diuturnam consuetudinem, si non ex mera consuetudine, sed cum debito fervore, diligentia, et intentione, (ex virtutis habitu acquisito), — peragantur; sicut haec sancta Christi familia peregit hanc annuam adorationem: cum summa scilicet reverentia interna et externa, attentione et intentione colendi Deum, et constantia, non abbreviando tempus.

Punctum III. Considera Deum ac Christum saepe sanctis hominibus se abscondere, et ad tempus subducere, uti piis ejus parentibus contigit: partim ut exercendo patientiam, humilitatem, constantiam magis laudabilem, virtutis meritum augeant: partim ut praesentia Dei nobis reddita magis aestimetur, intentiori cura conservetur, et majori fervore requiratur, quando subtracta est per desolationem, ariditatem in oratione, taedium in virtute, importunas tentationes, etc. Tunc ergo stude praedictos fructus capere.

Meditatio LXII.

(Die 27. Januarii.)

De Christo a Parentibus quaesito et invento.

Luc. 2, 44—46.

Punctum I. *Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requierebant eum inter cognatos et natos. Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. Et factum est post triduum invenerunt illum in templo*, etc. (Luc. 2, 44—46). Observa hic varios virtutum actus a sanctis Parentibus elicitos: nempe generosam patientiam, et animi moderationem omnis inordinati affectus, etiam tristitiae non sanctae expertem: humilitatem vel culpam aliquam metuentium, vel indignos se censentium Filii praesentiâ ac comitatu; diligentiam et

constantiam in requirendo: haec potissimum virtutes exercendae a nobis sunt, quando a Deo nobis videmur derelicti, et divinae praesentiae solatiis destituti.

Punctum II. Considera, ubi Christus et Deus, quando ab eo videmur deserti, non inveniatur: nempe non in turba hominum neque inter cognatorum et notorum solatia, neque in nulla re creata, quae Dei non est, i. e. ad Deum et ad divinum cultum non est ordinata. Unde in derelictione et desolatione animi, a divina praesentia destituti, noli Deum quaerere inter humana solatia; imo ea nihili pende, et relinque, ut divina invenias.

Punctum III. Considera, ubi Christus a parentibus sit inventus: nempe Jerosolymis, et in templo, post triduanam diligentiam, et quaerendi perseverantiam. Ita nimirum, et in tali loco, qui *visionem pacis*, sive *contemplationem* denotat, constanti diligentia et orationis studio quaere Deum et invenies, et dices cum Sponsa (Cant. 3, 4): *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Si pariter vis in corde tuo eum invenire, sit illud instar templi Jerosolymitani, locus pacis. *Et factus est in pace locus ejus: et habitatio ejus in Sion* (Ps. 75, 3). Itaque in corde pacifico, et divino cultui dedicato, veluti in templo, reperitur Christus. Considera etiam, ubi tu plerumque a quaerentibus te inveniris. An etiam in templo? Annon potius in comitatu, inter notos et familiares tuos, tempus confabulationibus, risu et jocis terens?

Meditatio LXIII.

(Die 28. Januarii.)

De Christo in templo docente.

Luc. 2, 46—48.

Punctum I. *Invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super*

prudentia et responsis ejus, et videntes admirati sunt (Luc. 2, 46—48). Considera quomodo Christus primum specimen dederit optimi Magistri, sedentis in medio Doctorum; ipse enim est, qui aperit ora prophetarum, et *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. 1, 9), sicut a sole omnes stellae lucem suam participant. Huic ergo Magistro te in disciplinam trade: audiet enim te interrogantem, ac consulentem in omnibus dubiis; ignorantem erudiet prudentia ac responsis suis, quamprimum ad ejus doctrinam et vitae exempla te reflectes, audiens et videns illum, quid in Evangelio suo docuerit, quid fecerit.

Punctum II. Si vis autem esse discipulus Christi, necesse est, ut renunties prudentiae hujus mundi, et carnis; nam ipse expresse protestatur (Luc. 14, 26): *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et (v. 27): *Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.* Et: *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus* (v. 23).

Punctum III. Considera, quid duodennis ille Magister, triduo manens in templo, re ipsa, et exemplo suo docuerit: nempe magnum desiderium audiendarum rerum ad salutem animae utilium, prudentiam et moderationem in verbis, observantiam et reverentiam erga alios, modestiam, humilitatem in plausu et admiratione doctrinae, devotionem in oratione, majorem animae quam corporis curam, cui cibum, potum, et somnum vel nullum, vel non nisi parcissimum indulsit.

Meditatio LXIV.

(Die 29. Januarii.)

De verbis B. Virginis ad Filium.

Luc. 2, 48.

Punctum I. Ex verbis B. Virginis: *Fili, quid fecisti nobis sic?* (Luc. 2, 48), sive: ut quid dereliquisti nos? — (quemadmodum Filius deinde in Cruce Patri coelesti dixit: *Pater, ut quid dereliquisti me?)* — disce tristitias et afflictiones tuas ipsi Deo conqueri, et veluti ab ipso profectas suscipere, tanquam nostri amantissimo, et pluribus amoris titulis nobis conjunctissimo, utpote Dei, Patris, Creatoris, Salvatoris, etc., atque ab eodem, non autem a creaturis, solatium et auxilium petere. Et cum Deus nullas adversitates nobis sine causa immittat, stude illam ex Deo intelligere vel ad emendationem et satisfactionem culpae, si ex hac proveniant; vel ad exercitium illius virtutis, quod a Deo intenditur, praesertim humilitatis et patientiae.

Punctum II. *Ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te* (v. 48). Dum B. Virgo S. Josephum, tanquam maritum, sibi praeponit, et *patrem* Christi vocat, docet te, quam observantiam et honorem deferre aliis debeas, praesertim Superioribus, quamque honorifice de aliis te loqui oporteat, etiam cum propriae aestimationis diminutione; nam *patris* titulus diminuebat aestimationem et opinionem Virginis, generantis sine patre. Docuit etiam B. Mater, alienum dolorem et tristitiam proprio dolori esse praeferendum; ideo prius de dolore patris pie conquesta est.

Punctum III. Considera verbum: *dolentes;* quod arguit ingentem amorem erga Filium amissum. Nempe in amore non vivitur sine dolore; unde et tu ex amore Dei quaere illum cum dolore, sustinendo quaelibet adversa, ut Deum invenias; sive ea fuerint a Deo immissa (— non enim in prosperis tantum quaerendus est Deus), sive sponte suscepta; ut Deus enim inveniatur, suscipiendus est quivis dolor, — cum ipse factus sit vir dolorum (Is. 53, 3), ut nos inveniret.

Meditatio LXV.

(Die 30. Januarii.)

De verbis Filii ad Matrem.

Luc. 2, 49—51.

Punctum I. *Quid est, quod me quaerebatis?* (Luc. 2, 49). Quia B. Virgo in verbis suis ad Filium, velut ad Deum respiciebat, ideo ipse in persona Dei respondet, ostendens illis, quod spectando occulta Dei consilia, non debuissent B. Virgo et Joseph se pro amisso habere, utpote ab eis non recessuro, nisi propter voluntatem et honorem sui Patris coelestis; quo simul indicat, illos potius laetandi, quam dolendi causam habere potuisse. Quam responsionem B. Virgo a Filio, quem simul ut Deum, adeoque Superiorem suum suspexit, ac venerata est, patientissime et humillime tulit, docens, quomodo in Superioribus Deum respicere, et patienter ac humiliter omnia ab eis, velut a Deo, suscipere debeamus, etiamsi subinde asperius nobis loquantur. Ex eadem responsione etiam docemur, propter nullam derelictionem vel adversitatem tristandum esse, utpote sapientissime a Deo ordinatam.

Punctum II. *Nesciebatis, quoniam in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* (v. 49). His verbis indicat Christus Parentibus suis causam, cur Jerosolymis in templo permanserit, nempe maximum zelum honoris divini procurandi; quem etiam nos imitabimur, in augendum Dei honorem unice intenti, et in eo omnem nostram curam statuentes. Notandum etiam, hac responsione non argui ignorantiam Parentum a Christo, sed adstrui evidentiam hujus veritatis, scilicet, quod illos adeo amet, ut per absentiam suam illos non contristaturus fuisset, nisi exemplum aliis fuisset praebendum; oportere eos etiam amicissimos quosque contristari, ipsoque adeo parentes, si id Dei honor exigat. *Si quis . . . non odit patrem suum, et matrem, . . . non potest meus discipulus* (Luc. 14, 26).

Dei igitur honor omni respectui humano etiam apud te praevaleat.

Punctum III. *Maria autem conservabat omnia verba haec in corde suo* (v. 51), utpote declarantia summum studium, Patris coelestis voluntatem in omnibus implendi, et honorem ejus procurandi. Unde, quod in iis imitandum sibi exhibebatur exemplum, constanti meditatione proponebat, et proponendum docebat. Sic coelestia lumina etiam in meditatione, sacra lectione, verbi divini auditione percepta, saepe memoria recolenda sunt, et scripto etiam annotanda ac relegenda, ut conserventur omnia verba illa, a Deo dictata, in corde tuo.

Meditatio LXVI.

(Die 31. Januarii.)

De profectu Christi in sapientia, aetate et gratia.

Luc. 2, 52.

Punctum I. *Et Jesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines* (v. 52). Considera primo, etiamsi Christus in primo instanti suae conceptionis fuerit plenus sapientia, et secundum actus internos quoad eorum perfectionem non profecerit: profecit tamen secundum actus externos, sed quoad exercitium illorum, magis ac magis demonstrando suam sapientiam partim verbis, partim factis; ut nobis exemplum praeberet majoris sapientiae tum procurandae, tum simili modo demonstrandae. Consistit autem ista sapientia in eo, ut de omnibus rebus ita sentias, et illas aestimes, prout merentur secundum rationes non mere humanas mundi et carnis, — (haec enim est sapientia mundi, et est sapere secundum carnem, quod est stultitia apud Deum, teste S. Apostolo 1. Cor. 3, 19), sed prout merentur secundum utilitatem, quam afferunt ad aeternam beatitudinem. Eadem vero sapientia demonstratur, si, prout sentis, de illis loquaris, et circa illas opereris,

amplectendo scilicet vel respuendo juxta merita earundem. Procuratur autem oratione, meditatione, sacra lectione, omnium verborum et actionum suarum discussione, vitae integritate. *Quoniam in malevolam animam non introibat sapientia* (Sap. 1, 4). *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei* (Jacob. 1, 5).

Punctum II. Considera, quoniam cum Christo debeas aetate proficere, non tantum physica et naturali, sed morali, ut scilicet nullum tempus otio, nimio somno, vel absque actione meritoria transigas; hoc enim esset tempus perdere, et non proficere. Unde non sunt numerandi, vel vana jactantiâ extollendi multi anni vitae, vel Religiosae conversationis; de horum jactura cum humilitate potius est dolendum, et quantum fieri potest, perditum tempus quotidiano fervore est reparandum et redimendum. Ideo S. Paulus (Ephes. 5, 15) scribit: *Videte igitur fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus.* Ille ergo cum Christo recte profecit aetate, de quo dici potest: *Consummatus in brevi, explevit tempora multa* (Sap. 4, 13).

Punctum III. Considera, Christum non quidem interius, per augmentum gratiae sanctificantis, apud Deum profecisse, — quia semper eodem modo fuit *plenus gratiae et veritatis* (Joan. 1, 14), et in ipso habitavit *omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (Col. 1, 9), — vere tamen profecisse *gratiâ apud Deum*, i. e. profecisse actibus, qui illum dignum sua plenitudine gratiae, et gratum ac amabilem Patri coelesti reddebant, ut propterea sibi in Filio complaceret. Semper ergo proficias gratiâ apud Deum per actus vere reddentes dignum divina gratiâ; nec satis tibi sit inire gratiam hominum vel consequi laudem ac aestimationem humanam; alioquin recepisti mercedem tuam (Matth. 6, 2), et non profecisti gratia apud Deum. Necesse tamen est, ut etiam impleas illud S. Pauli (2. Cor. 8, 21): *Providemus enim bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Sic quoque proficies gratiâ apud homines, praesertim per actus humilitatis, mansuetudinîs, et charitatis non fictae, sed sincerae et obsequiosae.

Meditatio LXVII.

(Die 1. Februarii.)

De obedientia Christi erga Parentes.

Luc. 2, 51.

Punctum I. *Et erat subditus illis* (Luc. 2, 51). Quamvis Christus nullam habuerit causam, propter quam expedit hominem homini subdi, utpote qui neque per intellectum a vero, neque per voluntatem a bono deficere poterat: tamen ipse, cum Deus, Creator, supremus gubernator, et Dominus omnium esset, nec rapinam arbitraretur, esse se aequalem Deo (Phil. 2, 6), voluit propter hominem homini non tantum semel, vel iterum obedire, sed stabiliter subdi. Quis ergo gravetur, vicissim subdi Deo, explendo in omnibus voluntatem ac beneplacitum illius, sive agendo, sive patiendo? *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* (Ps. 61, 1), et quis renuat subdi homini propter Deum? Alias Deus veterem suam querelam repetet: *Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos* (1. Reg. 8, 7). Igitur *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (Rom. 13, 1 sq.).

Punctum II. Quandoquidem Deus suam voluntatem dignatur nobis manifestare per homines, quos nobis praeposuit, et intellectum ac voluntatem nostram per illos dirigere, ne a vero et recto deflectamus: annon aequissimum est, nos tam quoad intellectum et voluntatem, quam quoad perfectissimam executionem hominem propter Deum subdi, cum ipse, qui est Sapientia, et Sanctitas, et Bonitas infinita, fuerit subditus homini? — Oderis etiam praeesse aliis, cum ipsum Deum vides subditum hominibus; vel si praeesse debes, ipsis subditis in prudentia et in sanctitate te inferiorem aestima, sicut Josephus erat et aestimabat se inferiorem Filio suo nutritio; recordare, te non habere

potestatem nisi quia tibi data est desuper (Joan. 19. 11), et scito in se omnes homines esse aequales. *Rectorem te posuerunt? noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis* (Sir. 32, 1). Charitate ergo, potius quam severitate nimia, auctoritatem tibi acquire. *Si vis amari, ama;* si amaris, impera.

Punctum III. Christum constat usque ad trigesimum annum Parentibus suis fuisse subditum, in rebus infimis, et in functionibus vilissimis, quamvis ab infantia ad summa esset aptissimus, et praedicando ac miracula patrando totum mundum convertere potuisset. Quanti ergo aestimanda sunt infima munia, si ea propter Deum ex obedientia constanter obeuntur? Quam non appetenda altiora, etiamsi ad ea fores aptissimus?

Meditatio LXVIII.

(Die 2. Februarii.)[1]

Christus fabrilem artem exercet.

Marc. 6, 3; Matth. 13, 55.

Punctum I. *Nonne hic est faber?* (Marc. 6, 3). Ex hoc textu colligitur, Christum, qui quemadmodum (quâ Deus) totum mundum, ita quodvis opus uno verbo *fiat* condere potuisset, arti fabrili usque ad trigesimum annum completum operam dedisse: ut praeberet exemplum vitandi otii, patientiae in subeundis laboribus a juventute sua, et humilitatis in abjectis officiis, etiam manualibus. Quod exemplum secutus gentium Doctor (1. Cor. 4, 12) inquit: *Laboramus operantes manibus nostris.* — Disce exinde etiam, homines laboribus manualibus occupatos non solum non despicere, sed potius eosdem, utpote Christi imitatores, intus pluris aestimare et charitate amplecti, praesertim si

---

[1]) Cfr. Med. 49. sqq. p. 89 sqq. (De Purificatione B. M. Virginis, et de Praesentatione Christi in templo.)

labores ex motivis altioribus susceperint, sicut S. Jacobus (1, 5. sq.) de pauperibus aestimandis nos monet: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem.* Si vero tui muneris sit, manibus laborare, istos labores suscipere ne erubescas, sed ex amore Dei vires tuas cum sudore vultus tui adstringe et virtutes exercere conare, quas Christus Dominus ipse sub labore manuum suarum tibi exemplum daturus exercuit.

Punctum II. Inde etiam ostenditur, longe plus hominem sibi quam proximi saluti vacare debere, et ad vitam activam non esse prodeundum, nisi in vita contemplativa (cui Christus dum intra domesticos parietes arte fabrili occupatus contineret, triginta annis insistebat), diu multumque exercitato et praeparato. Imo patet inde, functiones vilium ac domesticorum officiorum, quales etiam sunt: inservire mensae, ministrare in culina, etc., posse quoque ordinari in bonum proximi, ad quod Christus totam suam vitam referebat, easque ex charitate, humilitate, obedientiâ susceptas, etiam spiritualibus functionibus esse praeferendas.

Punctum III. Cum constet ex Evangelio, praedicta verba: *Nonne hic est faber?* ex contemptu Christi prolata esse, quia triginta annis sub artis fabrilis exercitio thesauros scientiae et sapientiae suae abscondebat: ideo et nos ipsi cum Christo appetamus, latere, ignorari, despici, nec admoveri ad ea officia, quae plausum et aestimationem apud homines pariunt, sicut monet etiam nos Apostolus (Col. 3. 2 sq.): *Quae sursum sunt sapite, non quae super terram; mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.*

Annotatio.

Quia Christus, cum esset Verbum et Sapientia aeterni Patris, expleto trigesimo aetatis suae anno, officium praedicandi, ac coelestem suam doctrinam per universam Judaeam et Galilaeam disseminandi, veluti divinus Magister deinceps publice gerere constituit: ideo, qui Praecursoris ac legati munere fungeretur, — *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit, ut testimonium*

perhiberet de lumine, (de Christo, qui est sol justitiae, et lux mundi), *ut omnes crederent per illum* (Joan. 1, 6). De quo etiam ex angelico Gabrielis ore S. Lucas (c. 1, 17) praedixit: *Ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Itaque non alienum ab ordine historiae erit, si (antequam divini magisterii tempore a Christo gesta ac dicta meditatione expendatur; antequam etiam mentis oculi in admirandam Christi coram Joanne submissionem, qua Dominus a servo, et justitiae fons lustrali Joannis fonte, in poenitentium morem, ablui non erubuit, attente convertantur), ipsius Praecursoris et Baptistae vitam, sanctitatem et doctrinam animo perpendendam praemittamus: quemadmodum S. Lucas ab illius conceptione et nativitate evangelicam suam historiam exorsus est.

Meditatio LXIX.

(Die 3. Februarii.)

Conceptio S. Joannis Baptistae.

Luc. 1, 5—17.

Punctum I. *Fuit in diebus Herodis, Regis Judaeae, sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia* (— de familia nimirum et posteritate Abia, quae erat una ex viginti quatuor familiis, sive classibus, in quas sacerdotes Aaronici a Davide erant divisi, ut per singulas hebdomadas mutatis vicibus et ordine, per sortem definito, in templo ministrarent), *et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. Et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo procesissent in diebus suis. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suae ante Deum, secundum consuetudinem*

sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in templum Domini; et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus (qui v. 19 nominatur Gabriel) *stans a dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem; et erit gaudium tibi, et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt* (Luc. 1, 5—14). Considera, quam similis inter se fuerint annuntiatio Joannis, et annuntiatio Christi supra Med. 13. expensa. Sicut enim ad B. Virginem, sic etiam ad Zachariam missus est Angelus Gabriel, qui ipsi denuntiaret conceptionem filii ex uxore sterili, et ipsius filii nomen, sanctitatem, officium praedicationis cum multarum animarum lucro gerendum: veluti idem Angelus deinde B. Virgini annuntiavit, quod Virgo esset paritura Filium, cujus etiam nomen, sanctitatem, officium, promissi aeterni Regis ac Servatoris, per Nomen significati, manifestavit. Similiter S. Lucas in utraque annuntiatione enucleate expressit tempus, locum, nomen, familiam et conditionem parentum, etc. Ex quibus omnibus colligitur, quam sanctus et quam similis Christo fuerit S. Joannes, et quomodo Deus honoret similitudine gloriae, qui Christum Filium Dei imitantur sanctitate. Si autem ingressum in hanc vitam tam similem nactus est Joannes Praecursor Christi, ob rationem indicatam, (quia: *Ipse praecedet illum in spiritu et virtute Eliae*, v. 17): quam similem exitum ex hac vita, et ingressum in alteram vitam habebunt, qui non praecedunt, sed sequuntur Christum in spiritu et virtute ipsius Christi? Hos certe teste S. Paulo (Rom. 8, 29) *Deus praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.*

Punctum II. *Erit enim magnus coram Domino* (sicut ante de parentibus v. 6 dictum est, quod fuerint *Justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini), et vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae* (Luc. 1, 15). Sic non coram te ipso, nec coram

mundo, sed coram Domino et ante Deum magnus esto virtute et sanctitate, et gratia Spiritus sancti; nec satis sit tibi, eum diffundi in corde tuo, quemadmodum S. Paulus (Rom. 5, 5) inquit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis:* sed stude etiam repleri, ut sis gratia plenus, et quidem absque dilatione plenae ac perfectae sanctitatis in seram aetatem, quemadmodum S. Joannes repletus est adhuc in utero matris suae.

Punctum III. *Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum; et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae, ut convertat corda patrum in filios* (ut scil. Abraham, Isaac, Jacob, ceterique Patriarchae bene afficiantur posteris suis, viventibus tempore Joannis et Christi); *et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam* (Luc. 1, 16 sq.). Ecce fructum ac vim plenae ac perfectae sanctitatis, qua S. Joannes, licet nunquam studuerit litteris, exemplo potius, quam verbo docuit prudentiam justorum, et paravit Domino plebem perfectam. Qua proinde etiam tu alios debes reddere perfectos, ac parare Domino plebem perfectam, atque convertere in te corda Sanctorum Coelitum, sanctorumque Angelorum Custodum, qui sicut a clientibus suis dato scandalo offenduntur, sic bono exemplo amor illorum conciliatur.

Meditatio LXX.

(Die 4. Februarii.)[1]

Nativitas S. Joannis Baptistae.

Luc. 1, 57—68.

Punctum I. *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini et cog-*

[1]) Cum Dies Cinerum in hunc diem (4. Febr.) vel dies sequentes (usque ad diem 10. Mart.) incidere possit: medi-

nati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei (Luc. 1, 57 sq.). Considera causam, quare, cum alias inter vicinos soleant esse inimicitiae et dissensiones, vicini isti gratulati sint Elisabeth et Zachariae. Ea indicata est v. 6: *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.* Sic et tu demereberis et devincies tibi animos hominum, ut te diligent, malis tuis condoleant, et bonis congaudeant, praesertim si in communitate degens vivas sine querela, ut nec conqueraris, contra alios, nec aliis des causam querelae contra te. Unde Thomas Kempensis (l. I. c. 17. n. 1) recte inquit: *Non est parvum, in monasteriis, vel in Congregatione habitare, et inibi sine querela conversari.*

Punctum II. *Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater ejus dixit: Nequaquam; sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem Patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi* (v. 59—63). Sicut nomen Jesu impositum est Christo ex divino imperio: ita ex eodem, per Angelum Zachariae denuntiato (v. 13), ac Elisabeth revelato, Christi Praecursori suum nomen inditum est; ut significaretur, quod sicut Christus esset futurus *Servator* mundi, sic Joannes futurus esset *Gratiosus* sanctificatus adhuc in utero matris suae, et per praedicationem poenitentiae etiam ipsos peccatores esset facturus gratiosos, seu gratos Deo, i. e. Dei gratia donandos. Similiter et tu crede, ex divina dispositione tuum nomen in baptismo tibi inditum esse, ut mensuram nominis tui impleas, et rem significatam, vel virtutes illius Sancti, cujus nomen geris, consequaris. Cogita etiam in baptismo per Ecclesiam matrem tuam, et per Christum, a quo velut a patre ad vitam aeternam regeneratus es, reipsa per infusionem gratiae

tationes tempori magis correspondentes assumantur ex Indice Meditationum pro tempore, vel etiam ut infra a Med. CIII.

sanctificantis tibi impositum esse nomen Joannis, i. e. Gratiosi, et baptismali charactere, animae tuae inscripto, etiam de te dictum esse: *Joannes est nomen ejus.* Ne ergo hoc nomen in baptismo acceptum, gratiae vel innocentiae amissione muta: sine justa causa enim, qualis hic esse nulla potest, nomen in sacro fonte haustum, mutari non solet nec debet. Pari ratione illud etiam nomen impleas, quo *Christianus* appellaris, vel quod ex professione status religiosi geris. — Si e Societate Jesu es, cogita, ordinem, in quo versaris, ideo non apellatum esse nomine patris sui Ignatii, sed ipso Jesu nomine insignitum, ut tanti mensuram nominis impleres re et imitatione.

Punctum III. *Apertum est autem illico os ejus* (Zachariae), *et lingua ejus, et loquebatur, benedicens Deum;* (nam supra v. 20. Angelus mutum reddidit in poenitentiam incredulitatis: *Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem, quo taec fiant, pro eo, quod non credidisti verbis meis, quae implebuntur in tempore suo). Et factus est timor super omnes vicinas eorum, et super omnia montana Judaeae divulgabantur omnia verba haec; et posuerunt omnes, qui audierant, in corde suo, dicentes: Quis putas puer isti erit? Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu Sancto, et prophetavit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae* (v. 64—68). Ex visa etenim prodigiosa impositione nominis, ex soluto vinculo linguae et ex prophetica illustratione ac vaticinatione Zachariae, ad honorandam Joannis nativitatem ab omnipotenti Dei manu provenientibus, posuerunt omnes in corde suo, dicentes: *Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.* Manus Domini nobiscum est per quamvis gratiam Dei excitantem vel adjuvantem; magni itaque et nos erimus, si quemadmodum manus Dei nobiscum est, ita manus, nostra cum Deo sit, si nimirum gratiae Dei excitanti et adjuvanti semper cooperemur. Sic de nobis quoque dicetur, quod de Joanne vers. ult.: *Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu.*

Meditatio LXXI.

(Die 5. Februarii.)

Vita S. Joannis Baptistae in eremo.

Luc. 1, 80; Matth. 3, 4; Joan. 5, 35; Marc. 1, 6.

Punctum I. *Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu, et erat in desertis usque ad diem ostensionis suae in Israel* (Luc. 1, 80). Considera, S. Joannem, qui ob praesentiam Christi, teste Luca (1, 41 et 44) exultavit gaudio in utero matris, adeoque jam tunc simul cum gratia justificante usu rationis praeditus erat, non magis corpore, quam spiritu, per continua augmenta gratiae et virtutum crevisse, ac confortatum esse, et, ut tradunt Doctores, a matre altero vitae anno in eremum fuisse deportatum, ne, quemadmodum pueri Bethlehemitae, ab Herode ob prodigiosam suam nativitatem et suspicionem regni ab illo sibi adimendi, interficeretur. Illuc usque ad trigesimum annum completum, quo populo se ostendere, et praedicare coepit, cum Deo et Angelis versatus est: ut hac ratione etiam peccandi occasionibus subtraheretur, virtutibus exornaretur, Divina contemplaretur, humana aspernaretur, et ad munus praeconis et praecursoris Christi utilius gerendum disponeretur. At tu dispari prorsus ratione magis deficis, quam proficis; occasionibus peccandi, et inutili cum hominibus conversationi te difficulter subtrahis, solitudinem, tempus et locum rebus divinis vacandi fugis, et ad utiliter agendum cum proximo te parum disponis. Adverte etiam vitam S. Joannis vitae Christi simillimam fuisse: Christus post trigesimum circiter annum in eremum decessit; ita etiam S. Joannes; tu quoque, quam perfectissime poteris, in omnibus Christo similis esse conare.

Punctum II. Perpende S. Joannis in eremo adolescentis austeritatem; nam S. Matthaeus (3, 4) de illo scribit: *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem*

ejus erat locustae, et mel sylvestre. Unde Christus apud eundem Matthaeum (11, 18): *Venit Joannes neque manducans, neque bibens,* prout etiam Angelus (Luc. 1, 15) praedixit: *Vinum et siceram non bibet.* Si igitur vis similiter cum Joanne coelestibus voluptatibus frui, commoditates corporis in victu, vestitu, habitatione contemne.

Punctum III. *Et erat lucerna ardens, et lucens* (Joan. 5, 35). Hoc compendio Christus ipse omnem Joannis sanctitatem complexus est. *Nam,* ut inquit S. Bernardus (serm. de S. Joanne B.), *lucere, et non ardere, vanum est; ardere, et non lucere, parum est; lucere et ardere, perfectum est.* Sic et tu aliis per virtutem exempla luceas, tibi ipsi vero per internos illarum actus, praesertim charitatis, devotionis, fervoris in divino obsequio, et studio perfectionis ardeas.

Meditatio LXXII.

(Die 6. Februarii.)

Humilitas S. Joannis Baptistae.

Matth. 3, 11; Marc. 1, 7 sq.; Luc. 3, 16; Joan. 1, 26 sq.; 3, 30.

Punctum I. Quamvis a pueritia usque ad secundum et trigesimum annum Joannes in summa vitae austeritate, totius mundi perfecto contemptu, et continua familiaritate ac conversatione cum Deo in deserto vixerit: ita tamen humiliter de se sensit, ut quocunque servitio, etiam infimo, quod Deo, imo Christo-Homini exhiberet, se indignum senserit, dicens: *cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus* (Luc. 3, 16). Noli ergo altum sentire, etsiamsi diu in Religione vixeris; cogita, te hac ipsa servitute indignum esse, ac Dei perpensa majestate, tua vilitate naturali ac morali, scilicet hominis peccatoris, in cujus ore non est speciosa laus (Eccli. 15, 9), ac ipsorum etiam bonorum operum tuorum imperfectione expensa, aestima,

omnia illa non aequare obsequium, quod vilissimus mediastinus Imperatori praestaret, corrigiam calceamentorum ejus salvendo.

Punctum II. Cum in summa apud alios aestimatione esset S. Joannes, — (*Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus,* — Luc. 3, 15) — praedictam vilissimam sui opionem aliis de se ingenerate conatus est, id ipsum palam profitens: qui est sublimis gradus humilitatis. Unde id unicum ejus erat desiderium, et votum, ut Christi apud homines existimatio cresceret, sua autem minueretur: prout ipse discipulis suis hoc suum desiderium aperuit, dicens: *Illum oportet crescere, me autem minui* (Joan. 3, 30). Utinam sic unice desiderares, et quaereres gloriam Dei, et tui contemptum! Hoc est vere Sanctos imitari et sanctum esse.

Punctum III. Suum baptismum, et res suas annihilare, Christi vero baptismum et ipsius gesta summe extollere studuit, ut omnes Evangelistae testantur. Sic ergo non tantum non gloriose de nobis, sed abjecte loqui et sentire debemus, aliosque nobis praeferre, et res illorum extollere.

Meditatio LXXIII.

(Die 7. Februarii.)

Responsio S. Joannis ad interrogationes propositas.

Joan. 1 sq. 23.

Punctum I. *Miserunt Judaei ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, et non negavit, et confessus est: Quia non sum ego Christus* (Joan. 1, 19 sq.). Noluit igitur Joannes confirmare communem de se opinionem, sed triplici confessione, quod non sit Christus, constanter eidem contradixit, ne crederetur esse major, quam revera erat. In hoc ergo imitare S. Joannem, ne velis videri major,

quam es, non doctior, non sapientior, non sanctior: sed potius gaude, horum omnium defectus aliis de innotescere, noli eos excusare, noli ultra verum te jactare, aut simulare.

Punctum II. *Et interrogaverunt eum: quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? et respondit: Non* (v. 21). Potuisset cum veritate utrumque affirmare; quia Christus ipse (Matth. 11, 14) de eo testatus est, quod sit Elias, scil. spiritum Eliae habeat, et quod sit plus quam propheta. Sed quia cum veritate etiam negare potuit, negavit, nolens id affirmare, quod ad laudem suam tendebat. Ita nimirum ea, quae in nobis laudabilia sunt, tacenda, imo celanda sunt.

Punctum III. *Dixerunt ergo ei: Quis es, ut testimonium demus his, qui miserunt nos? quid dicis de te ipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto* (v. 22 sq.). Hac responsione totum, quod erat, adscripsit Deo; sicut vox nihil habet laudabilitatis, quod non sit penitus illius, a quo profertur. Quidquid ergo boni in te ipso celare non potes, id saltem noli tibi attribuere, vel quidquam laudis inde tibi vindicare vel admittere. Interroga quoque te ipsum: *Quis es?* et responde per veram tui cognitionem: Pulvis, cinis, putredo, vermis, homo coecus, pauper, nudus, peccator, etc. (cfr. Apoc. 3, 17); imo etiam vox clamantis, quae alios ad perfectionem vocat, ipsa autem nihil virtutis habet.

Meditatio LXXIV.

(Die 8. Februarii.)

Praedicatio S. Joannis, parantis Domino plebem perfectam. (1.)

Joan. 1, 6; Luc. 1, 17.

Punctum I. Ut vim et efficaciam hujus praedicationis melius perspicias, observa imprimis ipsius praedicatoris dotes ac virtutes. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen*

erat Joannes (Joan. 1, 6). Cum enim officium S. Praecursoris Christi esset teste Luca (1, 17): *Parare Domino plebem perfectam*, ut haec digna et apta fieret ad recipiendam doctrinam Christi, necesse fuit, ut Joannes esset et sciretur *missus a Deo;* ut colligitur ex verbis S. Pauli (Rom. 10, 13—15): *Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante? quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* Sic Deus, antequam ipse loquatur nobis ad cor et impleat erga hominis animam illud Oseae (2, 14): *Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus:* mittit etiam homines, nimirum duces spirituales, qui verbis, libris, consiliis, monitis, mandatis, etc., cor nostrum praeparent Deo et divinis inspirationibus; necesse itaque est, ut illos velut a Deo missos recipiamus, audiamus, iisque obsequemur. Quod si tu quoque a Deo ad alios es missus, simili modo tuam missionem obeas. Nullum autem officium vel suscipias vel procures, nisi missus a Deo, vel a Superioribus nomine Dei; nullum etiam recuses, ad quod es missus.

Punctum II. Considera, S. Joannem ab Evangelista hominem dici: *Fuit homo missus a Deo;* simul tamen a Christo etiam dici Angelum: *Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, quae praeparabit viam tuam ante te* (Matth. 11, 10). Age et tu hominem, patienter ferendo miserias humanas, et te humanum erga alios exhibendo; atque S. Joannis austeritatem imitando, cum et ipse fuerit homo passibilis, sicuti nos; quemadmodum S. Jacobus (Epist. 5, 17) de Elia scribit: *Elias homo erat similis nobis, passibilis.* Simul autem age Angelum, castitate, abstinentia a cibo et potu non necessario, atque ab omni sensuum inordinata voluptate, denique imitando angelicam puritatem et innocentiam.

Punctum III. *Et ipse praecedet ante illum* (scil. Christum Deum) *in spiritu et virtute Eliae* (Luc. 1, 17). Spiritus autem Eliae fuit ingens zelus, de quo (1. Maccab.

2, 58) dicitur: *Elias dum zelat zelum legis, raptus est in coelum.* Virtus Eliae fuit vitae sanctitas, externâ corporis austeritate comprobata, quâ auditores suos in omnem partem permovebat. Utroque, nempe zelo et vitae sanctitate, S. Joannes Eliam imitabatur, et ideo de illo Angelus Zachariae patri ejus praedixit: *Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum* (Luc. 1, 16). Si praedicatio S. Joannis, spiritu et virtute Eliae imitantis tantum valuit ad conversionem multorum: quantum valebit praedicatio tua vel bonum exemplum tuum, si spiritum et virtutem Christi secutus fueris? Quodsi autem officium non sit, conversioni et saluti aliorum vacare, stude tamen, ut sicut S. Joannes spiritum et virtutem Eliae, ita tu spiritum et virtutem Christi, et majorum tuorum assequaris.

Meditatio LXXV.

(Die 9. Februarii.)

Praedicatio S. Joannis. (2.)

(Continuatio.)

Joan. 1, 15—18.

Punctum I. Post Praedicatoris dotes considera praedicationis argumentum: *Joannis testimonium perhibet de ipso* (scil. Christo), *et clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior ante me erat. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (Joan. 1, 15—18). Nam quia Joannes, ut citatus Evangelista (v. 7) testatur: *Venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, et omnes crederent per illum* in Christum, qui est lumen et splendor aeterni Patris, et *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. 1, 9); ideo

primo testimonium perhibuit de Christo, *quis* esset; nempe, quod esset ille ipse, qui ex promissione Dei post sanctum Joannem venturus erat magister, fallere et falli nescius, plenus gratiae et veritatis (Joan. 1, 14), in homines derivandae in primo suo adventu; et qui venturus etiam erat ut judex aequissimus ad decernenda praemia aut supplicia in secundo suo adventu; quique nihilominus, etiamsi tempore adventus duplicis posterior esset Joanne, ante ipsum ab aeterno erat genitus a coelesti Patre, eique per eandem naturam divinam intime conjunctus, et veluti in sinu habitans. Hoc tam manifesto, et apud Evangelistam Joannem (1, 15. 27. 30.) ter repetito testimonio, voluit S. Joannes Baptista auditores suos et nos omnes excitare, ut essemus *Docibiles Dei,* — (sicut Isaias c. 54. v. 13 apud Joan. 6, 45 praedixit, quando nimirum ipse Filius Dei venturus erat unicus magister noster, ad salutem nostram utilissima et certissima documenta, utpote in sinu coelestis Patris visa et clarissime cognita, daturus), — et ut illi omnem fidem, honorem, amorem ac timorem praestaremus tanquam Magistro, Servatori, Autori omnis gratiae, Judici, ac Filio Dei.

Punctum II. Non tantum quis, sed etiam *qualis* esset Christus, Joannes testatus est; nimirum quam dives et liberalis in omnes; cum, quidquid haberemus, id omne de *plenitudine* gratiarum et meritorum Christi accepturi essemus, et quidem gratis; quamvis enim nos ipsi, primae gratiae gratis datae cooperantes, praestiterimus nonnulla merita, a gratuitis et efficacibus auxiliis dependentia: haec ipsa tamen merita sunt gratia, et praemia inde subsequentia sunt *gratia pro gratia.* Unde considera, quantum amoris et gratitudinis debeas Christo; quantumque te coram illo humiliare debeas, omnem gloriam illi soli attribuens, nihil tibi, dicente Paulo (1. Cor. 4, 7): *Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Punctum III. Perpende beneficium, quod non in statu legis Mosaicae, sed in statu gratiae positus sis a Christo. *Quia lex per Moysem data est,* quae gratiam et veritatem divinorum mysteriorum per quasdam ceremo-

nias et ritus praeceptos solum significabat, et praefigurabat; *sed gratia, et veritas per Jesum Christum facta est.* Ille enim gratiam et Sacramenta, quae sunt causa gratiae, aliaque efficacissima media augendi et conservandi gratiam copiosissime pro hoc statu gratiae nobis promeritus et consecutus est; promissiones et figuras veteris legis implenda verificavit, et tum per se, tum per Spiritum sanctum a se missum docuit nos omnem veritatem (Joan. 16, 13). An tu mediis gratiam factam impetrandi, augendi et conservandi, atque veritatem divinorum mysteriorum, et rerum ad aeternam beatitudinem utilium agnoscendi, uteris?

Meditatio LXXVI.

(Die 10. Februarii.)

Praedicatio S. Joannis. (3.)

(Continuatio.)

Matth. 3, 1. 8; Luc. 3, 3—6.

Punctum I. Alterum praedicationis argumentum a Praecursore Christi pertractatum, ut pararet Domino plebem perfectam, indicarunt Evangelistae Matthaeus et Lucas, nempe: *In diebus autem illis venit Joannes Baptista, praedicans in deserto Judaeae, et dicens: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum* (Matth. 3, 1). Poenitentia quippe est fundamentum perfectionis, quia per illam purgatur animus a peccatis. Bene autem ponderanda est indicata superius causa impellens: *Appropinquavit enim regnum coelorum:* quod etiam Christus ipse pro praedicationis suae argumento adduxit, teste S. Matthaeo (4, 17): *Exinde coepit Jesus praedicare et dicere: Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum coelorum.* Hinc etiam S. Paulus (Rom. 13, 11) scribit: *Hora est, jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam eum credidimus;* i. e. nunc postquam Christus

Redemptor noster venit in mundum, et coelum peccato originali conclusum nobis aperuit, proprior est nostra salus, quam cum solummodo credidimus, aliquando venturum. Quia ergo nunc per seriam poenitentiam pro culpae et poenae reatibus actam, ex hac misera et periculosa vita ad beatissimam et securissimam quamprimum transire possumus, et implere illud Psalmistae vatidicum oraculum: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini* (Ps. 126, 3 sq.): ideo pro haereditate Domini post somnum mortis statim adeunda, et pro regno coelorum statim obtinendo, absque diversione ad purgatorium ignem: firmum statue propositum mox agendi seriam poenitentiam; et quia quotidie magis appropinquat regnum coelorum, ideo non deficere, sed magis proficere te oportet in operibus poenitentiae, quando nimirum morti et regno coelorum redderis vicinior.

Punctum II. *Facite ergo fructus dignos poenitentiae, et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham* (Matth. 3, 8). His verbis altera causa impellens ad fructuosam poenitentiam insinuatur; quod nempe non confidendum sit in meritis et suffragiis aliorum, sive patris, sive fratris, sive alio necessitudinis aut propinquitatis titulo nobis conjunctorum. Sicut enim *filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii,* sed: *Justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum* (Ezech. 18, 20). Licet vero aliena merita, et satisfactio per modum suffragii ad extinguendum reatum poenae, pro remisso peccato adhuc debitae, servire possint: tamen tu ipse fac fructus dignus poenitentiae, et noli fidere aliis, quamtumvis conjunctissimis; quia hi propriâ indigent poenitentia, et post mortem tui cito obliviscentur.

Punctum III. *Et venit in omnem regionem Jordanis, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae Prophetae: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus; omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Et videbit omnis caro salutare Dei* (Luc. 3, 3—6; Is. 40, 3 sq.). Talibus ver-

bis indicavit S. Joannes, quinam sint illi fructus digni poenitentiae. Primus est animae interna ablutio per veram contritionem, externa corporis ablutione a S. Joanne significata, et eadem humilitate externa etiam procurata. Alter est emendatio vitae, ut per eam, veluti viam ac semitam rectam ac planam tota SS. Trinitas dignetur in animam peccatoris venire, et mansionem facere: si nimirum vitando peccata *omissionis* impleatur vallium vacuitas, et vitando peccata *commissionis* montium et collium coacervatio auferatur; si etiam neque adversis nimium animus deprimatur, ut subsidat in vallem desperationis aut pusillanimitatis, neque prosperis extollatur, ut in montem aut collem superbiae exurgat; si praeterea pravi habitus et consuetudines per actus contrarios tolluntur, et virtutum asperitas ac difficultas per actus frequentatos complanetur, ut sint: *Prava in directa, et aspera in vias planas.*

Meditatio LXXVII.

(Die 11. Februarii.)

Praedicatio S. Joannis. (4.)

(Continuatio.)

Matth. 3, 10. 12; Luc. 3, 9; 13, 3.

Punctum I. *Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (Matth. 3, 10). Prima ergo ratio suadens fructuosam et condignam poenitentiam est propinquitas ac certitudo mortis, indicatae per securim ad radicem positam, et singulis momentis, veluti totidem ictibus acceleratae. Eadem ratio autem roboratur comminatione poenae infligendae illis, qui ad mortem per fructus dignos poenitentiae imparati sunt: ideo horum mors comparatur arbori excidendae et in ignem mittendae. Probi autem, et ad mortem bene praeparati, non arbori excidendae, sed in coelestem paradisum transplantandae similes

sunt, ut proinde quisque eorum sibi usurpare possit illud Ecclesiastici (24, 16): *Et radicavi in populo honorificato.*

Punctum II. *Cujus* (scil. Christi) *ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam* (i. e. orbem terrarum, separando malos a bonis). *Et congregabit triticum suum* (bonos) — *in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili* (Matth. 3, 12). Altera ergo ratio suadens poenitentiam exprimitur similitudine ventilabri in manu: qua significatur propinquitas ultimi judicii, tum universalis, tum particularis. Hoc enim judicio ventilabuntur, et difflabuntur paleae a tritico, sive a *frumento electorum* (Zach. 9, 17). Cave ergo, ne tu, et opera tua sint veluti paleae, vacua, infructuosa, et ad concipiendum ignem jam disposita; non effugies enim ventilabrum in manu supremi judicio positum i. e. strictissimum judicium ejus, qui nec falli, nec flecti poterit (cfr. 1. Cor. 3, 12 sqq.).

Punctum III. Ultima ratio suadens fructuosam poenitentiam est tum felicitas aeterna, quae poenitentibus promittitur similitudine tritici congregandi in horreum, tum damnatio aeterna, similitudine paleae, igni in extinguibili comburendae, proposita. *Nisi poenitentiam habueritis, omnes simul peribitis* (Luc. 13, 3). Considera autem, quam capax flammae sit palea, et quam inextinguibilis sit flamma infernalis; quam ampla autem, pulchra et jucunda sint horrea coelestia, et quam beatum, in illa congregari inter frumentum electorum. *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum?* (Zach. 9, 17).

Meditatio LXXVIII.

(Die 12. Februarii.)

De baptismo Christi.

Matth. 3, 13—15; Marc. 1, 9; Luc. 3, 21.

Punctum I. *Tunc venit Jesus a Galilaea in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo* (Matth. 3, 13).

Christus futurus magister humilitatis, a quo scilicet homines discerent, — quia mitis est et humilis corde (Matth. 11, 29), — ad praedicandum voluit initiari per baptismum poenitentiae inter publicanos et peccatores susceptum, velut ipse quoque peccator esset: ut exemplum daret non tantum patienter ferendi sinistram de nobis opinionem, peccatis ac defectibus nostris promeritam, sed etiam immeritam, sufferendo quoque falsas suspiciones, diffamationes, reprehensiones ac poenitentias innocentibus illatas.

Punctum II. Eâdem baptismi receptione ac commendatione docuit nos eximiam erga proximum charitatem, quâ non solum non spernere, vel elevare alienas res, sed etiam aestimare, laudare, atque extollere debemus, sicut Christus baptismum Joannis, quamvis non fuerit causa gratiae, sicut Christi baptismus.

Punctum III. Christus volens, ut ipse Joannis insinuabat, implere omnem justitiam, per baptismi neque necessariam neque praeceptam susceptionem ostendit, nullam occasionem praetermittendam augendae justitiae ac perfectionis, non tantum praecepta, sed etiam consilia, et majus divinum beneplacitum implendo. Cum enim Joannes ipsi opponeret (Matth. 3, 14 sq.): *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Respondens Jesus dixit ei: Sine modo: Sic enim decet non implere omnem justitiam,* — si nempe Joannes non praetermitteret occasionem obedientiae coecae, et Christus occasionem humiliationis et boni exempli. Notanda et imitanda etiam est humilitas S. Joannis, ut, cum alios nostrae instructioni vel directîoni se submittentes abluimus: nos ipsis postponamus, et magis indigere nos credamus ab ipsis ablui, i. e. corrigi, admoneri, reprehendi, ac puniri.

Meditatio LXXIX.

(Die 13. Februarii.)

De prodigiis in baptismo Christi factis.

Matth. 3, 16 sq.; Marc. 1, 10—12; Luc. 3, 21 sq.

Punctum I. *Ecce aperti sunt ei coeli* (Matth. 3, 16). Haec vis humilitatis est, ut, unde quis quaerit sui contemptum ac vilipensionem, inde Deus majorem conferat gloriam et aestimationem apud homines; ideo Christus tantis prodigiis declaratus est habere coelos sibi apertos, esse plenus Spiritu Sancto, esse Filius Dei dilectus, quia inter peccatores se abjecit. Prima igitur gloria Christo, initium praedicationis facturo, a Patre coelesti tributa fuit, ostendendo, ipsum habere potestatem aperiendi nobis coelos per suam doctrinam, merita, exempla, sacramenta, etc. Humilitas sit tibi clavis aperiens coelum. *Qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. 14, 11).

Punctum II. *Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se* (Matth. 3, 16). Haec erat altera gloria, ostensio publica, quod coelestis iste Magister sit plenus Spiritu sancto, et donis ac fructibus ejusdem; quod doctrina illius tribuat columbinam innocentiam vitae, contineat veritatis simplicitatem; quod ipse sit Magister sanctus, verax, mitis, etc. Audi et sequere hunc Magistrum, et accipe Spiritum ejus, vitam tuam illius doctrinae conformando.

Punctum III. *Et ecce vox de coelo dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (Matth. 3, 17). Haec summa auctoritas et gloria Magistri fuit, ut scilicet audiretur a nobis tanquam Filius Dei, cujus vita et doctrina placeat Deo, et eam proinde sequentes faciat Deo placere, vel potius Deum sibi in nobis placere, tanquam in imagine et speculo, in quo relucent divinae perfectiones per imitationem. Unde etiam non tu tibi ipsi complaceas in tuis actionibus, sed eas Deo ut auctori tribuas, ut ipse sibi in iis complaceat. Tu autem hoc unice cura, ut sis filius per gratiam adoptionis Deo dilectus.

Meditatio LXXX.

(Die 14. Februarii.)

Christus in desertum secedit.

Matth. 4, 1; Marc. 1, 12; Luc. 4, 1.

Punctum I. *Tunc* (eodem die) *Jesus ductus est in desertum a Spiritu* (non a malo, sed a Sancto, quem, ut proxime dictum est, vidit descendentem sicut columbam, et venientem super se), *ut tentaretur a diabolo* (Matth. 4, 1). Considera causas hujus secessus, ut scilicet publicum subterfugeret, et hominum applausibus se subduceret, ob descensum visibilem Spiritus Sancti, et vocem coelestem, qua Pater divinus testabatur, illum esse Filium suum, in quo sibi complacuisset; deinde etiam, ut orationis ac mortificationis extraordinarium studium in occulto perageret, et virtutes nostras celandi exemplum daret. Sic sequere Christum in desertum.

Punctum II. Alia hujus secessus causa fuit, ut orationi impensius vacaret, impulsus a Spiritu Sancto, et similis fervoris ac internae devotionis nobis exemplum daret, quando et ipsi impellimur a Spiritu Sancto; maxime cum peragimus orationem matutinam, ac alia exercitia spiritualia, ex quibus efficaciam promanare oportet ad alias nostras functiones; quod etiam declaravit Christus per orationem praedicationi praemissam pro felici ejus successu.

Punctum III. Rursum alia causa in desertum secedendi fuit, ut subtractis commoditatibus corporis in habitatione, cubili, victu quotidiano praeberet exemplum mortificationum corporis, secundum vires assumendarum, et ut ostenderet, ad curam animarum prodeundum esse ex solitudine, ubi virtutis per familiarem conversationem cum Deo, et doctrinae per privatum studium necessaria arma parari debent. Nemo enim secure et utiliter prodit in publicum, qui in solitudine cum Deo et secum ipso non frequenter et libenter versatur, et inutiles confabulationes et conventicula declinet.

Meditatio LXXXI.

(Die 15. Februarii.)

Christus tentatur a Diabolo. (1.)

Matth. 4, 3. 6. 8; Marc. 1, 13; Luc. 4, 3. 5 sqq. 9.

Punctum I. *Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant* (Matth. 4, 3). — *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum, etc.* (v. 6). *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, et ostendit illi omnia regna mundi, et gloriam eorum, et dixit ei: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me* (v. 8). Considera, triplicem diaboli tentationem ad superbiam instigasse, nempe ad vanam ostentationem Filii Dei et potestatis divinae, per lapidum in panes conversionem, ac per praecipitationem ex pinnaculo templi, atque ad ambitum gloriae hujus mundi falso promissae. Hinc patet, quam secure pugnent cum diabolo vere humiles, et a quo maxime cavere sibi debeant in tentationibus, etiam illi homines, qui orationi et austeritati vitae cum Christo dediti sunt, quos diabolus sperat, adhuc superbiâ sterni posse: ideo etiam contendit, honorem nostrum ubique intrudere, ut ita eo facilius ad peccatum pertrahat, vel saltem nos perturbet et impedimenta congeret, quominus in virtute proficiamus. Quapropter Deo soli curam honoris tui committe. *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine* (Ps. 117, 8). *Ille probatus est, quem Deus commendat* (2. Cor. 10, 18).

Punctum II. Considera, diabolum communiter, etiam homines spiritui deditos, impellere ad commoditates carnis, ut patet ex prima tentatione, irritante ad gulam. Huic Christus opposuit spiritualem cibum Verbi Domini, et curam spiritus, ad vitam animae conservandam, ac spiritualibus oblectamentis fovendam. *Gustato enim spiritu desipit omnis caro,* — teste S. Bernardo. *Gustate* igitur et *videte,*

quoniam suavis est Dominus! (Ps. 33, 9). Cibum etiam habemus spiritualem, qui est panis Angelorum, de quo dicitur: *Panem de coelo praestitisti illis, . . . omne delectamentum in se habentem* (Sap. 16, 20).

Punctum III. Sicut diabolus Christum sub specie fiduciae in Deum instigavit ad praesumptuosam sui praecipitationem e loco sublimi: sic virtutis studiosos tentat sub specie boni ad usum indiscretum rerum bonarum, vel ad perversam in illis intentionem, vel ad neglectum mediorum ordinariorum: prout Christum incitavit ad abusum protectionis divinae, vanamque ex illa gloriam quaerendam, atque ad negligenda media, per gradus ex pinnaculo descendendi. Unde ex praepostero fine, ac mediis ad bonum praetensum suggestis, facile colligitur dolus tentatoris.

Meditatio LXXXII.

(Die 16. Februarii.)

De tentatione Christi. (2.)

(Continuatio.)

Matth. 4, 8–10.

Punctum I. Ex verbis diaboli: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me* (Matth. 4, 8) colligitur: 1) Quanti emeret diabolus unum peccatum mortale, si tantum pro eo pretium offert: quanti proinde pretii nobis esse debeat libertas a peccato mortali, quod neque pro toto mundo, nedum pro vilissima aliqua voluptate patrandum est. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* (Matth. 16, 26). Colligitur 2) fallacia diaboli, magna saepe bona phantasiae nostrae proponentis, ac promittentis, quae peccantes minime assequeremur. Colligitur 3) quam indigna petat diabolus a quolibet peccatore, ut, qui ad solum Deum adorandum ac colendum conditus est, cadens in terram,

imo in infernum, cultum potius diabolo, ipsi obsequendo, quam Deo deferendum censeat; cum Deus tamen promittat longe majora, veriora, ac stabiliora bona, pro regnis hujus mundi regnum coelorum, pro voluptate temporanea aeterna gaudia, pro bonis apparentibus vera, solida, infinita.

Punctum II. Ex ipsis verbis diaboli agnosce vilitatem promissionis pro omni peccato mortali perpetrando; etiamsi promittat: *Omnia regna mundi, et gloriam eorum* (ib.); dicit enim: *Haec omnia;* si namque haec sunt *omnia,* quae diabolus dat, et si praeter haec nihil amplius dat: ergo, quando mundus transierit et omnis gloria ejus (1. Joan. 1, 17), peccatori nihil post mortem remanet. O quam haec sunt exigua, quam pauca, quam brevia, si haec sunt *omnia!*

Punctum III. Perpènde, quid adversario tentanti respondendum sit: *Vade Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Matth. 4, 10). Repellendus igitur est diabolus cum suis promissis, opponenda lex divina, Regulae, statuta etc. In memoriam reducenda obligatio cultus et servitutis, soli Deo praestandae. Sicut autem Christus noluit adorare diabolum, ut ab ipso acciperet regna mundi: sic nec homines cultu vel honore demerendi sunt, ut ab ipsis promotio aliqua acquiratur, nec fidendum illorum fallacibus promissionibus, saepe etiam iniqua petentium.

Meditatio LXXXIII.

(Die 17. Februarii.)

De tentatione Christi. (3.)

(Continuatio.)

Matth. 4, 11; Luc. 4, 13.

Punctum I. *Tunc reliquit illum diabolus, et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei* (Matth. 4, 11). S. Lucas (4, 13) sic ait: *Et consumata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* Ecce infirmi-

tatem diaboli, praeter bona, quae spectant ad concupiscentiam carnis, et concupiscentiam oculorum, et superbiam vitae, quâ quis vel sibi complacet, vel aliis complacere aut praeesse desiderat, nihil habet, quod obtrudat, et solo renutu vincitur ac repellitur; quia vero solum ad tempus recedit, semper parati ad pugnam, nunquam securi esse debemus. Sed noli ideo animo deficere et timore vinci; jam victus est diabolus virtute Christi. *Confidite, ego vici mundum* (Joan. 16, 33).

Punctum II. Ex accessu Angelorum ministrantium colligitur, eos pugnantibus invisibili praesentia assistere tamquam copias auxiliares, vincentibus vero congaudere, gratulari, eosque consolari. *Spectaculum enim facti sumus mundo et Angelis* (1. Cor. 4, 9). Itaque eorum praesentia animari, et auxilio implorato adjuvari debemus, et cavere, ne eos tentationibus succumbendo contristemus. *Dominus mittet Angelum suum tecum, et diriget viam tuam* (Gen. 24, 40).

Punctum III. Ecce, quomodo Deus cum tentatis agat: Angelos mittit in adjutorium, pugnae felicem finem imponit, praemia et honores victoribus rependit. Itaque in patientia et spe pugnemus et vincamus! *Novit Deus pios de tentatione eripere* (2. Petr. 2, 9). *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam cum probabus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se* (Jacob. 1, 12). Unde idem supra (v. 2) dixerat: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio vestrae fidei patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.* Praeterea, ut inquit S. Paulus (1. Cor. 10, 13). — *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Et Deus ipse testatur: *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum* (Ps. 90, 15). Macte igitur animo, — *qui in virtute Dei custodimini,* — *in quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus: ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem et gloriam, et honorem in reve-*

latione Jesu Christi (1. Petr. 1, 5 sqq.). Ideo confortare et dic cum vate regio (Ps. 26, 3 sq.): *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo.*

Meditatio LXXXIV.

(Die 18. Februarii.)

Christi ex deserto reditus, et Joannis de illo testimonium.

Joan. 1, 29; 2, 32 sq.

Punctum I. Considera, quomodo Christus, cum ex deserto ad Joannem audiendum et sua praesentia honorandum regressus esset, jamque illi appropinquaret, ab eodem Joanne frequenti auditori tanquam Servator generis humani digito demonstratus fuerit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (Joan. 1, 29). Nimirum vocatur *agnus,* quia Isaias de ipso praedixit (53, 7): *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* Et Jeremias (11, 19): *Quasi agnus, qui portatur ad victimam.* Unde addidit Joannes: *Qui tollit peccatum mundi,* nempe originale, totum mundum inficiens, et quodcunque actuale in mundo committitur, quod propter multiplicitatem ac continuationem peccatorum a diversis hominibus sine interruptione commissorum, quasi unum peccatum dicitur, vel nomine peccati originalis tanquam effectus illius comprehenditur. Attolle igitur mentis oculos ad Christum, et considera, quam vere agni titulus ipsi competat, tum quia pro peccatis nostris se victimam obtulit, tum quia ovium propriâ innocentia et mansuetudine eundem titulum sibi promeruit. Pro hujus imitatione tibi vicissim ab illo dictum existima apud Matthaeum (10, 16): *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio*

luporum. Cura ergo inter illos retinere innocentiam, mansuetudinem, patientiam, et fiduciam erga pastorem. Christus enim et *agnus*, et *pastor bonus est, qui dat animam pro ovibus suis* (Joan. 10, 11). Itaque tuus sit pastor, atque ut tu dicere possis: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuae ibi me collocavit* (Ps. 22, 1 sq.), esto ovis Christi et audias vocem ejus, tanquam ovis e suo ovili. Sis etiam cum Christo innocens victima charitatis Dei et proximi, et dic cum Apostolo (Rom. 8, 36; Ps. 43, 23): *Propter te mortificamur tota die: aestimati sumus sicut oves occisionis,* praesertim si es pastor animarum. *Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriae coronam* (1. Petr. 5, 4). Admitteris dein ad celebrandas *nuptias Agni* (Apoc. 19, 7. 9).

Punctum II. Considera, quid ulterius Joannes de Christo testetur: *Vidi Spiritum descendentem, quasi columbam de coelo, et mansit super eum* (Joan. 2, 32). *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto* (v. 33). *Hic est Filius Dei* (v. 33). Ecce quot modis et titulis S. Joannes Christum sibi praeferat, et publice ejus divinitatem, officium Servatoris, potestatem conferendi Spiritum Sanctum, ac Filium Dei profiteatur. Ita tu quoque cupias aliis propter Christum, et pro ejus honore in aestimatione hominum postponi, et libenter feras, si alii te suis talentis superare agnoscantur, atque in ipsis Christum venerare, veluti si Christo honorem cederes: quia, quod proximo fit, Christus sibi fieri testatur (Matth. 25, 40).

Punctum III. Considera, S. Joannem tribus continuis diebus eadem de Christo testatum esse (ut patet ex Joan. 2, 26. 29. 35), in id semper intentum, ut propriam suam aestimationem apud homines imminueret, et Christum sibi praeferret, nihilque sibi de honore Christo debito attribueret. Longe aliter nos agimus: volumus propagare gloriam Dei, sed in officiis, quae pariant nostri aestimationem apud homines, et fugimus humilia, contemptibilia, vilia, etiamsi ea ad gloriam Dei cederent; et cum soli Deo debeatur honor et gloria, nos tamen et appetimus et quaerimus laudari ac honorari; et si laudamur, negligimus omnem gloriam ad

Deum referre, qui summus omnium est finis. At qui omnia Deo adscribit, qui nihil sibi attribuit: is nec sibi complacere, nec aliis vult placere.

Meditatio LXXXV.

(Die 19. Februarii.)[1]

Prima discipulorum vocatio.

Joan. 1, 37—45.

Punctum I. Considera in primorum Discipulorum ad vitam perfectiorem vocatione, quali Deus uti soleat providentia erga eos, quos ad simile vitae genus solet vocare. S. Andreas enim, et alius ejus condiscipulus, ex triplici S. Joannis Baptistae de Christo testimonio, quis et quantus is esset, quam proinde sub ejus disciplina vivere ad animae salutem conduceret (utpote qui et peccata tolleret, et conferret Spiritum sanctum), impulsi sunt desiderio in ipsius disciplinam se insinuandi: *Et secuti sunt Jesum* (Joan. 1, 37). *Andreas invenit fratrem suum Simonem, et dicit ei*: *Invenimus Messiam. Et adduxit eum ad Jesum* (v. 41). Altero die ipse Jesus *invenit Philippum. Et dicit ei: Sequere me* (v. 43). *Invenit Philippus Nathanaël, et dicit ei*: *Quem scripsit Moyses in lege, invenimus Jesum, filium Joseph a Nazareth, etc. Dicit ei Philippus: Veni et vide* (v. 45). Sic itaque Deus ad vitam perfectiorem aliquos vocat per homines, aliquos vocat ipsemet, injiciendo ipsis desiderium sequendi et experiendi disciplinam Christi. — Reflecte nunc cogitationem ad teipsum, et recordare, annon Christus simili providentia erga te usus sit, et quo-

---

[1]) Si festum Paschale a c incideret in diem 24. vel 25. Aprilis, ideo Dominica in Septuagesima in diem sequentem 20., vel 21. Febr., meditationes, quae hic deerunt, ex antecedentibus nondum institutis, vel etiam ex instituendis (2. tom.) suppleri disponique possunt.

modo vel ipse inspiratione interna, vel per homines, vel utroque modo te ad se pellexerit; et agnosce, quantum sit beneficium, per divinae providentiae gratiam praevenientem inventum esse, ac adductum ad Christum, eundemque invenisse; ut ab hoc peccata tua, et peccandi consuetudo, occasio, et pericula tollantur, et gratia Spiritus sancti in corde tuo diffundatur. Considera etiam, verbo *invenit* designari, non quidem fortuitam, attamen gratuitam esse vocationem ad vitam meliorem, vel etiam religiosam, et ad sequelam ac disciplinam Christi.

Punctum II. Considera etiam, quali Christus in praedictorum discipulorum vocatione usus sit suavitate, et facilitate, et ad sui sequelam eos pertrahendi: prioribus duobus ostendit suam habitationem utique exiguam, incommodam, et rebus etiam necessariis destitutam, quos duabus horis ante solis occasum ad se accedentes usque ad alterum diem secum retinuit, et spirituali colloquio eos illorum inflammavit. Aliis duobus, nempe Simoni Petro, et Nathanaëli (quem fuisse S. Bartholomaeum, dissentiente quidem S. Augustino, probabilissimum ostendit Cornelius a Lapide multis indiciis, sicut et alii recentiores interpretes) suam de ipsis notitiam manifestavit, et sic in eorum familiaritatem, suae divinitatis et scientiae manifestatione, se amanter insinuavit. Philippo autem duobus verbis: *Sequere me,* cor interius permovit. Sic de facto Christus ad vitam perfectiorem alios ducit ostensâ non solum habitatione sua in hoc mundo, sed totius vitae suae praeclaris exemplis. Alios non unius colloquii, sed universae suae doctrinae evangelicae radiis inflammat, et vel maxime iis, quos ad novitiatum vitae religiosae admittit, dicit: *Venite, et videte!* Alios divinitatis suae clara notitia ad cultum sibi peculiarem exhibendum allicit; alios interno instinctu trahit. Considera, annon simili, vel his omnibus modis suaviter vocatus, et confirmatus in vocatione tua fueris, et quomodo illi respondeas.

Punctum III. Imitare etiam Andreae et Philippi zelum, ut alios quoque ad Christum adducas, et non tantum tuae saluti, sed aliorum quoque impense vaces; et agnosce hunc esse proprium spiritum primorum sociorum Jesu. Itaque cooperare aliorum conversioni, modo quo potes

juxta tuum statum et datam occasionem. E contrario cave, ne malo vitae exemplo quemquam perdas, quem bono poteris invenire; et vel maxime ne perdas te ipsum, et animam tuam, studio inveniendi te ipsum per amorem proprium; huic enim opponere debes tui abnegationem propter Christum, quemadmodum ipse (Matth. 10, 39) inquit: *Qui invenit animam suam, perdet illam, et qui perdiderit animam suam, inveniet eam.*

PARS III.

Meditationes de Passione Domini Nostri Jesu Christi, a Dominica Septuagesimae usque ad Pascha.

Meditatio prooemialis LXXXVI.

(Dominica in Septuagesima.)

Quaenam in Passione Domini consideranda. (1.)

Punctum I. Considera *Personam, quae patitur*, esse dignitatis infinitae ac plane divinae, ut bene expendit S. Paulus (Philipp. 2, 6): *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, etc.* Idem perpendit S. Joannes (13, 3), quando Christus ignominiosam Passionem suam auspicatus est praemissa lotione pedum: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, etc.* Unde ex hac dignitate Personae creaturae etiam inanimatae quodam veluti sensu doloris ob sui Creatoris passionem commotae sunt (Matth. 27, 51 sq.): *Velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, etc. — Et tenebrae factae sunt in universam terram,*

et obscuratus est sol (Luc. 23, 44). Disce ergo, quare et quanto magis compati debeant animatae creaturae, tolerando adversa in ejus gratiam, qui tanta pro ipsis passus est. — Considera etiam eandem Personam esse infinitae sanctitatis et innocentiae, nihil tale merentis; infinitae potentiae ad se liberandam et vindicandam; infinitae liberalitatis et charitatis, quam partim jam exhibuit, partim adhuc exhibere parata est iis, qui ad eam recipiendam debito se modo disponant. An igitur tuis peccatis rursum crucifiges tibimetipsi Filium Dei (ut loquitur S. Paulus ad Hebr. 6, 6), et quidem, quem cognoscis esse Dominum ac Deum tuum? cum tamen crudelissimi Judaei, teste S. Paulo (1. Cor. 2, 8): *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Non parces sancto, innocenti, pro te tanta patienti, tibi parcenti. maxima largienti, majora adhuc promittenti, amanti?

Punctum II. Considera *dolores, quos patitur*, alios esse animi, alios corporis, utrosque esse summos. Dolores animi sunt tristitia usque ad mortem propter praevisas offensas Dei, poenas damnatorum et proprias, in corpore et animo pro nostris peccatis sustinendas, nec non propter ingratitudinem pro immensis beneficiis. Ingens desolatio et derelictio a Patre; ingens pudor et animi confusio propter contumelias et ignominias summas, illatas ejus sanctitati, dum habetur pro malefactore, — doctrinae, dum habetur pro seductore, — potestati patrandi miracula, dum habetur pro praestigiatore, — dignitati divinae ac regiae, dum habetur pro reo affectatae divinitatis ac regni, etc.

Dolores corporis sunt intensissimi, et in omnia membra divisi per flagella, spinas, clavos, crucem, etc. Recte ergo ad hos considerandos nos invitant Threni seu Lamentationes Jeremiae (1, 12): *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus!* Horum comparatione perpende, quam modicum sit, quidquid tu vel in animo, vel in corpore pateris, quam multum vero sit, quod pati merereris. Excita te ergo ad patientiam, et ad desiderium patiendi.

Punctum III. Considera *personas, a quibus patitur* Christus, esse omnis generis homines, summos, medios, ac infimos, tam in foro civili, quam ecclesiastico; partim ex

Judaeis, a quibus descendebat, quibus innumera et maxima beneficia exhibebat, ex quibus etiam duodecim ad Apostolatum vocabat, quos Corpore et Sanguine suo paulo ante refecerat, et propriis insuper manibus, ad pedes eorum abjectus abluerat; partim ex gentilibus; illi odio et invidia, isti crudelitate saeviebant. Denique moraliter cooperabantur omnes homines, et tu ipse, quisquis es: omnes enim vel verbis, vel suis peccatis clamabant: *Crucifige, crucifige!* Itaque et nos a quibuscunque hominibus, contra neminem excipientes, quaelibet patiamur, et supportemus omnes. Ipsi vero desistamus esse inter tortores Christi; toties enim flagellis, spinis, clavis, crucis denique supplicio in ipsum saevimus, quoties peccando horum omnium tormentorum, ipsi illatorum, causa sumus.

Meditatio LXXXVII.

(Feria II. post Dom. Septuages.)

Quaenam in Passione Domini consideranda. (2.)

(Continuatio.)

Punctum I. Considera, *pro quibus patiebatur* Christus, fuisse omnes et singulos homines, etiam sceleratissimos, etiam ingratissimos, etiam illos, qui quocunque modo cooperabantur ad Passionem ejus, et inter hos etiam te unum esse. Ne ergo ipsum pretio Sanguinis ac Passionis suae, quantum in te est, defrauda. Deinde omnes homines eodem pretio aestima, et omnes aequali amore, et zelo, ac beneficientia prosequere, quantumvis inimicos, vel ingratos. S. Joannes in Epistola (I, 3, 16) ita concludit: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere*, i. e. omnes animae vires pro illorum salute impendere. S. Paulus vero (2. Cor. 5, 15) scribit: *Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.*

Punctum II. Considera *modum, quo patiebatur* Christus: antequam enim Passio praesens erat, desiderio illam desiderabat, teste Luca (22, 15). Deinde jam praesentem proposito sibi gaudio sustinebat, confusione contempta, teste Paulo (Hebr. 12, 2); et cum pateretur, non comminabatur, sed quasi agnus coram tondente se obmutescebat, teste Isaia (53, 7). Veniam ipsis crucifixoribus a Patre suo deprecabatur, iterum testante Luca (23, 34). Porro eminebat tempore Passionis patientia invictissima, humilitas profundissima, obedientia erga Patrem coelestem, imo erga iniquissimos judices et lictores promptissima, — charitas et zelus honoris divini, et salutis animarum flagrantissimus. Hunc modum imitare, hunc grata aestimatione agnosce, ac perpende.

Punctum III. Considera, causam moralem, *ob quam* Christus patiebatur, fuisse nostra peccata; *finalem* fuisse: 1) Honorem Patris coelestis, tum reparandum per satisfactionem condignam ac infinitam; tum augendum per propriam obedientiam et cultum; tum in omnes homines propagandum per eorum satisfactionem. 2) Liberationem hominum a maximis malis hujus et alterius vitae, ac collocationem in statu referto maximis bonis. Si autem Christus tanta passus est pro peccatis alienis, quid est, quod non libenter patiaris pro peccatis propriis? Et si ea, quae in hac vita agimus, vel patimur, ad tam praeclaros fines dirigi possunt: cur alium levissimum, aut vanissimum, aut incertissimum intendamus? aut cur media haec, et fines tantos negligamus? Itaque audiamus S. Petrum (I. 4, 13) hortantem: *Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriae ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriae et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit.* Et (ib. 2, 21): *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Et (ib. 4, 1): *Christo igitur passo in carne, vos eadem cogitatione armamini.*

Meditatio LXXXVIII.

(Feria III. post Dom. Septuages.)

De consiliis Judaeorum adversus Christum.

Joan. 11, 47—53; Matth. 26, 3—5.

Punctum I. Postquam Christus Lazarum, jam ante quatuor dies tristi morte extinctum, ex sepulchro circa initium mensis Martii magna Judaeorum admiratione, et sororum laetitia ad vitam revocaverat: inde occasio mortis, Christo vigesima quinta ejusdem mensis die inferendae, sumpta est. *Collegerunt ergo Pontifices et Pharisaei concilium, et dicebant: quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem* (Joan. 11, 47 sq.). Considera, quinam hoc concilio congregati fuerint, et contra quem, ac quam ob causam: nempe illi congregati fuerunt, qui ut Pontifices ac Principes populi, vel maxime Christi honorem debebant tueri, signa et prodigia aestimare, grates pro meritis ac beneficiis in ipsos et in subjectum eis populum collatis referre. Cujus rei indignitatem admirans regius Vates inquit (Ps. 2, 2): *Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* An itaque tu ab iis, qui tibi et aliis praesunt, honores decerni, et pro rebus bene gestis laudem vel grates tibi rependi desiderabis? An contra aliquos, a quibus opinione tua minime offendi debebas, in perferendis injuriis ac persecutionibus excipies? — Contra quem vero congregati fuerint, citati psalmi verbis expressum est: *Adversus Dominum, et adversus Christum ejus*, cui nimirum supremum in ipsos principes et sacerdotes Dominium, ac Sacerdotium summum competebat ex divina unctione. Annon autem et tu, quotiescunque peccando Deum offendis, convenis et congregaris adversus Dominum, et adversus Christum ejus? Annon quaevis auctoritas ac dignitas tua longe minor est, quam tamen solum levissime offensam animo fers iniquissimo? Considera

denique causam, propter quam congregati sunt; erat autem multitudo signorum ac prodigiorum, in plurimorum corporum et animarum salutem editarum, proxima etiam totius populi Israelitici praeparatio ac dispositio ad fidem in Christum, metusque inanis ac imprudens, ne, si populus alium regem, quam Caesarem Romanum agnosceret, omnes Judaei rursum in captivitatem abducerentur. O te beatum, si et tu persecutionem patiaris propter justitiam, et propter multa praeclare gesta et dicta ad plurimorum conversionem, fideique charitate formatae propagationem! O nos miseros vero et coecos mortales, qui propter inanem metum fictorum malorum non veremur peccando vera mala incurrere, et plerumque in ea ipsa, vel in graviora incidere, quam quae inani metu nitebamur effugere: sicut in poenam suae in Christum crudelitatis Judaeis contigit, quando Romani, ducibus Tito et Vespasiano, impleverunt illud Christi illacrimantis de urbe Jerosolimitana vaticinium (Luc. 19, 43 sq.): *Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo: et circumdabunt te, et coagustabunt te undique: et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt; et non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae,* — quando scilicet in assumpta humana carne Dominus Deus Israël — *visitavit et fecit redemptionem plebis suae* (Luc. 1, 68).

Punctum II. *Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit; sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Ab hoc ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum* (Joan. 11, 49—53). Quam superbe Caiphas usurpavit sibi Pontificiam potestatem in Christum, omnes prae se contemnendo, et pro ignaris habendo? Quam praecipitanter, temere, et imprudenter mortis sententiam in illum tulit? Quam verum tamen et utile fuit id, quod dixit, et statuit, quamvis ipse veritatem et utilitatem illius non agnoverit, neque intenderit? Deus

enim defectum prudentiae, virtutis, intentionis, et aliarum conditionum, ad bonum principem vel rectorem requisitarum, supplevit ratione officii commissi: *Cum esset Pontifex anni illius.* Hac spe fretus cuilibet Superiori omnem intellectum et voluntatem tuam cum summa obediendi promptitudine submitte, quomodocunque ille potestate sua utatur; et quidquid et quacunque ex intentione jusserit, modo inhonestum non sit; et cogita, id eum a semetipso non dixisse, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetasse, et voluntatem Dei, alias occultam, revelasse. — Imitare etiam Christum, ut bonum commune semper praeferas privatae tuae commoditati; quemadmodum ille melius duxit, ut unus homo moreretur pro populo, et ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum, unamque Ecclesiam ex gentilibus et Judaeis, per baptismum in filios Dei regenerandis, efficeret.

Punctum III. Ab illo die, a quo Pontifices et pharisaei cogitaverunt, ut interficerent Jesum: *Tunc* (eodem mense, nempe die Mercurii mane, festum Paschae praecedente) *congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas; et consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, et occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo* (Matth. 26, 3—5). Haec fuit altera consultatio, quâ deliberabatur de modo exequendi decretum nuperi concilii, et statuebatur dilatio executionis ultra festum Paschae, ut populus Christo addictus, eumque fortassis in libertatem vindicaturus, interea ab urbe, ad quam propter celebritatem festi confluebat, in domus suas reverteretur. Sed interventu Judae, spondentis traditionem, consilium fuit mutatum. Considera, quam imprudens, et quam impium fuerit factum consilium: imprudens quidem, quia stulte putabant aeternam Sapientiam, scrutatorem cordium, et arcani consilii Angelum posse dolo teneri, et invitum occidi; impium autem, quia, quo minus injustam necem et violentas manus statim inferrent, non Dei, sed populi metu unice retrahebantur. Imprudentiam ac impietatem Judaeorum imitantur, qui Deum occultis peccatis offendunt, vel qui voluntatem peccandi solo hominum metu inhibent ac coërcent: quasi Deus non etiam occulta cog-

nosceret, vel non multo magis, quam homines metuendus esset. Tu itaque age simpliciter, et sincere sine dolo; et Deum omnia scientem, de occultis judicantem, et magis quam homines nocere, ac gravissime aeternumque punire volentem, time. Ad hunc sanctum timorem, qui a Psalmista (Ps. 110, 10) dicitur *initium sapientiae*, Christus ipse nos adhortatur, dicens (Matth. 10, 28): *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Ideo S. Paulus scribit: *Cum metu et tremore nostram salutem operamini* (Phil. 2, 12). Hic sanctus Dei timor a peccatis te servabit. *Timor enim Domini expellit peccatum* (Eccli. 1, 27).

Meditatio LXXXIX.

(Feria IV. post Dom. Septuages.)

Christus venditur triginta argenteis. (1.)

Matth. 26, 14—16; Luc. 22, 1—4; Marc. 14, 10.

Punctum I. *Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim. Et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum et magistratibus, quomodo illum traderet eis* (Luc. 22, 3 sq.). *Et ait illis: quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quaerebat opportunitatem, ut eum traderet* (Matth. 26, 15 sq.). Considera, quis sit, *qui venditur;* nempe Deus, infinite bonus, beneficus, in quo habemus omnia, sine quo habemus nihil. Unde haec venditio fuit summa irreverentia, summa ingratitudo, summum et per proprias vires irreparabile damnum, omnisque boni jactura; hic cogitare debuisset Judas, et nos cum illo: *Ut quid perditio haec?* (Matth. 26, 8). Itaque ne tantum bonum perdatur ullo gravi peccato caveamus. — Deprecare injuriam Christo per hanc venditionem illatam, adora Sanguinem ejus infiniti pretii eumque offer Patri coelesti pro tuis

totiusque mundi peccatis. *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, . . . sed pretioso sanguine quasi agni immaculati et incontaminati* (2. Petr. 1, 18 sq.).

Punctum II. Considera, quis sit, *qui vendidit;* nempe unus ex vocatis in intimam Jesu societatem, qui miraculorum et optimorum continuus spectator, atque sanctissimae doctrinae auditor fuit, ac tot beneficiis et mediis salutis locupletatus est. Similiter et nos, plurimis licet beneficiis, et mediis salutis aucti, timeamus et caveamus, ne, quemadmodum Judas, a murmuratione, furtiva violatione paupertatis, justitiae, etc. ad grave aliquod peccatum delabamur. *Qui enim spernit modica, paulatim decidet* (Eccli. 19, 1), et forsan casu, ex quo pariter non detur resurgere. Neque demus ansam, ut Christus post multam familiaritem, et Eucharisticae mensae convivio saepe confirmatam, queratur: *Quoniam si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem atique; et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem forsitan ab eo: Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus; qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu* (Ps. 54, 13 sqq.). *Filios enutrivi et exaltavi: ipsi autem spreverunt me* (Is. 1, 2). — Disce etiam ab amicis et ingratis hominibus, atque a domesticis illatas injurias ac persecutiones generose perferre.

Punctum III. Considera, quis instigaverit ad Christi venditionem: nempe diabolus, Christo et cuivis homini infensissimus. Unde, injuria Christo illata, eo gravior et detestabilior fuit, quod ad explendam implacabilis odii immanitatem capitali inimico viam straverit ille, qui debebat esse fidissimus amicus. Non ita tu consiliis inimici tentatoris pareas, neque ipsi concedas, ut suum adversus Deum, et adversus te odium ac invidiam exequatur, uti nec carni, nec mundo, — qui omnes sunt inimici Dei, et animae tuae.

Meditatio XC.

(Feria V. post Dom. Septuages.)

Christus venditur. (2.)

(Continuatio.)

Matth. 27, 9.

Punctum I. Considera, *quibus* Christus venditus et traditus sit; nempe Principibus sacerdotum et Senioribus populi, concilium facientibus, ut eum dolo tenerent et acciderent, et ceteris odio et invidia fragrantibus Judaeis, et per hos gentibus immanissimis, ut illuderetur, flagellaretur, crucifigeretur, etc. Annon aequum est, ut Deo pro te hostibus tradito, te penitus tradas, ac relinquas, etiamsi te voluerit contemni, flagellari, adversis affici? *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (Gal. 2, 20). Haec enim omnia ab ipso imittuntur ex amore summo ad breve tempus, ut aeternum gloriae pondus augeatur in nobis (cfr. 2. Cor. 4, 17). Ipse vicissim se nobis frequentissime tradit in SS. Eucharistia, atque se possidendum dabit perpetua fruitione in coelo.

Punctum II. Considera, quam vili pretio Christus vendatur a Juda; unde qui prius de perditione unguenti murmuravit, gravissimae perditionis se reum fecit, ipsum Christum, quem Deus unxit, vilissimo pretio pendens. Sic murmuratores solent longe gravius, quam illi, contra quos murmurant, impingere, neque aliquid efficiunt. *Custodite ergo vos a murmuratione, quae nihil prodest* (Sap. 1, 11). Praecipue vero curandum tibi est, ne tu quoque leviori saepe pretio, per violationem religiosae paupertatis, vel castitatis, vel alterius virtutis Deum vendas, qui pretio infinito sui Sanguinis te hominem vilissimum emit, eoque dignum aestimavit. — Perpende etiam pretium triginta argenteorum vel siclorum, pretium pro servo seu mancipio fuisse (Exod. 21, 32), et ita voluisse Christum *formam servi* (Phil. 2, 9) accipere, ut te servum et mancipium diaboli redimeret, implendo vaticinium Zachariae Prophetae (11, 12; cfr. Matth. 27, 9): *Et appenderunt mercedem*

meam triginta argenteos. Noli oblivisci tanti beneficii (cfr. Sir. 29, 20), et ne dedignare etiam hominibus vilioris conditionis aliqua charitatis beneficia praestare.

Punctum III. Considera, quomodo Christus se erga Judam, praescius licet ejus perfidiae, gesserit: scilicet loquebatur ei amicissime; exhibebat eosdem favores, quos aliis Apostolis; occultabat et celabat ejus crimen: supportabat murmurationes et furta; abluebat ejus pedes, demum suo Corpore et Sanguine pascebat; etc. Disce ergo supportare, atque charitatis officiis prosequi tibi adversantes et contrarios, imitando Christum, qui praeclaro exemplo doctrinam suam confirmavit: *Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt nos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (Matth. 5, 44).

Meditatio XCI.

(Feria VI. post Dom. Septuages.)

Discipuli Hierosolymam mittuntur ad parandum Pascha, quo et Christus ascendit.

Matth. 26, 17—20; Luc. 22, 7—14; Marc. 14, 12—17.

Punctum I. *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis, paremus tibi comedere Pascha?* (Matth. 26, 17). *Et misit Petrum et Joannem* (ex Bethania in Jerusalem) *dicens: Euntes* (matutino tempore) *parate nobis Pascha, ut manducemus. At illi dixerunt: Ubi vis, paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occuret vobis homo quidam, amphoram aquae portans; sequimini eum in domum, in quam intrat. Et dicetis patri familias domus: Dicit tibi Magister, ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis coenaculum magnum stratum, et ibi parate* (Luc. 22, 8—12). Docemur hic, quam soliciti cum discipulis Christi

debeamus esse ad praeparandum Christo diversorium tale, quale ipse vult, et sibi eligit ad exhibendum convivium Paschale, sive Eucharisticum discipulis ac fidelibus suis. Ut vero tale sit, primum requiritur aqua poenitentiae, lavans et emundans ipsum diversorium, scilicet animam nostram. Deinde idem diversorium debet parari a Petro, quo significatur fides de eo, qui sub speciebus eucharisticis suscipitur, certe asseverans: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (Matth. 16, 16); atque ab Joanne, (qui fuit discipulus, quem diligebat Jesus, et qui diligebat Jesum, unde et morienti sub cruce adstitit), quo denotatur eximia charitas, quâ diligimus, et diligimur a Christo. Debet praeterea cor, sive coenaculum suscipientis Chrisum spe ac desiderio esse dilatatum, magnum et grande (ut Evangelistae loquuntur), ac denique stratum seu exornatum virtutibus.

Punctum II. Interea non dubitandum est, Christum manifestasse dilectissimae Matri suae id, quod patrifamilias domus denuntiari jussit: *Tempus meum prope est;* et quod longe ante discipulis suis Jerosolymam ascendens praedixerat (Marc. 10, 32—34): *Coepit illis dicere, quae essent ei eventura. Quia ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eam gentibus, et illudent ei, et conspuent eum, et interficient eum, et tertia die resurget.* Nec dubitandum est, istam manifestationem et mox secutam separationem Matris et Filii fuisse utrique acerbissimam, et tunc vaticinium Simeonis (Luc. 2, 35) impletum esse: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Ex quo disce, quomodo, si Deus se tibi ad tempus subtraxerit, teque desolatum reliquerit, exemplo moestissimae Matris id generose sit ferendum. Pete insuper ab illa afflicta Matre veniam, quod Filio ejus spinas et clavos, ipsius autem animae moeroris gladium infixeris, eumque sine mora extrahere per emendationem decerne. Ad praedictae autem acerbissimae separationis dolorem leniendum firmiter statue ac propone, te illam nunquam derelicturum, ne pariter ipsa te deserat in hora mortis.

Punctum III. *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis* (Matth. 26, 20). Triplicem

coenam, nempe legalem esu agni paschalis, naturalem sumptione aliorum ciborum, et Eucharisticam exhibitione Corporis et Sanguinis sui cum discipulis suis instituit. In prima potissimum demonstravit observantiam omnium legum ac constitutionum, in secunda temperantiam: in tertia mutuam liberalitatem erga se requirit, ut omnes corporis et animae nostrae vires ipsius honori et gloriae impendamus, et immolemus. Adverte etiam animum ad personas, quibuscum discubuit Christus, nempe cum solis discipulis, et ad fructum, quem discumbentes cum Christo pro diversitate dispositionis et dignitatis retulerunt. Ut itaque vespere hujus vitae facto merearis cum Christo ultimae coenae magnae in regno coelorum accumbere, gere te ut discipulum Christi, et ad percipiendum ex Eucharistica Mensa promissum fructum quam optime te dispone dignumque redde.

Meditatio XCII.

(Sabbato ante Dom. Sexages.)

Christus discipulis pedes lavat. (1.)

Joan. 13, 1. 3—5.

Punctum I. *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos* (Joan. 13, 1). His verbis ostendit S. Joannes, Christum lavasse Apostolis pedes ex charitate: ex quâ etiam nos omnia erga proximum officia nostra peragere debemus. Circa eam duo potissimum docet: 1) Ut proximum non propter causas humanas, sed propter Deum diligamus, tanquam imaginem, creaturam et servum Dei. Hinc de Christo Joannes dixit: Cum dilexisset *suos*, scilicet ordinem ad se habentes, tam quod esset Deus illorum, quam quod esset ipsis datus a Patre suo in Magistrum et Servatorem. Hunc ordinem et tu respice in proximi dilectione. 2) Ut charitas sit con-

stans, atque ob nullam offensam dissolvatur, sed usque ad finem vitae diligamus, et quidem eo magis et perfectius, quo magis ad vitae finem appropinquamus: sicuti terra nostra, quo magis centro suo, i. e. soli, appropinquat, eo celerius suo in cursu fertur. Cum ergo Christus ad finem vitae suae discipulis et nobis omnibus amoris excellentissimi argumenta praestare voluit: et nos idem faciamus, et amor noster erga Deum et proximum semper magis ac magis inflammetur!

Punctum II. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, surgit a coena, etc.* (v. 3 sq.). His verbis Evangelista eandem lotionem tribuit etiam humilitati, cujus profunditatem desumit ex magnitudine excellentiae ac dignitatis Christi, ad pedes discipulorum se demittentis; quod factum proinde est cum summa humilitate interna, insuper habendo infinitam suam Majestatem; et cum externa, actum vilissimum exercendo. Hujus exemplo tu quoque, quantuscunque es, vilia munia humiliter obeas.

Punctum III. *Ponit vestimenta sua, et cum accepisset linteum, praecinxit se, et deinde mittit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat praecinctus* (v. 4 sq.). Quibus verbis declaratur diligentia, quam in functione vilissima impendit Christus; dum posuit vestimenta, tanquam impedimenta, seque praecinxit linteo, et aquam in pelvim sine alieno ministerio infudit, etc. Simili diligentia sunt peragenda, atque aliis praeripienda minima officia, quibus humilitas et charitas maxime exercetur. Sic etiam in spirituali hominum lotione praecincti linteo, nempe custodia sensuum et cordis, cavere debeamus, ne alienas faeces nobis aspergamus, earumque labes non ipsi contrahamus, quando vel in sacro tribunali, vel in familiari cum illis conversatione ad animi puritatem et munditiam eos reducere nitimur.

Meditatio XCIII.

(Dominica Sexagesimae.)

Christus discipulis pedes lavat. (2.)

(Continuatio.)

Joan. 13, 7—10.

Punctum I. *Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in aeternum. (Joan. 13, 8).* Non placuit haec humilitas Christo, conjuncta cum proprii judicii et voluntatis pertinacia, ut patebit ex sequenti comminatione. Unde cum nollet Petrus submittere suum judicium Christo dicenti; *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea,* (v. 7) graviter correctus est. Disce ergo proprii judicii et voluntatis submissionem, etiam in rebus, quae cum virtute, et cum proprii intellectus ratione videntur pugnare. Disce etiam obedire Deo et Superioribus, etiamsi causam et convenientiam rei praeceptae ignores: agnosces enim aliquando.

Punctum II. *Si non lavero te, non habebis partem mecum* (v. 8). *Dicit ei Simon Petrus: Non tantum pedes meos, sed et manus et caput* (v. 9). Sic tu quoque abominare separationem a Christo per quamcunque transgressionem gravem divinae voluntatis, ut malis quidlibet sustinere, a tua ratione et voluntate alienum. Desidera etiam per reprehensionem a Superioribus, vel per ad monitionem ab aequali, quacunque ex parte naevus tibi adhaeserit, sine ulla repugnantia lavari.

Punctum III. *Dicit Jesus: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes, etc.* (v. 10). Ex his verbis discimus, etiam veniales maculas, et terrenorum affectuum pulvere aspersos pedes sedulo ablui a nobis debere, simulque operam dari, ne inter sanctos et mundos ipsi immundi simus. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. 5, 8).

Meditatio XCIV.

(Feria II. post Dom. Sexages.)

Christus discipulis pedes lavat. (3.)

(Continuatio.)

Joan. 13, 12 sqq.

Punctum I. Considera, Christum etiam Judae, noto sibi proditori, pedes lavisse: tum ut communem amicis charitatem, tum ut specialem ipsi exhiberet, ipsoque hoc beneficio fortissime eum retraheret a concepto proposito prodendi suum amantissimum Magistrum. Sic dilige inimicos, et humilitatis ac charitatis obsequiis eosdem tibi demerere. Quodsi autem sola pedum ablutio debuisset Judam a perfidiae crimine inhibere: quanto magis in fide et obsequio Christi nos contineat Sanguinis ejus lavacrum? Hujus enim non solum Corinthiis (I. 6, 11), sed etiam nobis memoriam refricat S. Paulus, dicens: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.*

Punctum II. *Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister et Domine: et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis* (v. 12—15). Haec nimirum est causa tantae humiliationis, quam Christus Petro insinuavit illis verbis: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea* (v. 7). Tanti Christus aestimat nostram imitationem et sequelam, ut pro ea non alienum ducat ab infinita sua Majestate, pedes hominum, etiam Judae, abluere, uti et tam laboriosa agere, et tam indigna, contumeliosa, et acerba pati.

Punctum III. *Si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea* (v. 17). Non enim sufficit, vitam et Passionem Christi legere, audire, et meditari: sed imitari beatum facit in hac et altera vita, ut consideranti patebit ex multiplici enumeratione emolumentorum, provenientium nobis ab imi-

tatione vitae Christi. Unde parum prodest, multa scire, nisi eadem et facias: nondum enim beati, qui audiunt verbum Dei, sed qui custodiunt illud (Luc. 11, 28). Non scientia, sed virtus beatitudinis praemium reportat, idque non intellectui, sed bonae voluntati debetur. *Factores legis justificabuntur* (Rom. 2, 13). *Qui vicerit, possidebit haec* (Apoc. 21, 7).

Meditatio XCV.

(Feria III. post Dom. Sexages.)

Institutio Sacramenti SS. Eucharistiae.

Matth. 26, 26—28; Marc. 14, 22 sqq.; Luc. 22, 15—20.

Punctum I. *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit* (S. Lucas 22, 17 addit: *Gratias egit), ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite; Hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (Matth. 20, 26—28). Addit iterum S. Lucas (22, 19), Christum dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem.* Idem testatur S. Paulus (1. Cor. 11, 24. 25) loquens prius de consecratione panis, deinde vini; rursumque subjicit hanc eorundem verborum declarationem: *Quotiscunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* — Considera in hoc primo puncto priora verba, quibus traditur modus, a Christo in hujus Sacramenti institutione ac confectione observatus. 1) Dicitur Christus *benedixisse* panem; quam benedictionem, ut ex Canone Missae patet, etiam praemisit consecrationi vini, — ut ex utriusque praevia benedictione agnosceremus necessitatem, vi cujus oporteat suscipientes SS. Eucharistiam, ad eam disponi, ac consecrari per gratiam. — 2) Dicitur Christus *gratias egisse* pro tam singulari munere

divinae omnipotentiae, sapientiae et bonitatis: quia nulla gratiarum actio ullius purae creaturae esset sufficiens; unde solum necesse est, ut sequamur exemplum, et nostram gratiarum actionem addamus. — 3) Dicitur *fregisse* panem: quo designatur Christi Domini humiliatio et imminutio sui ipsius, sine qua nemo auderet accedere ad sumendum tantum cibum; tantae autem humiliationi debetur mutua humiliatio ipsius suscipientis. — 4) Dicitur Christus *se dedisse* disipulis suis, et hortatus fuisse ad comedendum et bibendum: ut hac liberali charitate ac invitatione mutuam charitatem atque fiduciam in nobis excitaret, nosmetipsos tradendi Christo Domino, eumque recipiendi.

Punctum II. Considera verba posteriora, quibus significatur res instituta et tradita per Sacramentum SS. Eucharistiae, nempe Corpus et Sanguis Filii Dei, per traditionem in mortem et per effusionem afferens nobis omnia bona, quae Christus eâdem traditione Corporis et effusione Sanguinis nobis est promeritus, ac demum conferens nobis instar authentici testamenti jus ad aeternam haereditatem, de eaque per modum pignoris nos certos reddens. Unde nihil praestantius, nihil firmius, ac certius institui ac dari nobis potuisset. Quod merito in nobis excitet summum amorem, summum desiderium, summam fiduciam, propriique corporis et sanguinis mutuam oblationem, ne secundum carnem et sanguinem, sed ita vivamus, ut non nos, sed Christus ipse in nobis vivat (Gal. 2, 20), — *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris* (2. Cor. 4, 10).

Punctum III. Considera, quanta hominibus per ultima verba conferatur potestas, et quid ab ipsis pro tanto beneficio exigatur. Conceditur enim ipsis potestas idem ipsum faciendi, quod Christus fecit, si discipulis Christi in munere sacerdotum rite succedant: nempe faciendi idem sacrificium, per sacrificia antiquae legis praefiguratum; offerendum proinde in gratiarum actionem quorumcunque beneficiorum, in impetrationem quarumcunque gratiarum, in satisfactionem quorumcunque peccatorum, tum ab ipso sacerdote tum ab aliis quibuscunque commissorum. Neque

restringitur haec potestas ad certum tempus, sed dicitur: *Quotiescunque*, etc. Quanta est haec Servatoris nostri ante suam mortem liberalitas, charitas, providentia? Ipse vero hoc solum a nobis postulavit, ut immolatione hac symbolica Sacrificii incruenti excitemus in nobis memoriam Sacrificii sui cruenti, ac mortis suae in cruce; unde ad amorem, et gratitudinem debitam, ac tanto beneficio proportionatam impellamur.

Meditatio XCVI.

(Feria IV. post Dom. Sexages.)

Christus manifestat suum proditorem.

Matth. 26, 21—25; Marc. 14, 18—21; Joan. 13, 21—30.

Punctum I. Christus teste Joanne (13, 21) *turbatus spiritu dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Quibus verbis (quae Christus vel bis, nempe tam ante, quam post institutionem SS. Eucharistiae protulit, — ut S. Augustinus, et S. Euthymius censent, — vel a S. Matthaeo et S. Marco non suo loco, sed antea relata sunt, cum ex S. Luca et Joanne colligatur, post prolata esse) — S. Matthaeus (26, 21 sq.) haec addit: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo; vae autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* His verbis proposuit Christus Judae efficacissimas rationes absterrentes a peccato; cum enim eas proferret cum externa tristitiae significatione, non tam de sua morte, — quam sponte se subire praedixit, — quam de ipso peccato et interitu Judae; cum ostenderet, se omnia arcana malignae mentis videre; cum societatis et familiaris secum conversationis meminisset; cum promptitudinem ad moriendum pro genere humano, adeoque etiam pro ipso Juda, insinuasset; cum aeternam

damnationem certo comminatus esset: totidem habuisset Judas argumenta absterrentia, — nempe timorem Dei, omnia scientis, gratitudinem pro vocatione ad societatem, amorem propter promptitudinem ad moriendum pro se, et denique metum aeternae damnationis, sibi certo eventurae. Cave, ne ita divinis admonitionibus aures obstruas, neque animum, dum sacra meditaris, ad terrena divertas, vel per tepiditatem et frequentia peccata venialia hebetem, et ad pias inspirationes surdum officias.

Punctum II. *Et contristati valde coeperunt singuli dicere* (etiam Judas, sed tantum simulate): *Numquid ego sum Domine?* (Matth. ib. 22). Observa in discipulis Christi humilitatem, et diffidentiam sui, et salubrem timorem peccandi. Nemo dixit: Ego non Domine. Nemo de altero suspicatus est; sed cognita valuntatis suae inconstantia, fragilitate, et dependentia a gratia divina praeservante, quisque sibi timuit. Timor autem iste cavet occasiones et pericula peccandi, invocat opem divinam, et fugit peccatum, semper tamen in humilitate persistit, et quando videt alium peccantem velut in speculo considerat suam fragilitatem, dicens: Numquid ego Domine similiter peccabo?

Punctum III. Quia Judas per admonitionem Christi non mutavit animum, *Introvit in eum Satanas* (Joan. 13, 27). *Et exivit continuo. Erat autem nox* (v. 30). Sic obsurdescentibus, et bonas admonitiones repellentibus contingit, ut diabolo amplior in illos potestas concedatur, cujus prima cura est, a bonorum societate abducere, et animum nocte ac coecitate obscurare, ut turpitudinem peccati, periculum salutis, gravitatem suppliciorum, nec videat nec consideret.

Meditatio XCVII.

(Feria V. post Dom. Sexages.)

Discipulorum ambitio, et Petri praesidentia a Christo reprehenditur.

Luc. 22, 24 sqq.; Matth. 26, 31 sqq.

Punctum I. *Facta est autem contentio inter eos, quis eorum videretur esse major* (Luc. 22, 24). Notandum est verbum: *Videretur;* velle enim *esse* majorem in virtute, sapientia, prudentia rerum agendarum, gloria in coelo obtinenda, non esset reprehensione dignum; sed velle *videri* et aestimari prae reliquis, haec est superbia detestabilis. Et de tali eminentia ter inter discipulos Christi erat contentio. In primis teste eodem Luca (9, 46), et S. Marco (9, 33); uti etiam insinuat S. Matth. (18, 1) in via ad urbem Carpharnaum; deinde teste S. Matth. (20, 25) in via sive in ascensu versus Jerusalem; denique teste Luca cit. c. 22 in via ad montem Oliveti; in hac enim videtur contigisse, et hic a S. Luca per prolepsin seu anticipationem hysterologicam narrari. Quarum ultimae duae erant tempore valde importuno; nempe prior, cum Christus ignominiosam mortem paulo ante in exemplum humilitatis proposuisset; posterior, cum illam actu adiret. Hanc itaque profunde insitam discipulorum animis ambitionem emendare conatus est Christus, opponendo inter se turpitudinem ambitionis, honorisque mundani vanitatem, hominibus infidelibus ac gentilibus relinquendam; ac e diverso honestatem humilitatis, ac abjectionis dignitatem, suo exemplo comprobatam. Sic ergo locutus est Christus (Luc. 22, 25—27): *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui re-*

cumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.

Punctum II. *Tunc* (quando hymno dicto exierunt in montem Oliveti) *dixit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte; scriptum est enim: Percutiam pastorem et dispergentur oves* (Matth. 26, 31; Zach. 13, 7). Sic superbia, permisso lapsu in peccatum, humiliata fuit; quo antidoto saepe Deus medetur iis, qui de virtute sua sibi vane complacent, seque aliis praeferunt, aut praeferri cupiunt, vel nimium praesumunt; ob quam praesumptionem S. Petrus gravius, et ab uno peccato, ut fieri solet, in aliud, idque adhuc majus prolapsus est. Postquam enim aliis se praeferens dixit: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, te me negabis* (Matth. 26, 33 sq.). Idem his verbis testatur S. Lucas (22, 34): *Non cantabit hodie gallus, donec ter abneges, nosse me.* Qui duo Evangelistae de cantu galli absoluto et finito intelligendi sunt, quod scilicet Petrus ter sit negaturus Christum, antequam gallus cantum suum, quem solet iterare, absolvat. Nam S. Marcus (14, 68) fatetur, gallum statim post primam negationem cantasse, adeoque incepisse cantum; cujus admonitione tamen Petrus nondum emendatus, sed adhuc bis in idem crimen et in perjurium prolapsus est. Adeo gravi humiliatione elatio animi castigata et curata fuit.

Punctum III. Considera etiam, quomodo Christus aliis adhuc verbis humilitatem et diffidentiam sui, ac fiduciam in Deum insinuaverit discipulis suis, maxime Petro (Luc. 22, 31 sq.). *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribaret sicut triticum* (non ut purgaret, sed ut divinâ gratia excidere faceret): *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Ecce nisi Deus inhiberet satanam, et nisi per orationem, cujùs Christus ipse exemplum dedit, reprimeretur, quam facile esset ipsi e divinae gratiae statu, velut ex cribro nos dejicere. *Sed fidelis Deus, qui non sinet vos tentari, supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (1. Cor.

10, 13). Hoc roga, hoc spera, hoc cura omni custodia custodiendo cor tuum. Insuper et fratres tuos confirma exemplo et doctrina, ut in gratia Dei permaneant, ac proficiant.

Meditatio XCVIII.

(Feria VI. post Dom. Sexages.)

Christus hortatur ad fidem et spem.

Joan. 14, 1 sqq.

Punctum I. *Creditis in Deum, et in me credite, etc.* (quia ipse sum naturalis Filius Dei, et unus Deus cum Patre meo). *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis. Et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Dicit illi Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* (Joan. 14, 1. 7—10). Quippe cum eadem sit Filii et Patris natura divina, quae ipsius Filii humanitati mediante personalitate Verbi unita est: ideo Filius per eandem naturam suam est in Patre, et Pater per eandem naturam suam est in Filio, et qui videt Filium, etiam videt Patrem, in quantum Pater est unus idemque Deus, quem videt ille, qui videt Filium. Ut autem hanc veritatem tanquam fundamentum plurium aliorum fidei nostrae mysteriorum, Apostoli et posteri ab ipsis edocendi certo crederent, addit Christus rationem credendi: *Verba, quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor* (non sunt enim ab humanitate mea conficta, sed per me, et per miracula, in confirmationem hujus veritatis patrata, loquitur et idem testatur Pater meus coelestis). *Pater autem in me manens ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite* (v. 10—12).

Quod si ergo firmissime credis, Christum esse unum eundemque cum Patre Deum, et illum non loqui a seipso, sed Deum Patrem loqui per ipsum, et per miracula, seu opera ejus admiranda: hoc ipso verba et doctrinam Christi tibi statue pro regula morum, quae te a via, veritate et vita aeterna errare non sinet. Ideo dixit (v. 6): *Ego sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

Punctum II. Quia fides, teste Paulo (Hebr. 11, 1): *Est sperandarum substantia rerum*, ideo eâ suppositâ, inducit Christus discipulos suos etiam ad spem, per ipsum veniendi ad coelum, dicens: *In domo Patris mei mansiones multae sunt* (quanta nempe est diversitas meritorum, tanta est varietas mansionum; et tanta earum est multitudo, ut nulla salvandorum multitudine superari possit, adeoque nullus propter defectum mansionis excludi debeat). *Si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum* — (morte mea, ac mediis et auxiliis, per me vobis conferendis, et totius Coeli possessionem pro vobis adeundo), *Et si abiero, et praeparavero vobis locum: iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis* (Joan. 14, 2 sq.). Cernis, quam certa nobis sit spes, semper et perpetuo cum Christo regnandi in coelo, sive in domo Patris ejus. Neque enim, sicut Christo contigit in terra (quando in Bethlehem natus est, ubi non erat ei locus in diversorio), ita vicissim nobis contingere potest in coelo, ut non sit ibi locus in diversorio. Sed ibi multae et sufficientes mansiones sunt, et quidem habitationes illae *Mansiones* dicuntur, quia perpetuo ibi manere licebit, ut adeo de perpetua habitatione coelesti certa spe gaudere possimus propter modo dictam mansionum multitudinem; etiamsi alias nunquam nobis in personis Apostolorum Christus dixisset: *Quia vado*, sive quod vado *parare vobis locum.* Ex hac tamen ipsa praedictione longe maximam spei certitudinem habemus, uti et ex promissione illa: *Si abiero, et praeparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum* (scilicet in extremo die judicii, quando a mortuis resuscitatos et gloriosis corporibus donatos secum in coelum reducet), *ut, ubi sum ego, et vos sitis.* Pro hac spe tamen implenda necesse est,

ut, dum Christus nobis parat locum, ipsi nosmetipsos paremus loco, imprimis exactissima animi puritate ab omni labe peccati; — quia de coelesti civitate scribit S. Joannes (Apoc. 21, 27): *Non intrabit in eum aliquod coinquinatum;* — deinde executione illius, quod ipse Christus requisivit (Matth. 16, 24): *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Punctum III. Ex praedicta spe consequens est, ut oriatur ingens desiderium, quo cupiamus, ut inquit S. Paulus (Phil. 1, 22): *Dissolvi, et esse cum Christo,* et ut cum Philippo dicamus: *Domine, ostende nobis Patrem* (per visionem beatificam), *et sufficit nobis.* Tunc enim implebitur Psalmistae vaticinium (Ps. 16, 15): *Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo: satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Utinam cum S. Philippo tale desiderium haberes videndi Patrem, ut praeter hoc nihil aliud desiderares. Interea cum eodem S. Philippo Patrem coelestem in Christo aspice, non tantum, quia in Christo est divinitas Patris, sed quia vitae sanctitate similiter est perfectus, sicut Pater coelestis perfectus est. Ad hunc ergo aspectum pete a S. Philippo deduci, sicut deduxit Nathanielem (Joan. 1, 46) dicens: *Veni et vide;* — et sicut quosdam gentiles, qui: *Accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilaeae, et rogabant eum dicentes: Domine, volumus Jesum videre* (Joan. 12, 21). Juxta hanc ideam et tu operam da, ut coelestis Pater etiam ex e reluceat, hortante ipso Christo (Matth. 5, 48): *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.*

Meditatio XCIX.

(Sabbato ante Dom. Quinquages.)

Christus hortatur ad orationem.

Joan. 14. et 16.

Punctum I. Post peractam sacram communionem in ultima coena Christus discipulos suos, et in his omnes, ad s. Communionem accedentes, adhortatus est ad fidenter petendum a coelesti Patre in nomine Filii quidvis ad Dei gloriam et salutem suam conducens; (huc enim referri debet omne id, quod Deum dare, et hominem petere decet). Verba autem Christi sunt haec, quae pro fundamento hujus meditationis supponi debent: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Et si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam* (Joan. 14, 13). *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum* (Joan. 16, 23 sq.).

Punctum II. Considera causas infallibilis impetrationis ex parte Dei Patris et Christi se tenentes. Causa moralis est infallibilis promissio Christi, qui qua Deus, et qua homo nec falli, nec fallere potest; — deinde auctoritas, et merita Christi, per et propter quae aliquid petitur. Causa exequens et Pater et Christus, utpote patens, et ex infinito suo erga nos amore, volens dare id, quod petitur. Causa finalis est gloria Patris in Filio, et gaudii nostri plenitudo. O quantum hae causae tibi praestent fiduciam, petita impetrandi!

Punctum III. Ex parte nostra promovet certam impetrationem vitae sanctitas, fiduciae firmitas, rei petitae dignitas, quae scilicet digna est, ut petatur, quia servit ad Dei gloriam et nostram salutem, cujusmodi sunt: auxilia gratiae divinae ad superandas tentationes, exercendas virtutes, recte peragendas functiones. Has ergo conditiones habeat oratio ac petitio nostra, quae in sacris paginis ex-

pressis verbis indicantur: *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit; si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit* (Joan. 9, 31). *Habete fidem Dei. Amen dico vobis; quia quicunque dixerit huic monti: Tollere, et mittere in mare, et non haesitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis: Omnia, quaecunque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis* (Marc. 11, 23 sq.). *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se?* (Luc. 11, 13).

Meditatio C.

(Dominica in Quinquagesima.)

Christus hortatur discipulos ad perseverantiam.

Joan. 15.

Punctum I. *Ego sum vitis vera* (Joan. 15, 1). Comparat Christus se viti, et discipulos suos dicit palmites (v. 5): *Ego sum vitis, vos palmites;* additur autem *vera*, quod vere praestet discipulis id, quod vitis praestat palmitibus; ipsa enim ex propria radice progignit et sustentat palmites suas; unde palmiti dici potest: *Non tu radicem portas, sed radix te* (Rom. 11, 18). Sic nempe Christus discipulis suis hic (v. 16) dixit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* — Deinde vitis succum omnem et vim fructum ferendi in palmites diffundit. Ideo (v. 5) Christus dixit discipulis: *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere.* Et (1, 16) S. Joannes scribit: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* Considera ergo, quam vere etiam erga te officium vitis impleat; quomodo non tu Ipsum, sed Ipse te elegerit, ac vocatione

sua praevenerit, ut Ipsi per fidem, gratiam et dilectionem, atque etiam per vitam religiosam conjungereris; et quanta media et auxilia gratiae, ad afferendum bonorum operum fructum, de plenitudine ejus acceperis, ideoque succum optimum ac fertilitatem in te attraxeris. Agnosce itaque et exequere tuam obligationem, spemque maximi fructus imple, et ne dicatur de te: *Expectavit, ut faceret uvas, et fecit labruscas* (Is. 5, 2). — *Ego ptantavi te vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conversa est mihi in pravum vitis aliena?* (Jer. 2, 21).

Punctum II. *Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat* (Joan. 15, 1 sq.), Sicut Christus se vitem dixit, sic Patrem suum agricolam vocavit; Pater enim hanc vitem plantavit. Alioquin, inquit ipse Christus (Matth. 15, 13): *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur.* Considera autem, quomodo plantaverit: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* (Joan. 3, 16). Curam autem, quam coelestis agricola palmiti adhibet, indicant citata verba; si enim sterilis sit, et curam vel frustretur, vel non mereatur, hunc agricola tollet, et rescindet a vite. Si autem palmes ferat fructum, agricola purgabit eum, auferenda impedimenta majoris fructus, et superflua folia creaturarum, ac affectuum internorum resecando per adversitatum immissionem, commoditatum subtractionem, et per multiplicem exercitationem ac occasionem virtutis. Gaude ergo, si hanc curam agricola tibi quoque adhibeat; nec sit tibi satis, si tantum maneas in vite, nec per peccatum mortale ab ea separeris, etsi aliquem duntaxat, at modicum fructum feras; quia Christus, dicens apud Joannem (10, 10): *Ego veni, ut vitam habeant, et abandantius habeant,* — ad hunc finem ab agricola coelesti, ut vitis vera plantatus est, ut palmites ipsi unitae abundantem fructum producant, et per hunc honoretur Pater illius; ideo (Joan. 15, 8) ait: *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis.*

Punctum III. *Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis* (Joan. 15, 4). — *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes; et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis* (v. 6. 7). Pro hac adhortatione et admonitione, ut in Christo maneamus, et Christus in nobis, similitudo praecedens de vite et palmite instituta est. Modum autem, quo ea executioni dari possit ac debeat, (v. 10) subjectis verbis Christus ipse edocuit: *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione.* Argumenta efficacissima ipsi adhortationi inserta sunt: quia, qui non manet in Christo per dilectionem, saltem habitualem, quae quavis praecepti gravi transgressione tollitur, opera ejus bona nequeunt esse fructuosa ad aeternam salutem, per ea promerendam: quemadmodum palmes separatus a vite amittit vim afferendi fructum, et ideo simili ratione, velut inutilis palmes, aridus, et exsuccus in ignem infernalem projicitur, ubi tempore quasi immobili ac perpetuo praesenti semper est verum dicere: *Ardet.* Contra qui per dilectionem, et omnium praeceptorum observationem manet in Christo, quidquid voluerit, petet, et fiet ipsi. Vere liberalis est haec retributio fructuum, quando Deus semper facit voluntatem tuam, si tu ipse feceris voluntatem Dei.

Meditatio CI.

(Feria II. post Dom. Quinquages.)

Christus hortatur discipulos ad mutuam charitatem et patientiam.

Joan. 15.

Punctum I. *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (Joan. 15, 12). *Haec mando vobis, ut diligatis invicem* (v. 17). Et supra (13, 34): *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Considera, quam seria sit haec adhortatio, triplici praecepto inculcata; deinde, quam perfecta dilectio exigatur, ut nempe ita diligamus, sicut Christus dilexit; et ideo est novum mandatum. Olim enim tantum praecipiebatur: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum* (Lev. 19, 18; — Matth. 19, 19; 22, 39); nunc autem praedicatur, ut diligamus proximum, sicut Christus dilexit nos, qui etiam pro nobis mortuus est. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat pro amicis suis,* ut ipse inquit apud Joannem (15, 13); praesertim si ipsi, pro quibus ponit, et qui pro amicis habentur, inimico sint animo, sicut Christus etiam pro his mortuus est (Rom. 5, 10).

Punctum II. *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia vero de mundo non estis, propterea odit nos mundus* (Joan. 15, 18 sq.). Sicut ante praecepit Christus, ut proximum diligeremus, sic vicissim hortatur ad patientiam, si a proximo non diligamur, sed odio habeamur; modo causa hujus odii sit dissimilitudo vitae nostrae a vita et moribus hujus mundi, vel similitudo cum vita Jesu Christi; ideo: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, — cum persecuti vos fuerint propter me* (Matth. 5, 10. 11). Unde ad

nullius hominis favorem aucupandum aliquid agendum est, quod Religiosum, qui de mundo electus est, minus deceat; nec affectandus est amor hominum, quo a studio religiosae perfectionis impediaris: sed gratulare tibi, quod nulla justa causa odii data dicere cum Christo possis: *Quia odio habuerunt me gratis* (Joan. 15, 25).

Punctum III. *Non est servus major Domino suo; si me persecuti sunt, et vos persequentur* (Joan. 15, 20). Haec similitudo et comparatio pro universali principio habenda est, ut in nulla re te ipsum melius habeas, vel ab aliis haberi velis, quam Christus, cum in hac mortali vita degeret. Imo adhuc hodie Christus a peccatoribus, et ab infidelibus odia et persecutiones sustinet; et tu ista fugias?

Meditatio CII.

(Feria III. post Dom. Quinquages.)

Christus hortatur ad mortem fortiter pro se ferendam.

Joan. 15 et 16.

Punctum I. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit; ille testimonium perhibebit de me; et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis* (Joan. 15, 26 sq.). Considera, quomodo Christus ipsa promissione Spiritus Sancti, (qui uti a Patre et Filio procedit, ita ab utroque mittendus erat ex intercessione et meritis Christi, testantis id de se ipso: *Quem ego mittam vobis a Patre),* — discipulos suos animet ad toti mundo testandum, ac profitendum, se esse Filium Dei; nec non idipsum egregie ab illis praestandum praedicat, tum Spiritus Sancti in ipsis loquentis auxilio et gratia, tum notitia et experientia propria, ex conversatione cum Christo per triennium hausta. De auxilio enim et gratia Spiritus Sancti locutus est Christus,

cum dixit: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* (Matth. 10, 19 sq.). De propria autem notitia et experientia testatus est S. Joannes (I. 1, 1—3): *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae: et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis.* Hinc etiam S. Petrus (Act. 1, 21 sq.) dixit: *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannes usque in diem, quâ assumptus est nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Dic ergo cum Psalmista gratias agens Deo: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* (Ps. 92, 5). Et quandoquidem ea a Spiritu veritatis, qui nec fallere, nec falli potest, nec vult, exhibentur, isque in sacris Scripturis, Evangeliis ac Epistolis Apostolorum loquitur de doctrinis, mysteriis, miraculis, et virtutibus ac meritis Christi Domini; firmissima fide his omnibus assentire, et pro vitae tuae regula ac norma statue, totiusque Spiritum veritatis testimonium tibi exhibere crede, quoties Apostolorum scripta legis, aut meditaris.

Punctum II. *Sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo* (Joan. 16, 2). Adeo propter Christum viles et exosi fuerunt Apostoli. Sed scito, tibi et ipsis ab eo dici (Joan. 15, 18. 20): *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit, etc. Non est servus major domino; si me persecuti sunt, et vos persequentur.* Tu autem noli hos imitari, qui suis peccatis virtutis speciem praetexerunt. et arbitrantur, se obsequium praestare Deo. Quod si tamen tibi sub hujusmodi praetextu mala quaepiam inferuntur, prout etiam ex divina et speciali Dei permissione inter bonos et sanctos viros per errorem, vel quampiam intellectus deceptionem aut excoecationem nonnullae aversiones

et persecutiones oriri solent: ex amore divini obsequii illa libenter sustine, et inferentibus facilius veniam largire.

Punctum III. *Sed haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis* (Joan. 16, 4). Sic quaecunque mala et adversa tibi eveniunt, recordare, ea a Christo praedicta esse, et debere impleri, ne fallant vaticinia et oracula S. Scripturae. Respice etiam ad maximum praemium, et fructum dulcissimum, ex amara radice prodeuntem. Unde post gravissima mala praedicta tandem concludit (Luc. 21, 19): *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quia ergo non prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur (Matth. 16, 26): hinc mala et adversa hujus vitae neque cum totius mundi lucro commutanda sunt, praesertim quia ex praedictione Christi praecognita, praevisa, et praemeditata minus feriunt.

Meditatio CIII.

(Feria IV. post Dom. Quinquages. — Dies Cinerum.)[1]

Christus consolatur discipulos, ob obitum suum tristes. (1.)

Joan. 16, 5 sqq.

Punctum I. *Nunc vado ad eum, qui misit me: et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum* (Joan. 16, 5). Ostendit Christus discipulos suos de audito suo discessu immerito tristari, quia ista erat valde optabilis Christo; ideo supra apud Joannem (14, 28) dixit: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Filio enim utique jucundum est, ire ad Patrem. Sic de nullius amici, nec de propria morte appropinquante tristaberis, si cogitaveris, mortem esse transitum filii adoptivi

[1]) Cfr. Med. 253. (tom. II.) de Evang. die Cin.

ad coelestem Patrem. Ut autem de te ipso hoc cogitare possis, vitae integritate de hoc te securum redde, et sic tum memoria termini deserendi, scilicet miserae ac periculosae hujus vitae, tum memoria termini adeundi, potius gaudium quam tristitiam pariet.

Punctum II. *Sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos* (Joan. 16, 7). Altera ratione, ex propria discipulorum utilitate desumpta, ostendit Christus, discipulos de suo discessu immerito tristari. Sic et nos immerito tristamur, quando videmus nobis a Deo deseri, immittente desolationes, ariditates in oratione, tentationes et adversa quaelibet. Nam expedit nobis, ut ita a nobis Deus abeat, propter multiplicem nostram utilitatem spiritualem, humilitatis, patientiae, fiduciae ad Deum, propriae diffidentiae, et plurimorum donorum Spiritus sancti, ac denique secuturi solatii ex Paracliti adventu, qui non veniret ad nos, nec spiritualia sua solatia nobis largiretur, neque nos ea ita sentiremus, nisi dicto modo quandoque deseremur a Deo.

Punctum III. *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me; de justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me; de judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est* (Joan. 16, 8—11). Id est Spiritus sanctus cum magno vestro solatio palam faciet, Judaeos graviter peccasse per infidelitatem, et per justitiam laesam, et per judicium adversus me latum; quo factum est, ut princeps hujus mundi, nempe diabolus, jam sit condemnatus, et potestate sua, qua hactenus potiebatur, exutus. Sic Spiritus sanctus, quando in nos venit, arguit et convincit mundum *de peccato,* quod scilicet in maligno positus sit (1. Joan. 5, 19); et *de justitia,* quod omnes justitiae ejus sint velut *pannus menstruatae* (Is. 64, 6); et *de judicio*, quod judicium mundi erroneum et falsum sit. Unde Spiritus sanctus abstrahit nos a mundo, ne simus de hoc mundo, et ne diligamus mundum, neque ea, quae in mundo sunt (1. Joan. 2, 15).

Meditatio CIV.

(Feria V. post Dom. Quinquages.)

Christus suos discipulos consolatur. (2.)

(Continuatio.)

Joan. 16, 16 sqq.

Punctum I. *Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me; quia vado ad Patrem* (Joan. 16, 16). Sensus est: *Modicum, et non videbitis me,* — et hoc ideo verum est, quia vado ad Patrem per mortem, et deinde per ascensionem in coelum. *Et iterum modicum, et videbitis me,* — quando scilicet a mortuis resurgam, et quando de coelo rediturus sum in resurrectione mortuorum, quae, si comparatur aeternitati, modico temporis intervallo distat. Itaque Christus solatur Apostolos, quod tristitia illorum brevis, nec ipse diu ab illis abfuturus sit. Hujus brevitatis memoria nos quoque in adversitate erigamur, et siquidem in desolatione constituti sumus, soletur nos in omni adversitate. Similiter etiam, constituti in desolatione, solemur nos ipsos spe superventurae brevi consolationis: sin autem in consolatione, ne nimium effundamur vel extollamur, cogitemus, et hanc *modicum* duraturum, certi, quidquid est in mundo, modicum esse. Atque ideo nec in sinistris dejiciamur, nec in prosperis extollamur, aut nimium laetemur.

Punctum II. *Amen dico vobis: quia plorabitis et flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. — Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (Joan. 16, 20. 22). Si Apostolis, Christo amicissimis, ploratus, fletus, tristitia est inevitabilis: nec tibi erit. Quid autem consultius: *modicum* tristari cum apostolicis viris, et tristitiam verti in gaudium perpetuum: an *modicum* gaudere cum mundo, et gaudium verti in planctum, fletum et stridorem dentium perpetuum? Imo etiam in hac vita tristitia, ex adversis, vel ex poenitentia orta, vertitur in gaudium spirituale,

quod a mundo nobis auferri non potest; vicissim: *Extrema gaudii luctus occupat* (Prov. 14, 13).

Punctum III. *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis; sed confidite: Ego vici mundum* (Joan. 16, 33). Disce, ubi quaerenda sit vera pax et quies animi: nempe in Christo, in cujus consolationibus, promissionibus, exemplis, consiliis, praeceptis, etc. pax illa reperitur, et fortitudo ac robur vincendi communicatur, ut etiamsi pressuram ac tristitiam inferat, sicut Christo intulit: per gratiam tamen et imitationem ejus facile et pacate feratur.

Meditatio CV.

(Feria VI. post Dom. Quinquages.)

Christus in coena orat Patrem.

Joan. 17, 1 sqq.

Punctum I. *Sublevatis oculis in coelum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (Joan. 17, 1). — *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam; et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te, etc.* (ib. v. 4, 5). Ordo charitatis exigit, ut primo pro se oraret, et peteret a Patre in Passione et post Passionem manifestari et innotescere mundo infinitae suae gloriae claritatem, quam habet apud Patrem, tanquam naturalis Filius Dei, ut adeo Filius clarificet Patrem, et sit honor sui Patris. Unde orationis intentio fuit purissima, ordinatissima, ferventissima, per praecedentia merita efficacissima, externa et interna reverentia cultissima, confidentissima. Similiter et nos petamus ante omnia pro nobis aeternae gloriae claritatem apud Deum, et illam nobis procuremus.

Punctum II. *Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi; quia tui sunt, et*

mea omnia tua sunt, et tua mea sunt: et clarificatus sum in eis (Joan. 17, 9. 10). — *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos* (ib. v. 11). — *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego eos misi in mundum, et pro eis sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate*(ib. v. 14—19). Sic Christus pro Apostolis, sic pro nobis, in societate, vel amicitia aut speciali servitute ejus versantibus precatur. Pater coelestis paratus est, hanc aequissimam, et tibi utilissimam petitionem exaudire: tuum est, consentire, et cooperari, ut in te et per te illam assequatur Filius orans.

Punctum III. *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verba eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus, quia tu me misisti, etc.* (Joan. 17, 20. 21). — *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi* (ib. v. 24). Ita orat Christus pro omnibus suis fidelibus, petens, ut sint unum per concordem doctrinam, et amorem mutuum inter se propter Deum; et per amorem Dei ac Christi sint unum cum Deo et Christo. Noli ergo per ullam dissolutionem hujus unionis cum Deo et proximo ultimas Christi preces irritas facere. Noli a Christo, vita et exemplis illius unquam in hoc mundo recedere, ut etiam merearis ipsi in coelesti gloria conjungi, ejusque divinitatem mentis oculis clare intueri.

Meditatio CVI.

(Sabbato ante Dom. I. Quadrages.)

Christus in ultima coena valedicit discipulis.

Joan. 14, 27 sqq.

Punctum I. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis* (Joan. 14, 27). Considera, quomodo differant pax Christi, et pax mundi. Pax mundi enim est consensus appetitus rationalis cum sensitivo, ita ut ille isti minime repugnet; talem pacem Ecclesiastes (2, 10) a mundo se accepisse testatur: *Omnia, quae desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluntate frueretur, et oblectaret se in his, quae praeparaveram: et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo.* Sed hanc non esse veram pacem animi, idem Ecclesiastes mox ex propria experientia statim subjectis verbis confessus est: *Cumque me convertissem ad universa opera, quae fecerunt manus meae, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole* (v. 11). Unde mundus neque dat veram pacem, et eam ipsam, quam dat, non relinquit. Sed Christus dat veram pacem, quia suam dat, et eam etiam relinquit, ita ut eadem in summa egestate, in summis doloribus, in maximo apud homines contemptu, sicut cum Christo, sic cum omnibus habentibus pacem Christi, perseveret. Ea est consensus appetitus sensitivi cum rationali, et hujus cum voluntate Dei. Hanc pacem precatus est S. Paulus suis Philippensibus (4, 7): *Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum,* (adeoque pacem mundi), *custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu.* De priori pace, quam mundus dat cum hominis infensissimis hostibus, nempe cum mundo ipso, cum carne et sanguine, et cum diabolo, inquit Christus apud Matthaeum (10, 34): *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mit-*

tere, sed gladium. Sic etiam Job (7, 1) ait: *Militia est vita hominis super terram.* De posteriore autem, quam ante mortem suam Christus discipulis suis testamento et pro valedictione reliquit, hic dicit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis,* i. e. veram et stabilem pacem, quae parit veram quietem animi et gaudium, unde inter fructus Spiritus sancti individui comites sunt *gaudium et pax* (Gal. 5, 22). — *Non quomodo mundus dat, ego do vobis:* iste enim dat falsam, vanam et brevissimam pacem, de qua impii apud Jeremiam (6, 14 sq.) dixerunt: *Pax, pax, et non erat pax. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt; quamobrem cadent interruentes.*

Punctum II. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis, quia ego dico vobis: Vado et venio ad vos* (Joan. 14, 27 sq.). Id est: Nolite turbare pacem cordis vestri metu ullius mali, ex meo discessu vobis eventuri; quia vado quidem per imminentem mortem, sed mox venio per resurrectionem proxime secuturam. Simili modo contingit servis Dei, a quibus Deus vadit, et venit: Vadit permittendo desolationem, vel tentationem; venit afferendo solatium et auxilium. Ob hujusmodi itaque vicissitudinem non turbetur cor vestrum, neque formidet. Non enim tantum dicitur: *Vado,* sed mox et in praesenti: *Et venio ad vos.*

Punctum III. *Jam non multa loquar vobiscum* (i. e. paucis valedicam), *venit enim princeps hujus mundi* (nempe diabolus, cujus imperio mundus paret, et qui jam ministros suos destinat ad me capiendum et occidendum), *et in me non habet quidquam* (juris aut potestatis, me invito), *sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, sic facio* (me sponte in captivitatem et crucem tradens). *Surgite eamus hinc* (Joan. 14, 30 sq.). Ut itaque et tu ostendas mundo, quod diligas Patrem, surge cum Christo e mensa, et propria voluntate accede ad sufferendam crucem, ne et de te verum sit illud Thomae Kempensis (l. 2, c. 11): *Habet Jesus nunc multos amatores regni sui coelestis, sed paucos bajulatores suae crucis. Multos habet desideratores consolationis, sed paucos tribulationis.*

Plures invenit socios mensae, sed paucos abstinentiae. Omnes cupiunt cum eo gaudere, pauci volunt pro eo et cum eo aliquid sustinere. Multi Jesum sequuntur ad fractionem panis, sed pauci usque ad bibendum calicem passionis.

Meditatio CVII.

(Dominica I. in Quadragesima.)

Christus exit e coenaculo ad hortum.

Matth. 26, 30; Marc. 14, 26; Luc. 22, 39; Joan. 18, 1 sq.

Punctum I. Finito sermone et *hymno dicto egressus est Jesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron in montem Oliveti*, teste Matthaeo (26, 30). *Ubi erat hortus* in campo Gethsemani, *in quem introivit ipse et discipuli ejus*, teste Joanne (18, 1); *secundum consuetudinem*, ut inquit Lucas (22, 39). *Sciebat autem* (continuat Joannes v. 2) *et Judas locum; quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.* Considera itaque triplicem causam hujus egressionis in hortum Gethsemani. 1) Ut quemadmodum peccatum Adami commissum est in horto paradisi: ita etiam satisfactio et redemptio nostra inciperet in horto Oliveti ad Dei misericordiam et veniam impetrandam. Tu quoque per ea, per quae peccasti, fac, ut luas et poenitentiam agas. 2) Ut Christus daret exemplum orandi loco opportuno, more consueto, remotis obstaculis, molestiis et incommodis. Ideo etiam solebat noctis tempore in oratione persistere, ut Evangelista Lucas alio in loco (6, 12) refert: *Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.* 3) Ut traductio in urbem esset tanto ignominiosior, et longitate viae molestior longiorque raptatio captivi. Sic quae magis sunt ignominiosa, ingloria et molesta, quaerenda sunt.

Punctum II. In via Christus *coepit contristari et moestus esse* (Matth. 26, 37), *pavere et taedere* (Marc.

14, 33). Nota verbum: *coepit;* ex quo colligitur, Christum ante semper cohibuisse affectum tantae tristitiae, imaginariam cognitionem, qua appetitus sensitivus regitur, inhibendo: ut daret exemplum coërcendi quosque vehementes affectus et passiones, praesertim tristitiae et metus circa mala, quae per imaginationem et phantasiam saepe falso proponuntur, vel graviora nobis apparent, quam rei veritas mereatur; quia vel omnino non evenient, vel non ita graviter affligent, vel sola phantasiae ac imaginationis moderatione ac correctione tolli, aut imminui possunt. Ideo Seneca philosophus concinne notat, res plerumque difficiles esse, non quia difficiles in se sint, sed quia eas difficiles esse existimemus. Noli itaque ante tempus tristari, quia *sufficit diei malitia sua* (Matth. 6, 34), et imaginationi ac phantasiae tuae tempera, ne ullam rem gravius feras, quam mereatur, cum Christus etiam circa mala certo praevisa tristitiae, a sensu interno pendenti, tantisper temperaverit.

Punctum III. Considera, Christum deinde voluisse admittere tormentorum et passionis suae naturalem horrorem, tristitiam, moerorem, pavorem, taedium, ut passio tanto esset acerbior et exemplum nobis praeberetur, secluso solatio, et non obstante tristitia, taedio, etc., agendi et patiendi nobis contraria, gravia, difficilia, etc.

Meditatio CVIII.

(Feria II. post Dom. I. Quadrages.)

Christus tristatur usque ad mortem.

Matth. 26, 37 sq.; Marc. 14, 33 sq.; Luc. 22, 41 sqq.

Punctum I. Considera, tantam fuisse Christi tristitiam, ut naturaliter mortem illi fuisset illatura, nisi per miraculum fuisset conservatus. Ipse enim fatetur (Matth. 26, 38): *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Causa tantae tristitiae triplex potissimum fuit. Prima, cognitio

intuitiva infinitae Majestatis offensae peccatis hominum ex una parte; ex altera cognitio clarissima malitiae peccati mortalis et venialis, quam exaggerabat tum gravitas, tum multitudo hominum peccantium, et commissorum peccatorum. Ex utraque hac cognitione secutus est summus amor Dei offensi, et odium tam gravis ac multiplicis offensae summum; quibus coaequabatur tristitia. — *Secunda* causa et mensura tristitiae fuit gravitas aeternorum suppliciorum perfectissime cognita, et multitudo hominum, qui eadem essent subituri, licet tantopere, ut membra sui corporis mystici, dilecti, ut pro quovis servando Christus paratus fuisset, eadem et longe majora saepissime pati, quam de facto perpessus est. — *Tertia* causa erant omnia illa mala praecognita, quae ipse Christus, martyres et fideles omnes usque ad finem mundi perpessuri essent, praesertim sanctissima ejus Mater. Imitare et ipse hanc tristitiam, et contemne alias tristandi causas, vanas et inutiles.

Punctum II. Causas etiam perpende, ob quas Christus internam tristitiam discipulis suis manifestavit; nimirum ut abstineremus a gaudiis illicitis, imo etiam licitis, sed vanis et inutilibus; utque etiam coelestibus solatiis libenter careremus, imo pari ratione desolationes, tristitias, animi afflictiones patienter sustineremus; et ut in his non gravaremur ab aliis consilium et directionem accipere.

Punctum III. Considera illos tres e discipulis tantae tristitiae participes redditos, qui in monte Thabor majoribus solatiis recreati, et ad compatiendum confirmati sunt, scilicet Petrus, Joannes, et Jacobus (Matth. 17, 1 sqq.). Quid ni et nos, si bona accepimus de manu Dei, mala pariter sustineamus? Ad hunc finem enim dantur illa, ut fortius ferantur ista; et hac Deus vicissitudine suos amicissimos exercet ac probat. Unde nec in monte Thabor, nec in monte Oliveti structa sunt tria tabernacula, quae facere voluit Petrus in priore, non autem in posteriore loco (Matth. 17, 4). Tu itaque sequere Ecclesiasticum (11, 27) monentem: *In die bonorum ne immemor sis malorum; et in die malorum ne immemor sis bonorum: quoniam facile est coram Deo, in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.*

Meditatio CIX.

(Feria III. post Dom. I. Quadrages.)

Christus orat in horto. (1.)

Matth. 26, 39; Marc. 14. 35; Luc. 22, 41 sqq.

Punctum I. *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (Matth. 26, 39): *Et factus in agonia, prolixius orabat* (Luc. 22, 43). — Cum Christi anima esset tristis usque ad mortem, auxilium et solatium per orationem ad Deum Patrem suum quaesivit, quemadmodum David (Ps. 76, 3) se fecisse testatur: *In die tribulationis meae Deum exquisivi: renuit consolari anima mea; memor fui Dei, et delectatus sum.* Et quemadmodum docuit S. Jacobus in Epistola sua canonica (5, 13) scribens: *Tristatur aliquis vestrum? Oret.* Non ergo criminationibus et exaggerationibus, querelis et confabulationibus, vel aliis modis a creaturis solatia vel auxilia petenda sunt, quae saepe ob defectus vel tristitiam augent, et alias juvare vel non possunt, vel non volunt, vel certe non utiliter juvant. Ideo Sapiens monet: *Custodite vos a murmuratione, quae nihil prodest, et a detractione parcite linguae, . . . os autem, quod mentitur, occidit animam* (Sap. 1, 11); et *Ecclesiastes* (1, 14): *Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus.* Deus autem potest et vult juvare, quando expedit: vel robur et solatium praestat, quando liberatio a tristitia non est utilis. Et quidem decet a Deo solo hujusmodi opem rogare: quia ipse sufficiens est, et vult eam praestare, modo media ordinaria non negligantur, quae adhiberi desiderat. Sane: *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine!* (Ps. 117, 8).

Punctum II. Sicut exemplo, ita etiam verbis discipulos suos docuit ad orationem confugere, praesertim urgentibus tentationibus; cui orationi tamen addenda est

etiam vigilantia: *Vigilate*, inquit Christus apud Matthaeum (26, 41), *et orate, ut non intretis in tentationem.* (Non dixit: ut non tentemini, sed: *ut non intretis in tentationem*, quod etiam in ultima petitione Orationis Dominicae rogare docti sumus). Non sufficit ergo Christum orare pro nobis, et vigilare pro nobis, — quod quidem omnino nobis necessarium est; — *Nisi enim Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam* (Ps. 126, 1); — sed debemus etiam nos operam nostram jungere; ideo dicit: *Vigilate mecum* (Matth. 26, 38).

Punctum III. Considera modum orandi, quem Christus exemplo suo docuit: *Positis genibus* (Luc. 22, 41), *procidit in faciem suam* (Matth. 26, 39), *super terram* (Marc. 14, 35), *orans et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (Matth. 26, 39). Fuit igitur oratio attentissima, propter animi et corporis separationem a discipulis; humillima, propter summam reverentiam internam et externam; confidentissima, propter filialem affectum erga Patrem; resignatissima, in divinam voluntatem, propter conformationem suae voluntatis cum divina. Has conditiones habeat oratio nostra.

Meditatio CX.

(Feria IV. post Dom. I. Quadrages.)

Christi oratio in horto. (2.)

(Continuatio.)

Matth. 26, 40—44; Luc. 22, 43.

Punctum I. Considera, quomodo Christus sollicitus pro suis discipulis, ne in tentationem intrarent, interrupta sua oratione eos visitaverit semel ac iterum: *Et invenit eos dormientes, et dicit Petro* (qui plus fervori suo fidebat): *Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus*

quidem promptus est, caro autem infirma (Matth. 26, 40 sq.). Non somnolentiam Apostolorum circa propriam salutem, sed Christi vigilantiam imitari debemus, et iterata ab ipso admonitione ac frequenti animi nostri visitatione et inspectione actionum nostrarum nos excitare ad vigilandum et orandum, non fidentes nostro fervori, sed infirmitati praecaventes. Praeterea debemus coram nobis ipsis confundi, quod ad bonum tam infirmi et instabiles simus. Aliorum vero infirmitati facile debemus compati. Discant etiam Superiores frequenter visitare subditos suos et pro illis orare.

Punctum II. *Iterum secundo abiit, et oravit dicens: Pater mi, si non potest calix hic transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua* (Matth. 26, 42). *Iterum abiit, et oravit tertio, eundem sermonem dicens* (v. 44). Sic nec tristitia, nec ullo vehementi animi affectu nos in spiritualibus nostris exercitiis et functionibus languescere oportet, sed tanto magis illis insistere, sicut Christus teste Luca (22, 43): *Factus in agonia, prolixius orabat.* Perseverandum etiam in recursu ad orationem, quoties per alia negotia, vel per officia charitatis erga proximum ab illa fuerimus abstracti.

Punctum III. Christus ter orans pro calicis translatione (si tamen liberatio generis humani et salus ejusdem secundum Patris beneplacitum obtineri posset), non exoravit. Sic in oratione perseveremus, etiamsi tarde, vel omnino non exaudiamur. Sic beneplacitum divinum, et propriae salutis emolumentum praeferamus propriae voluntati, si Deus eidem non obsecundet. Sic necessitati ad bibendum calicem paratos nos offeramus, credentes, aliter impossibile esse salutem consequi.

Meditatio CXI.

(Feria V. post Dom. I. Quadrages.)

De agonia Christi.

Luc. 22, 43 sq.; Matth. 26, 45 sq.

Punctum I. *Apparuit illi Angelus de coelo, confortans eum* (Luc. 22, 43). Etsi Christus non indiguerit Angelo, et confortatione ulla, Pater tamen coelestis illum misit pro nostra instructione, ut indicaret, fructum orationis esse vel liberationem ab adversitate illa, qua petimus liberari; vel confortationem ad illam fortiter perferendam, eamque nobis, etsi nec oculis nec alio sensu percipiamus, praestari ab Angelo Custode, proponente vobis Dei beneplacitum, et propriam utilitatem; quidquid enim Angelum credibile est dixisse Christo, id credendum est nobis dicere adversitate pressis. Praeter Angelum, a Christo pro consolatore admissum quantumvis sapientia ac donis omnibus inferiorem, nos admonemur, etiam aliorum instructionem libenter admittere, quibus sapientia et aliis dotibus eminemus.

Punctum II. *Factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram* (Luc. 22, 44). Ex hoc colligitur, quanta fuerit tristitia et pavor Christi pro nostra salute, quanta pugna interna; — cum tamen de quolibet nostrum dici possit illud Thomae Kempensis (juxta S. Paulum ad Hebr. 12, 4): Nondum usque ad sanguinem restitisti! Itaque nulli sudori parcamus in sustinendo, pugnando, laborando. *Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia* (Sir. 4, 33). O quot guttae infiniti valoris de Christi sudore et sanguine decurrunt in terram, eo quod illas tibi non applices, et in te non derives!

Punctum III. *Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis: Dormite jam et requiescite* (Matth. 26, 45). — (Hanc permissionem somni non negavit S. Lucas, sed silentio praeterivit, unam tantum visitationem ac reprehensionem

discipulorum referens, postquam ter repetitam orationem ad modum unius retulerat, quamvis illa visitatio ac reprehensio non tum contigerit, postquam tertia vice Christus ab oratione surrexit; tunc enim discipulis indulsit somnum; de quo tamen cum brevi illos excitasset, et cum discipulis pauca verba fecisset, inquit S. Lucas: *Adhuc eo loquente, ecce turba, etc.).* Ita somnum et necessariam virium refectionem suo tempore perage, et brevi absolve; nam paulo post Christus discipulos excitans, et adventum Judae denuntians, dixit: *Surgite, eamus. Ecce, appropinquavit, qui me tradet* (Matth. 26, 46). Quantum nempe vires corporis attrivit tristitia, et sudor sanguineus: tantum roboris accessit animo quoad partem sensitivam, quam confortavit et recreavit apparitio Angelica, dum Christus Patrem orabat. Unde disce, quod alacritas, fortitudo, promptitudo fructus sint orationis. Considera etiam, Christum non dixisse: Surgite, fugiamus. Non enim fugiendi sunt, qui nos persequuntur. Deinde si Christus occurrit Judae, se tradenti: quanto magis occuramus Christo nos liberanti, et gratia sua nos visitanti, ut eidem cooperemur ad nostram salutem ac liberationem?

Meditatio CXII.

(Feria VI. post Dom. I. Quadrages.)

De adventu Judae cum cohorte et de traditione Christi.

Matth. 26, 47 sqq.; Marc. 14, 43 sqq.; Luc. 22, 47 sq.; Joan. 18, 2 sqq.

Punctum I. *Ecce Judas, unus de duodecim, cum accepisset cohortem, et a Pontificibus et Pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus, et armis* (Joan. 18, 3). Considera, quomodo Judas in societate Christi a minoribus peccatis ad summam malitiam pervenerit, ut esset dux hominum sceleratissimorum. Sic lapis, quando incipit ex

alto montis fastigio cadere, non quiescit, donec ad ima perveniat. Semper ergo cave, ne incipias cadere ac deficere. Incipis vero, quando tepidus fis; incipis, quando res, quae minutae videntur negligis; incipis praesertim, quando in oratione tua remissior fis, et ad externa solatia te effundis.

Punctum II. Considera, quam ignominiosa Christo, et quam iniqua fuerit ista traditio; facta est enim ab uno ex duodecim, eodem publice praeeunte et cohortem ducente, ac proinde pro oculato teste alicujus magni criminis a plerisque accepto. Facta praeterea est auctoritate sacri et supremi magistratus ecclesiastici, mittentis proprios suos ministros per eosque de gravi utique crimine suspicandi ansam praebentis. Facta est nocte cum lucernis et facibus, ut omnes tam insolito et importuno tempore ac tumultu ad spectaculum, et ad periculosi facinoris suspicionem inducerentur. Facta est armatâ manu, ut minime spontanea ac voluntaria sui deditio crederetur; unde tam contra perfidum Judam, quam contra armatam cohortem conquestus est; contra illum quidem his verbis (Ps. 54, 13 sqq.): *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibus* (etiam in ultima coena intincta panis buccella honoratus, et eucharistico Manna pastus), *in domo Dei ambulavimus cum consensu;* contra reliquam vero cohortem hac querela: *Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus; cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manum in me: sed haec est hora vestra, et potestas tenebarum* (Luc. 22, 52 sq.; cfr. Matth. 26, 55). Ita semper, quod ignominiosius, contemptibilius et acerbius erat, admisit et sustinuit Christus: ut pari ratione ubique amorem proprium expugnaremus.

Punctum III. *Accedens ad Jesum dixit: Ave Rabbi. Et osculatus est eum. Dixitque illi Jesus: Amice, ad quid venisti?* (Matth. 26, 49 sq.). *Juda, osculo filium hominis tradis?* (Luc. 22, 48). Ulterius itaque progressa est malitia Judae. Primo, ut vel ex infidelitate vel ex

coecitate mentis crederet, se simulata amicitia Christo imponere posse. Deinde, ut osculo, quo sanctam testaretur charitatem, ad proditionem et odium abuteretur. Christus vero admisit osculum; non proditorem, sed amicum vocavit; errorem falsae persuasionis ipsi detexit; proprio nomine Judam non minus amanter compellavit, cum se proderet, quam cum Petro dixerit: *Et tu es Petrus* (Matth. 16, 18), cum Christum filium Dei confiteretur. Gravitate delicti ostensa, ad poenitentiam invitavit; ne tamen illius magnitudo in desperationem adduceret, non dixit: Juda, osculum *Filium Dei*, sed: *Filium hominis* tradis. Noli imitari Judam credendo, peccata sua Deum latere posse, vel abutendo re sacra ad Dei offensam, indigne forsan Sacramenta suscipiendo, orationem sine reverentia et devotione peragenda, etc. Imitare vero Christum, amice etiam cum fraudulentis amicis agendo, mansuete sustinendo, amanter et modeste illos admonendo, etc.

Meditatio CXIII.

(Sabbato ante Dom. II. Quadrages.)

De Christi ad cohortem sermone.

Joan. 18, 4 sqq.

Punctum I. *Jesus itaque sciens omnia, quae ventura erant super eum, processit et dixit eis: Quem quaeritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. — Et statim abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram* (Joan. 18, 4—6). Ecce, quam scienter et prompta voluntate Christus pro nobis suscepit omnia sibi eventura! Non fugit, sed obviam processit. Non agnitus ultro se manifestavit, cum alias etiam familiarissimis suis se, vultumque suum, ne nosceretur, potuisset obvelare; quemadmodum in apparitione, duobus discipulis in Emmaus euntibus, et Magdalenae in specie hortulani facta, contigit. Praeterea non transiens per medium illo-

rum ivit, sed substitit. Expectavit, dum retrorsum cadentes in terram resurgerent; rursumque interrogavit, quem quaererent, etc. Ergo nec tu fugias adversa et persecutiones. Quaere etiam ex te, quem tu peccando persequaris; annon Christum tibimet ipsi rursum crucifigendum quaeras? Considera pariter, quomodo is te in terram prosternere, atque de te vindictam sumere potuisset. Ergo, quem male quaesivisti, nunc pie quaere tanquam finem omnium actionum tuarum, ideoque nihil aliud quaere, quam *Jesum Nazarenum.*

Punctum II. Perpende diversam vim hujus responsionis: *Ego sum.* Male enim quaerentes Jesum terruit et prostravit. Quid faciet, quando, non jam iturus ad mortem, sed venturus ad judicium dicet: *Ego sum,* scilicet *judex et vindex.* Contra si in omnibus tuis actionibus quaerens Jesum, in animo tuo ab ipso audias: *Ego sum,* scilicet auxiliator tuus in operando, consolator in patiendo, merces tua magna nimis in promerendo (Gen. 15, 1). Haec vox et divinae praesentiae imaginatio animum tuum non prosternet, sed eriget. Audi tamen monentem: *Si me quaeritis, sinite hos* (nempe vanos fines seu intentiones) *abire* (Joan. 18, 8).

Punctum III. Considera tandem diversum casum eorum, qui cum Christo in horto orante sternuntur, ac procidunt in faciem suam, seque totos in divinam voluntatem et providentiam projiciunt: et eorum, qui abeunt retrorsum, et peccantes non vident, quo corruant. Priorum enim divina providentia singularem curam gerit. Unde Christus pro illis amplius, quam pro se sollicitus, dixit: *Si me quaeritis, sinite hos abire,* — nihil mali ipsis inferentes. Posteriores autem in sua obstinatione et coecitate reliquit. Hos inter erat Judas, qui viso etiam gemino miraculo, prodigiosae projectionis hostium, ac sanatae auriculae, adeoque agnita Dei omnipotentia et misericordia neque oculos mentis aperuit, neque poenitentiam egit. Praeterea adverte, cur prius dicantur inimici Christi retrorsum abiisse, deinde in terram cecidisse: nempe ut indicetur, illos, qui a Christo retrorsum abeunt, et non proficiunt, paulo post in gravem casum praecipitari.

Meditatio CXIV.

(Dominica II. in Quadragesima.)

Christus inhibet Petrum percutientem, et sanat Malchum.

Matth. 26, 50—54; Marc. 14, 47; Luc. 22, 49—51; Joan. 18, 10 sq.

Punctum I. *Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat* (quia jam milites accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum; Matth. 26, 50) *dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio?* (Luc. 22, 49). *Simon ergo Petrus, habens gladium, eduxit eum, et percussit Pontificis servum, et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus* (Joan. 18, 10). Prudentius egerunt reliqui Apostoli, qui prius Dominum suum consuluerunt, quam Petrus, ex inconsultu et praecipiti fervore ac imprudenti zelo, gladio percutiens. Unde eum reprehendens Jesum ait illi: *Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt* (Matth. 26, 52). Imitare ergo reliquos discipulos, et inconsulto Domino, et praecipiti impetu nihil facias vel dicas, etiamsi per imprudentem zelum videatur rectum; praesertim autem cave, ne provocatus, ex praecipiti fervore, per gladium linguae tuae alterius aures verbis ferias, sed converte gladium in locum suum. Omnis enim, qui acceperit gladium, id est, privatam vindictam sumpserit, gladio peribit: nempe illa ipsa vindicta sibi nocebit per damna subsequentia, vel poenam promeritam, vel similem vindictam sustinere debebit. Hinc illud: Qui dicit, quod vult, quod non vult, saepius audit.

Punctum II. Attende rationem aliam, cur Christus per gladium Petri ab hostibus suis liberari et a passione eximi noluerit, (quamvis ille unus suffecisset, ut, quos in terram jam ante prostraverat, suique fecerat impotentes, ad unum omnes interimeret sicut unus Angelus delevit

totum exercitum Assyriorum, sec. 2. Paral. 32, 21). *Calicem*, dixit Christus, *quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* (Joan. 18, 11). Non dixit: quem dedit mihi Judas, vel Judaei, sed velut a divina, et quidem paterna ac sui amantissima manu accipiciens, dixit: *Quem dedit mihi Pater.* Unde sicut in Superiore, ut prompte obediamus, respicere debemus non hominem, sed Deum; sic, ut fortiter patiamur, in eo, qui nos affligit, non hominem, sed Deum nostri amantissimum intueri debemus, et omnia adversa ac tentationes a paterna Dei manu accipere.

Punctum III. Iterum aliam rationem in his verbis expende: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus, quam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?* (Matth. 26, 53 sq.). Sic et nos cognita Dei voluntate, a nulla adversitate vel tentatione liberari cupiamus. Sicut enim oratio adeo efficax medium est, ut per illam facile obtineri possint abundantia auxilia liberationis: sic conformantes nos divinae voluntati multo magis per orationem impetrare possumus abundantia auxilia, superandi omnem adversitatem, vel tentationem vincendi. Itaque voluntate Dei nos roboremus, et testimoniis Scripturae, quibus tribulationes justorum praedicuntur, et necessitas patiendi denuntiatur, gratumque nobis sit, ut Dei voluntas et ejus veracitas in sacris eloquiis omnino impleatur.

Meditatio CXV.

(Feria II. post Dom. II. Quadrages.)

Christus comprehenditur.

Matth. 26, 55 sq.; Marc. 14, 48—52; Luc. 22, 52 sq.; Joan. 18, 12.

Punctum I. Perpende, quantam derelictionem a Patre suo coelesti in manibus inimicorum, quantam ignominiam a praecipuis hominibus judaicae Synagogae, ut

latronem comprehendi jubentibus, quantam violentiam et crudelitatem a lictoribus ligantibus, quantum odium et crudelium suppliciorum machinationem a potestatibus tenebrarum auctor vitae, nos peccatorum laqueis a se solutos trahens in vinculis charitatis, perpessus sit, ut merito conquestus sit et dixerit — *ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, et magistratus templi, et seniores: Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus, cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me; sed haec est hora vestra, et potestas tenebrarum* (Luc. 22, 52 sq.). Cogita hanc vitam etiam esse tempus, sed breve unius horae, ut patiaris et tenteris, sed juxta datam potestatem, quâ non sinit Deus (teste S. Paulo 1. Cor. 10, 13) nos pati, vel tentari ultra id, quod possumus sustinere, et facit cum tentatione proventum.

Punctum II. Considera, Christum non tantum humilitatem summam opposuisse summae ignominiae, mansuetudinem agni inter lupos rapientes hostili persecutioni, (cum potuisset disrumpere vincula instar Samsonis, et ulcisci se de inimicis solo verbo, eoque non tantum solo allidere, sed vitam eorum, sicut arefactae ficulneae vitam, extingere): verum etiam charitate maxima animam pro inimicis posuisse. Sic contra eos, qui tibi adversantur, non tantum vindicta, sed etiam justâ defensione abstinendum, — ut Christus alias verbis expressis nos monuit (Matth. 5, 39): *Ego dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram*, eandemque doctrinam S. Apostolus Corinthiis (1. Cor. 6, 7) commendat: *Quae non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Et quo majori auctoritate ac potestate in offendentes te polles, eo humilius et mansuetius agendum.

Punctum III. *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt* (Matth. 26, 56). Ecce ingratitudinem novam! Prius pro quotidiano labore docendi in templo, et tradendi coelestem, ac ad salutem summe necessariam doctrinam, recepisse se a perfidis et ingratis Judaeis eam gratiam conquestus est Christus, ut scilicet gladiis ac fustibus, velut latro, caperetur: nunc conqueri potest verbis Psalmistae

(Ps. 87, 9): *Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi.* — Disce ferre ingratitudinem pro beneficiis, contemnere favores et amicitias humanas, non confidere in ullo homine, nec ponere carnem brachium tuum (Jerem. 17, 5). Disce porro majorem exhibere gratitudinem tuis benefactoribus, constantius amare Deum et proximum in prosperis et adversis.

Meditatio CXVI.

(Feria III. post Dom. II. Quadrages.)

Christus deducitur ad Annam.

Joan. 18, 13 sq.; 19—21.

Punctum I. *Et adduxerunt eum ad Annam primum; erat enim socer Caiphae, qui erat Pontifex anni illius* (Joan. 18, 13). Hanc deductionem non negavit S. Matthaeus, sed quia potius honoris gratia, quam exercendi judicii facta est: ideo solius alterius deductionis ad Caipham Pontificem anni illius, ubi judicium et concilium instituebatur, mentionem fecit (26, 57). — Considera, quam crudelis et ignominiosa fuerit ista deductio. Funibus enim arctissime constrictus ab immitibus lictoribus bonus Jesus, tristitia et sudore sanguineo fractus, et exhaustus, in urbem crudeliter raptatus potius, quam ductus est. Interea spargebantur in illum blasphemiae, contumeliae, festivi clamores, hominum accurrentium et per fenestras prospicientium ludibria. Praecedens gloriosus, ac ramis palmarum, et publico applausu nuper exornatus ingressus in summam ignominiam vertebatur. Nam plebs innocentissimum Dominum conspectis ecclesiasticorum principum ac sacerdotum ministris, jure, ac propter grave facinus captum existimabat, ac velut impostorem, veneficum, turbatorem rei publicae habebat et proclamabat. Imitare Christi Servatoris tui arctam constrictionem, laxitatis et remissionis fuga, exacta votorum, Regularum, praeceptorum divinorum,

et disciplinae religiosae observatione. Honorem et laudem ita suscipe, ut illum ob vanitatem et hominum inconstantiam pro nihilo habeas; sinistros de te sermones et judicia aequo animo feras.

Punctum II. Considera, quam ignominiose et contumeliose Christus ab Anna fuerit exceptus, et deinde interrogatus de discipulis et doctrina (Joan. 20, 19), et quanto hi Christo dedecori fuerint, cum unus illum prodiderit, et probabiliter praesens adstiterit, laudem et praemium expectans suae infidelitatis; reliqui fuga dilapsi sint. Tu itaque Jesu Magistro tuo per religiosae vitae ac modestiae exempla honori esto. Imitare Magistri tui humilitatem in subeunda hominum censura, vel contemptu tuae doctrinae, qualem subiit is, qui est Sapientia Patris. Et si curae ac disciplinae tuae commissi exiguo in virtute vel scientiis profectu lobori tuo non respondeant, aequo fer animo.

Punctum III. Ad interrogationem de discipulis Christus nihil respondit; ad interrogationem de doctrina non seipsum jactavit, sed dixit: *Ego palam locutus sum mundo. Ego semper docui in Synagoga, quo omnes Judaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil, etc.* (Joan. 18, 20). Ita loquere, et ita vive, ut omnia verba tua, et actiones tuas audeas publice facere et evulgari non reformides. De aliis vero si non possis cum veritate honorifice loqui, saltem tace eorum defectus.

Meditatio CXVII.

(Feria IV. post Dom. II. Quadrages.)

Christus alapa percussus ad Caipham transmittitur.

Joan. 18, 22—24.

Punctum I. *Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu dicens: Sic respondis Pontifici?* (Joan. 18, 22). Hanc alapam gravem, ignominiosam, injustam, impunitam a judice, in cujus gratiam inflicta fuerat, tulit

Christus pacate, humiliter, mansuete, ita ut in Threnis (c. 3, 30) merito laudetur: *Dedit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis*, — ipse vero merito in persona Job (16. 11) conqueratur: *Aperuerunt super me ora sua, et exprobrantes percusserunt maxillam meam.* Ita, si non verbera, saltem verba acerba, ignominiosa ac injuriosa stude perferre pacate, humiliter, mansuete, praesertim si dicta aut facta tua sinistre accipiantur, vel in malam partem immerito vertantur.

Punctum II. *Si male locutus sum, testimonium perhibe de me; si autem bene, quid me caedis?* (Joan. 18, 23). Hac suavi sua purgatione Christus partim amovit a se scandalum, et suspicionem mali exempli ac irreverentiae erga Pontificem, partim satis illi fuit, objectam culpam esse falsam, nec probari posse. Itaque nos scandalum proximi caveamus; de reliquo non curemus, quidquid alii de nobis falso criminentur.

Punctum III. *Misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem* (Joan. 18, 24). Molestam et laboriosam traductionem ab uno ad alterum judicem tulit Christus patienter, et exemplum dedit nil timendi a quovis judice humano, modo coram Deo innocens sis. Sic S. Paulus (1. Cor. 4, 3) dixit: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, etc. Qui autem judicat me, Dominus est.* Ligatus etiam Caipham Pontificem accessit, ut nos peccatorum vinculis eximeret, et ne ligati supremum judicem adiremus, nisi constricti vinculis charitatis. Vae tibi, si peccatis ligatus supremum judicem accedas!

Meditatio CXVIII.

(Feria V. post Dom. II. Quadrages.)

De triplici Petri negatione.

Matth. 26, 58. 69—74; Marc. 14, 54. 66—72; Luc. 22, 55—60; Joan. 18, 25—27.

Punctum I. *Petrus autem sequebatur eum a longe usque in atrium principis sacerdotum, et ingressus intro, sedebat cum ministris* (Matth. 26, 58), cum quibus teste Luca (22, 55) circumsidebat ad ignem in atrio exteriori; deinde vero ex atrio exiens et rogatu Joannis per ancillam ostiariam in domum Pontificis intromissus, cum aliis ministris non amplius sedebat, sed stabat ad prunas, ut se calefaceret. *Stabant autem servi et ministri ejus ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se: erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se* (Joan. 18, 18). Considera ex hîc et supra dictis, quomodo Petrus paulatim ad lapsum fuerit dispositus. Imprimis amisit metum per nimiam praesumptionem, dicens: *Si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor* (Matth. 26, 33). *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (Ib. v. 35). Hinc patet, eum etiam amisisse humilitatem, seque aliis praetulisse. Deinde desiit vigilare et orare. *Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (Ib. v. 40 sq.). Praeterea, ut ex Joanne l. c. patet, *frigus erat*, scil. refrixit charitas, et calefaciens se cum impiis ministris, illorum conversatione et solatiis utebatur; prius etiam *sequebatur Jesum a longe*, ideoque occasioni et periculis se committebat. Sic contigit lapsus religiosorum hominum, nempe amissione timoris per nimiam securitatem ac praesumptionem, somnolentia, intermissione orationis, sectando exemplum Christi tantum *a longe* tepiditate, conversatione et solatiis saecularibus, occasionis et periculorum incauta accessione. Hinc ergo considera, qua ratione lapsus praecaveri possit, nempe modo proxime dictis opposito.

Punctum II. *Accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jesu Galilaeo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio, quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento* (Matth. 26, 69 sqq.). *Et post pusillum (intervallo facto quasi horae unius* — Luc. 22, 59), — *accesserunt, qui stabant, et dixerunt Petro: Vere et tu ex illis es, nam et loquela tua manifestum te facit. Tunc coepit detestari, et jurare, quia non novisset hominem* (Matth. 26, 73 sq.). *Ille autem coepit anathematizare et jurare: Quia nescio hominem istum, quem dicitis* (Marc. 14, 71). Hanc tertiam negationem, a S. Joanne quasi in duas divisam, a ceteris Evangelistis vero instar unius acceptam, ipse Joannes, (qui primam negationem, foris in exteriori atrio coram ancilla accedente factam omnino reticuit), his verbis refert (Joan. 18, 25—27): *Erat autem Simon Petrus stans et calefaciens se. Dixerunt ergo ei* (nempe servi et ministri, qui cum eo stabant ad prunas, et quos S. Matthaeus dicit ad eum accessisse, id est, propius ad ejus latus appropinquasse): *Numquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, et dixit: Non sum. Dicit ei unus* (cujus solius S. Lucas c. 22 meminit tanquam fortissime instantis), *ex servis Pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negavit Petrus: et statim gallus cantavit.* Pepercit hic, S. Joannes Spiritu sancto ducente, famae S. Petri, perjuria et execrationes ejus silentio tegens. Sed S. Matthaeus et S. Marcus pro nostra instructione omnia referunt; quorum testimonio Petrus, ut fieri solet, semper gravius lapsus est. Primo enim simpliciter negavit; deinde negavit cum juramento perjuro, denique cum juramento perjuro et execratorio. — Non ergo labi incipias, ne semper gravius cadas cum Petro et, quod Judae accidit, non resurgas. Quemadmodum autem Petrus verbis negavit Christum: sic qui peccat, vel qui a Christi doctrina et exemplo recedit, factis negat. Et huic ipse Christus comminatur (Luc. 9, 26): *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubes-*

cet, cum venerit in Majestate sua. Et (Matth. 10, 32): *Omnis ergo, qui confitetur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego coram Patre meo.*

Punctum III. Considera, quam periculosa et infausta fuerit conversatio in aula principis et cum mulieribus illi, qui Christo potius commori statuit, quam scandalizari. Ne ergo fidas tuae virtuti, praesertim quando cum mulieribus versaris, vel cum hominibus peccandi occasionem praebentibus; sed perpende, quanta sit fragilitas humana, et quam sollicite proinde omnia etiam remota et minima pericula cavere debeamus; denique quanto facilius bonus a malis pervertatur, quam mali a bono convertantur. Unde vana et otiosa cum illis conversatio prorsus vitanda est; utilis autem et necessaria caute instituenda.

Meditatio CXIX.

(Feria VI. post Dom. II. Quadrages.)

De poenitentia Petri.

Matth. 26, 75; Marc. 14, 72; Luc. 22, 61 sq.

Punctum I. *Et statim gallus iterum cantavit* (Marc. 14, 72). Gallus iste est conscientia nostra, quae commissum peccatum illico, et perpetuo nobis occinit. O quam molestus est iste monitor! Galli vicem etiam subit Angelus Custos, boni adhortatores, imo quaelibet creatura, usui nostra concessa, et exprobrans nobis ingratitudinem nostram erga Creatorem. Imitare etiam gallum, statim et saepius cantantem, ut peccantes statim et constanter ad poenitentiam excites.

Punctum II. *Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia prius, quam gallus cantet, ter me negabis* (Luc. 22, 61). Prius Dominus conversus est ad Petrum,

deinde recordatus est verbi Domini. Sic justificatio impii debet provenire a gratia Dei praeveniente; nec movet peccatorem verbum exterius auditum, nisi conversus Deus, et oculo misericordiae respiciens, moveat interius animum. *Deus tu conversus vivificabis nos* (Ps. 84, 7). Noli ergo praesumere de obtinenda venia, cum tuis viribus eam obtinere non possis, et incertus sis, an Deus te ad illam obtinendam efficaciter moturus, et oculo misericordiae sit respecturus. Certe Judam non movit externa Christi admonitio, et praecedens gravissima comminatio: *Amice, ad quid venisti?* (Matth. 26, 50). *Juda, osculo Filium hominis tradis?* (Luc. 22, 48). — *Vae homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille* (Matth. 26, 24). *Nemo ex eis periit, nisi filius perditionis* (Joan. 17, 12; cfr. Ps. 108, 5 sqq.; Act. 1, 20).

Punctum III. *Et egressus foras Petrus, flevit amare* (Luc. 22, 62). Imitanda est poenitentia Petri, quae fuit velox; nam, ut Matthaeus (26, 74) testatur: *Et continuo gallus cantavit* (S. Marcus 14, 72 inquit: *Statim*). *Et recordatus est Petrus Verbi Jesu, etc. Et egressus foras, flevit amare* (Matth. 26, 75). — Deinde fuit seria, quia periculum, et occasionem peccandi deseruit. Denique fuit amara, per serium animi dolorem exterius lacrymis conjunctum, quo vindicavit Petrus culpam, et veniam impetravit.

Meditatio CXX.

(Sabbato ante Dom. III. Quadrages.)

Christus falso accusatur apud Caipham.

Matth. 26, 59—61; Marc. 14, 55—61.

Punctum I. *Principes autem Sacerdotum, et omne concilium quaerebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent* (Matth. 26, 59 sq.). Sustineamus et nos sinistra de nobis judicia falsa, et detractiones, et

informationes etiam apud eos, qui nobis nocere possunt: solum autem timeamus illum judicem, qui vera nostra peccata omnia novit, et qui veros testes contra nos poterit producere, nempe infinitam suam sapientiam, propriam nostram conscientiam, et Angeli Custodis attestationem.

Punctum II. Considera illa verba: *Et non invenerunt, etc. — Et non erat conveniens testimonium eorum* (Marc. 14, 59). Sic vive et tu, ut nec conscientia tua, nec daemones accusatores tui, ullum inveniant peccatum, etiam veniale, et ut etiam apud homines in hoc mundo irreprehensibilis inveniaris. Quod si quandoque falsa culpa tibi imputabitur, suo tempore se prodet falsitas, non conveniens cum innocentiâ tua. *Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus* (Ps. 17, 3).

Punctum III. *Ille autem tacebat, et nihil respondit* (Marc. 14. 61). Sic non tantum jactanter et gloriose caveas loqui de te, sed neque excuses defectus tuos veros, nec purges te a falsis. Imo quotiescunque non urget necessitas loquendi, libenter taceas, praesertim silentii tempore.

Meditatio CXXI.

(Dominica III. in Quadragesima.)

Christus condemnatur apud Caipham ad mortem.

Matth. 26, 63—66.

Punctum I. *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, Filius Dei. Dicit illi Jesus: Tu dixisti* (Matth. 26, 63). Pro honore Patris sui coelestis confitetur se Filium Dei, non obstante, quod se condemnandum sciret ad mortem. *Sapientes enim,* (inquit Job c. 15, 18) *confitentur, et non abscondunt patres suos.* Idem facit, ut publice profiteatur principalem suam doctrinam apud supremum Sacerdotem, qui eam debuisset in subditos propagare; ejusque veritatem, morte idcirco sibi illatâ, confirmat in bonum et salutem omnium etiam inimicorum

suorum praesentium. Per hoc suum responsum exhibet etiam obedientiam, reverentiam, sincerum candorem erga Pontificem. Confiteamur et nos filios Dei adoptivos nos esse, diligendo inimicos, et divinis mandatis perfecte obediendo, operaque Patris nostri faciendi: quae omnia indicia Christus ipse insinuavit variis in locis: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri* (Matth. 5, 44). *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi, sic facio* (Joan. 14, 31). *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite* (Joan. 10, 37). Sic ergo filios Dei nos esse contestemur. Deinde pro gloria Dei et proximi salute, non reformidemus loqui, quod necesse est, etiam cum nostro temporali incommodo aut damno; praesertim candidi simus erga Superiores. Est enim: *Tempus tacendi, et tempus loquendi* (Eccle. 3, 7).

Punctum II. *Verumtamen dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli* (Matth. 26, 64). Quasi diceret: Nunc quidem sto coram vobis, ut reus et captivus, non potens se juvare — (Patris mandatum exequens); sed ne decipiat vos meus status; brevi enim sedebo ut judex, veniens cum majestate in nubibus. His itaque conatns est verae suae confessionis fidem facere, et comminatione judicii incredulos ad eam compellere, studens saluti aeternae eorum, qui cupiebant illum morti tradere. Sic diligendus est proximus, ut summa beneficia pro maximo malo et odio rependas. Ad hoc igitur, atque ad perferenda quaelibet adversa praesentia excitemus nos memoriâ brevi secuturae mutationis in futuram beatitudinem.

Punctum III. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis* (Matth. l. c. v. 65 sq.). Ad haec iterum tacet, non rationibus se tuetur, non miraculis se defendit, sed patienter sustinet iniquum judicii modum, falsum crimen, injustam

sententiam mortis. Haec patitur, et tali mansuetudine ac humilitate patitur propter nostra peccata; ipse adeo auctor vitae, ut nos vitam habeamus, et abundantius habeamus, sinit se proclamari reum mortis. Protoparentes nostri in paradiso, serpentis voce decepti: *Nequaquam morte moriemini. Eritis sicut dii* (Gen. 3, 4 sq.) — et anima et corpore mortui sunt et nos omnes in ipsis: ideo Redemptor noster Christus, ut ipsos et nos vivificaret, pro eis et pro nobis ad mortem condemnatur, et a Judaeis ad mortem postulatur, — *Quia Filium Dei se fecit* (Joan. 19, 7). Nunquam obliviscaris sponsionis hujus Redemptoris tui (Eccli. 29, 20). — Cur non etiam pro hac vita tua, quae Filio Dei mortem attulit, te mortis reum humiliter profiteris, et veluti reum aeternae mortis quotidie te ipsum morte afficis in omnibus? — ut coram Deo affirmare possis: *Propter te mortificamur tota die* (Ps. 43, 22).

Meditatio CXXII.

(Feria II. post Dom. III. Quadrages.)

Christus illusus in domo Caiphae. (I.)

Matth. 26, 67 sq.; Marc. 14, 65; Luc. 22, 63—65.

Punctum I. *Exspuerunt in faciem ejus* (Matth. 26, 67). Impletum est vaticinium Isaiae (50, 6): *Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.* Gravitas hujus injuriae et ignominiae ponderanda est ex dignitate infinita personae consputae; ex vilitate summa conspuentium lixarum et scurrarum, quaerentium placere Pontifici, ac concilio praesenti; ex foetore sputorum; ex ingratitudine erga sanantem sputo linguae suae coecos, mutos et surdos (Joan. 9, 6; Marc. 7, 33). Ideo Christus hanc summam injuriam discipulis suis praedicere ad eamque illos speciali modo attentos esse voluit: *Illudent ei et conspuent eum* (Marc. 10, 34). *Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur et conspuetur* (Luc.

18, 32). — Simili modo laeditur Deus per peccata linguae procedentia ex ore, veluti excrementa non stomachi, sed cordis (Matth. 15, 11. 18 sqq.), ut sunt: blasphemiae, turpiloquia, perjuria, etc., saecularium hominum, detractiones, murmurationes, susurrationes, adulationes et verba jactantia, mendacia, contentiosa, otiosa, etc., etiam hominum Religiosorum. Ad expiandam hanc sacrilegam conspuentiam impudentiam Jesus conspui se passus est summa humilitate, patientia, verecundia, etc.

Punctum II. *Et velaverunt eum* (Luc. 22, 64). *Et coeperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus* (Marc. 14, 65), ut eo liberius illudere non vererentur. Sic illudunt ei, qui peccatis internis cordis, vel occultis, Deum offendunt, quasi Deus ea non videret, qui est scrutator cordium et renum (Ps. 7, 10). Hac ignominia Christus hujusmodi peccata expiavit, quem precemur, ut oculis misericordiae nos velut Petrum respiciat, atque adeo a peccatis nostris nos convertat; et ut oculos nobis aperiat, quo videamus malitiam peccati, honestatem virtutis, vanitatem rerum temporalium, et praestantiam gaudiorum coelestium.

Punctum III. *Colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit?* (Matth. 26, 67 sq.), et impletum est vaticinium Isaiae (50, 6): *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.* Hoc ludibrio dolorifero expiantur peccata operum externorum, quae per manus denotari solent. Ejus gravitatem praedixit Jeremias (Thren. 3, 30): *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Petamus horum peccatorum veniam, ut manu sua nos erigat, ne alias vindex ac fulminatrix Domini manus nos tangat. Imitemur etiam exemplum Christi mansuetissimi nos docentis (Matth. 5, 39): *Dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram;* — et per Apostolum suum monentis (2. Cor. 11, 20): *Sustinetis si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos caedit.*

Meditatio CXXIII.

(Feria III. post Dom. III. Quadrages.)

Christus illusus in domo Caiphae. (2.)

(Continuatio.)

Matth. 26, 68 sq.

Punctum I. *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus* (Is. 50, 6). Ex his verbis colligitur alia illusionis species, cujus quidem Evangelistae explicitam mentionem non faciunt, — nempe pilorum ex barba evulsio, quae cum omni viro sit valde ignominiosa, maxime erat ignominiosa Christo, utpote vero Deo, omnes capillos capitis nostri numeratos habenti (Matth. 5, 30), et proinde in rebus etiam minimis nostri providentissimam curam gerenti, vero etiam Nazaraeo, cujus omnes quoque capilli Deo consecrati sunt juxta Num. (6, 5. 18), ubi praecepit Deus: *Radetur Nazaraeus ante ostium tabernaculi foederis caesarie consecrationis suae: tollet quoque capillos ejus, et ponet super ignem, qui est superpositus sacrificiis pacificorum.* Christus igitur omnes sibi evulsos pilos posuit super ignem charitatis, affectus perfectissimi, qui ipsum etiam tanquam sacrificium pacificum absumpsit, *in oblationem suavissimi odoris Domino* (Lev. 3, 5). Conemur igitur et nos esse *Christi bonus odor*, (2. Cor. 2, 15), perfectum et immaculatum sacrificium Domino, omnia mandata ejus exequendo, ut Christus animae nostrae sponsae suae, dicere possit: *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, in uno crine colli tui* (Cant. 4, 9), i. e. plenâ animi et corporis tui subjectione sub Dei voluntate seu normis constitutis ac ordinationibus, et cum affectu amoris purissimi.

Punctum II. *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* (Matth. 26, 68). Ille, qui aperit ora Prophetarum, de quo ipsi Judaei quondam fatebantur: *Quia Propheta magnus surrexit in nobis* (Luc. 7, 16), qui

habebat omnium rerum propheticam notitiam: jam veluti ignarus et inscius ludicre jubetur prophetizare, et percussionis crimen ejus authori indicare. Nos non per ludibrium, sed per seriam poenitentiam dicamus cum Job (13, 22): *Voca me, et respondebo tibi; aut certe loquar, et tu responde mihi: Quantas habeo iniquitates et peccata; scelera et delicta mea ostende mihi*, — scilicet ut me humiliem et doleam. Expende etiam, si Christus suos percussores nominare voluisset, te fore unum ex illis crudelissimis et iniquissimis. Nominabit autem in extremo judicio, in quo patebit, nullo velamine potuisse Deo occultari ullum peccatum.

Punctum III. Considera, per totam illam noctem impletum esse illud (Luc. 2, 34): *Positus est in signum, cui contradicetur;* et illud (Job 30, 17): *Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt, non dormiunt.* Ubi exemplo suo nos docuit Christus, ut a quocunque, et qualemcunque, et tempore quantocunque patienter ignominiam et contemptum sustineremus, velut opprobrium hominum, et abjectio plebis (Ps. 21, 7). Nos autem condolebimus Christo cum B. ejus Matre, quae tum ex libris Prophetarum, tum ex ipsius Filii sui praedictione, tum forsan ex relatione aliorum optime noverat, quae Christo ultima nocte evenissent, ac eventura essent, — qui traditus fuit *gentibus ad illudendum* (Matth. 20, 19). Condolebimus etiam S. Matri, summo animi dolore, resignatione voluntatis, etc. Simeonis vaticinium implenti, cum compassionis gladius a peccatis nostris illi infixus animam ejus pertransiit. Tunc autem vere condolebimus, quando vel de causa data dolebimus, vel datam per emendationem tollemus.

Meditatio CXXIV.

(Feria IV. post Dom. III. Quadrages.)

De matutino concilio Judaeorum, et Christi traductione ad Pilatum.

Matth. 27, 1 sq.; Marc. 15, 1; Luc. 22, 66—71; 23, 1.

Punctum I. *Ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, et principes sacerdotum, et scribae, et duxerunt illum in concilium suum* (Luc. 22, 66). *Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent* (Matth. 27, 1). Haec est dies, quam fecit Dominus, et ex immenso amore erga genus humanum ab aeterno decrevit; quam Servator noster per totum tempus vitae, praesertim ultima nocte, quam insomnem inter ludibria traduxit, tanto desiderio pro nobis patiendi expectavit; quam impii consiliarii mortis illuxisse gavisi sunt; quâ chirographum peccati deletum, et suffixum est cruci (Coloss. 2, 14); qua nox peccati et tenebrae mentis discussae sunt; quâ dies nativitatis et conceptionis nostrae in peccato emendata est redemptione humani generis a peccato: ut proinde merito cum Job (3, 3) quisque dicat: *Pereat dies, in quâ natus sum.* Pro qua proinde die omnes dies vitae nostrae impendamus in obsequium gratitudinis, et mane facto in meditatione ineamus consilium, ut et nos morti pro Christo tradamus, dicentes cum S. Thoma: *Eamus et nos, ut moriamur cum eo* (Joan. 11, 16).

Punctum II. *Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis; si autem interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Et ait: Vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore ejus* (Luc. 22, 66—71). Ex his verbis patet, totum consilium ex principibus sacerdotum, doctori-

bus legis, et sapientioribus populi congregatum unice desiderasse mortem Christi; at vero Christum unice quaesivisse illorum salutem, palam profitendo se Filium Dei, et terrendo incredulitatem illorum comminatione extremi judicii. Licet autem videret Christus, se nihil effecturum sive pro salute ipsorum, sive pro liberatione sua, voluit tamen facere, quod sui erat officii. Quo discimus et nos inimicis nostris bene velle et facere, etiamsi eos nobis conciliare non possimus. Deinde si optatum fructum ex functionibus nostris non reportemus, neque proprium commodum, vel lucrum et emolumentum temporaneum sperare possimus, tamen officio nostro non deesse docemur.

Punctum III. *Exsurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum* (Luc. 23, 1). *Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato praesidi* (Matth. 27, 2). O quam fuit haec deductio (totius concilii auctoritate et comitatu apud plebem approbata), Christi innocentiae noxia et ignominiosa apud confertum populum, qui tunc in urbe degebat, et spectabat et jam male de Christo sentire incipiebat! Quam fuit iniqua et fatalis traditio in manus impii, ethnici ac injusti judicis! Hanc traditionem autem Christus sustinuit, ut ipse aliquando futurus noster judex clementem se nobis judicem praestaret. Quam bonum est, huic judici se totum tradere, ab ipso in hac vita veniam exorare, et se illi quotidie in duplici examine conscientiae, a nobis institui solito, cum vero dolore et emendationis proposito sistere! Ad hunc si peccatis vincti, attamen vere contriti accedamus, per infinitam ejus clementiam et misericordiam liberi recedemus.

Meditatio CXXV.

(Feria V. post Dom. III. Quadrages.)

Judae desperatio.

Matth. 27, 3—7.

Punctum I. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta*

argenteos principibus sacerdotum et senioribus dicens: Peccavi tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos, tu videris. Et projectis argenteis in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit (Matth. 27, 3—5). Considera miserum statum hominis peccatoris. Mox enim a commisso peccato agnoscitur gravitas peccati, et apparent damna inde exorta, quae prius non considerabantur; subit remorsus conscientiae, et tristis dolor, qui tamen illum a peccato non liberat, nisi sit talis poenitentia, qualem esse oportet; quam tamen sine speciali Dei gratia elicere non potest, ut patet in Angelis damnatis, Juda, etc. Praeterea ea ipsa creatura, propter quam peccavit, vel omnino non, vel non cum vera voluptate et gaudio fruitur. Sic Judas peccando et Dei gratiam perdidit, et triginta argenteis non est ipsi datum frui, quando omnes in templum abjecit. Ita et nos ab ipsis, in quorum gratiam peccamus, nec solatium, nec auxilium, nec consilium, nec commiserationem, vel quidquam aliud aestimatione dignum recipimus, sed ab iisdem audimus: *Quid ad nos? Tu videris.* — Considera etiam, quo devenerit, qui fuit Apostolus Christi, et salutem tuam *cum metu et tremore* operare! (Philipp. 2, 12).

Punctum II. *Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet eas mittere in carbonam, quia pretium sanguinis est* (Matth. 27, 6). Sic videmus multos, levia vel externa curantes, gravia autem vel interna, quale erat odium erga Christum, negligentes. *Excolantes culicem, camelum autem glutientes* (Matth. 23, 24). *Similes sepulcris dealbatis, quae aforis parent hominibus speciosa, intus autem sunt plena ossibus mortuorum* (Ib. v. 27). Similiter etiam non raro mos est diaboli, ut quos uno gravi peccato inquinavit, ad alia non sollicitet, peccati tamen metum illis relinquat, ut sibi de amore virtutis suspecti, non sentiant periculum et statum peccati, in quo versantur.

Punctum III. *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum* (Matth. 27, 7). Anima tua pretium sanguinis est. Cave ergo, ne pretium hoc male locetur, quando etiam vilissimum illud pretium, propter quod Christus a Juda traditus est, tam

bene fuit collocatum. Et si noluit Christus, illud perire, quo minus prodesset corporibus peregrinorum: non sine perire Sanguinem Christi, qui est valoris infiniti, quo minus prosit animae tuae, tanquam exulis et peregrini super terram, et animae proximi tui, cui Sanguis Christi non tam in sepulturam, quam in resurrectionem ad vitam aeternam est applicandus.

Meditatio CXXVI.

(Feria VI. post Dom. III. Quadrages.)

Christus accusatur apud Pilatum.

Matth. 27, 11—14; Marc. 15, 2—5; Luc. 23, 1—4; Joan. 18, 29—38.

Punctum I. *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum* (Joan. 18, 29 sq.). Christus dicitur malefactor, qui totam Judaeam et Galilaeam pertransiit *benefaciendo et sanando omnes* (Act. 10, 38); qui publicum testimonium populi habuit (Marc. 7, 37): *Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui;* de quo, cum etiam a falsis testibus accusaretur apud Caipham, non erant convenientia testimonia eorum; qui solus securus de sua integritate dicere potuit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (Joan. 8, 46). Malefactoris autem nomen nobis competit, qui mala quotidie facimus plurima, et bona male facimus, vel ob defectum debitae intentionis, vel attentionis, vel praeparationis, vel diligentiae, etc. Unde nec ipsi bene loquamur de nobis, nec alios de nobis bene loqui optemus; sed ipsi de nobis male sentiamus, et ut alii ita sentiant, ac loquantur, libenter feramus. Non tamen vicissim de aliis male loquendum est, ne quidem in genere tantum, nec ullus defectus determinatus eorum manifestandus.

Punctum II. *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Caesari, et dicen-*

tem, se Christum regem esse (Luc. 23, 2). *Et accusabant eum summi sacerdotes in multis* (Marc. 15, 3). *Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quantum adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur praeses vehementer* (Matth. 27, 12—14). O silentium merito mirandum! Non enim movetur ad loquendum a gravitate objectorum criminum, a falsitate et facilitate confundendi suos accusatores, a potestate judicis ejusque comminatione. dicentis: *Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo, dimittere te?* (Joan. 19, 10). Non etiam movetur a benevolentia ejusdem judicis; nam *quaerebat Pilatus dimittere eum* (Joan. l. c. 12). Stat igitur Christus quietus et firmus inter omnes accusationum turbines. *Circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me. Salva me ex ore leonis: et a cornibus unicornium humilitatem meam* (Ps. 21, 17. 21). Primus Adam peccatum suum excusavit: secundus Adam, nullum peccatum habens, ad falsas accusationes, *tacet.* — O quam patienter ferendi sinistri de nobis sermones, sive veri, sive falsi! Quam non facile captanda est occasio, bene de nobis loquendi, vel mala purgandi! *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis* (Ps. 38, 1—3).

Punctum III. *Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei: Tu es Rex Judaeorum? Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judaeis; nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex sum ego* (Joan. 18, 33. 34—37). Hoc itaque sentiamus in nobis, quod in Christo Jesu (Philipp. 2, 5). Regnum nostrum non est de hoc mundo; ideo nullas hic quaeramus voluptates: *Non est enim regnum Dei esca et potus* (Rom. 14, 17). *Hoc autem dico fratres: quia caro*

et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit (1. Cor. 15, 50). Nullos quaeramus honores, nulla obsequia hominum, nullas comoditates, nullas prosperitates, sed veluti coelesti regno nos destinatos haeredes geramus; hîc reges nostri ipsorum simus, et affectibus animi imperemus. *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* (Prov. 16, 32). — Agnosce etiam et adora Regem tuum, qui est *Rex regum, et Dominus dominantium* (Apoc. 19, 16), et attestare: *Vivit Dominus, et vivit Dominus meus rex: Quoniam in quocunque loco fueris Domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus* (2. Reg. 15, 21).

Meditatio CXXVII.

(Sabbato ante Dom. IV Quadrages.)

Christus mittitur ad Herodem et illuditur.

Luc. 23, 5—12.

Punctum I. *Commovet populum docens per universam Judaeam, incipiens a Galilaea usque huc. Pilatus autem audiens Galilaeam, interrogavit: Si homo Galilaeus esset. Et ut cognovit, quia de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Hierosolymis erat illis diebus* (Luc. 23, 5—7). Quando Christi tam sedula et tam laboriosa praedicatio, commotio ad seditionem populi dicitur et accusatur: noli amplius, ut de functionibus tuis alii laudabiliter sentiant et loquantur, sed patere libenter sinistros sermones et sensus hominum. Pilatum autem, quae justae sententiae ferendae difficultatem et invidiam volebat a se in Herodem derivare, noli imitari, difficultates et molestias rerum gerendarum a te in alios amoliendo.

Punctum II. *Herodes autem viso Jesu gavisus est valde; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum ali-*

quod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil ei respondebat (Luc. 23, 8 sq.). Ita nimirum, si favores coelestes a Deo ex fine vano petimus, merito non audimur, et non respondetur nobis. Illud quoque curandum nobis, ne quid faciamus vel dicamus ad ostentationem vel ad mirationem hominum captandam.

Punctum III. *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo; et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus ipsa die; nam ante inimici erant ad invicem* (Luc. 23, 11 sq.). Sic cohibe linguam tuam, praesertim coram magnatibus et saecularibus hominibus, ut potius optes, infacundus, indoctus, simplex, imprudens, etc., haberi, quam inconvenienter loqui. Beatum etiam te reputa, si indutus veste alba, quae innocentiam et candorem conscientiae denotat, ab aliis spernaris. *Beati* enim, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam. — Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos mentientes, propter me: gaudete, et exultate* (Matth. 5, 10 sqq.). Induaris ita insignibus Christi et virtutem exerces christianam atque apostolicam. *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. 5, 41). — Virtus haec, ut maximi est splendoris et pretii, ita etiam maximum habet praemium. *Merces vestra copiosa est in coelis* (Matth. 5, 11). — Conciliatio animorum Pilati et Herodis, fructus Christi praesentiae, et effectus obsequiosae transmissionis Christi ad Herodem fuit. Similem fructum ex S. Communione et effectum ex obsequiis in eos, qui tibi adversantur, collatis, capere stude.

Meditatio CXXVIII.

(Dominica IV. in Quadragesima.)

Christus comparatur et postponitur Barabbae.

Matth. 27, 20—23; Marc. 15, 6—15; Luc. 23, 17—23; Joan. 18, 39 sq.; Act. 3, 13 sq.

Punctum I. *Obtulistis mihi hominem, quasi avertentem populum, et ecce, ego coram vobis interrogans nullam causam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam* (i. e. flagellis castigatum). *Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum. Exclamavit autem simul universa turba, dicens: Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam, qui erat propter seditionem quandam factam in civitate, et homicidium missus in carcerem* (Luc. 23, 17—19). Ecce Pilati studium liberandi Christum fuit ipsa causa, cur ignominiose ad Herodem missus, ibidemque illusus; postea vero iniquissime cum homine sceleratissimo comparatus, eidemque postpositus, ac denique crudelissime flagellatus fuerit. Tam severe Christus luit nostrum inane studium captandi favores humanos, atque ita fieri solet, ut favores humani etiam nobis plus obsint, quam prosint. Disce etiam ex Christo innocente declarato, et tamen ad flagella condemnato, pati sine tua culpa, sive adversa ab homine, sive a Deo inferantur.

Punctum II. Considera, quam ignominiosum Christo, quam contrarium gratitudini debitae, quam iniquum fuerit, comparari Barabbae, eidemque etiam postponi. Auctor vitae temporalis et aeternae, auctor pacis cum Deo et hominibus, fons omnis sanctitatis, Filius Dei naturalis, — comparatus est homicidae, seditioso, scelerato, filio diaboli, et ei postpositus ab his, qui maxima beneficia spiritualia et corporalia, eademque innumera ab illo acceperant, malevolentia adversariorum tamen corrupti, et per invidiam in tantam

ingratitudinem inducti sunt: nam *Principes sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent* (Matth. 27, 20); — quem judex tam innocentem declaraverat, quem tam gravi ignominia affectum constabat, quem adhuc gravissima flagellatio manebat, sine ulla sua admissa culpa: perfert tamen omnia propter peccata nostra et pro nobis, qui peccatis nostris raptores fuimus divinae gloriae, et Deum postposuimus infimis animae nostrae passionibus. — Nunquam ergo amplius ulli hominum velis praeferri; gaudeas etiam per infensos tibi, et per sinistram informationem, ac persuasionem non sinceram illis postponi, qui te multo sunt indigniores, ac quoad omnia inferiores; etiamsi praecedentia tua merita, obsequia, beneficia, labores, et egregie praestita opera oblivioni tradantur. — Nulla vero ratione divinae gloriae commodum tuum vel desiderium anteponas, et nullo peccato deliberato hanc Dei gloriam rapias!

Punctum III. *Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur* (Matth. 27, 22 sq.). *At illi succlamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum* (Luc. 23, 21). *Ait praeses: Quid enim mali fecit? nullam causam mortis invenio in eo; corripiam ergo eum, et dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes, ut crucifigeretur* (Luc. 23, 22 sq.). Ne imitemur Judaeos, ut, quemadmodum ipsi Barabbam petierunt dimitti, dignum cruce, et Christum crucifigi: sic nosmetipsos dimittamus, ac Christo pro nobis crucifigendo praeferamus. Crucifigamus ergo nometipsos et veterem hominem cum vitiis et concupiscentiis ejus (Gal. 5, 24). Ad hoc adhortantur nos Judaei, omnium creaturarum, Conditoris sui honorem vindicantium, et omnium peccatorum nostrorum nomine, magnis omnes vocibus instantes: *Crucifige, crucifige*, i. e. constanter, sive iterum atque iterum crucifige!

Meditatio CXXIX.

(Feria II. post Dom. IV. Quadrages.)

Christus flagellatur.

Matth. 27, 26; Marc. 15, 15; Joan. 19, 1.

Punctum I. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit* (Joan. 19, 1): — nempe postquam Barabbam latronem Judaeis dimiserat, petentibus, ut Jesus crucifigeretur, et postquam illis responderat, Christumque innocentem pronuntiaverat (Luc. 23, 22): *Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit ille? Nullam causam mortis invenio in eo; corripiam ergo illum* (scil. flagellis) *et dimittam.* Ecce ab injuriosa transmissione Christi ad Herodem, transierat Pilatus ad ignominiosissimam comparationem cum latrone et ad optionem populo factam, alterutrum eligendi; ab hac ad executionem injustae electionis; inde ad atrocissimam flagellationem innocentis, quem ipse cognovit et declaravit innocentem; ad id unum videlicet intentus, ut ne occideret, et crucifigeret Christum, quamvis deinde usque hoc intermiserit. Pilatum imitantur, qui ab uno peccato in aliud prolabi non verentur, modo non peccato mortali Deum quasi occidant, rursum sibi crucifigentes Christum: verum hi neque mortale peccatum tandem effugiunt. — Imitantur etiam, qui animi quasi dimidiati et fluctuantis sunt, et tentationibus irruentibus non serio resistunt: ruinam haud evitabunt. Non ludendum in negotio aeternitatis! *Qui amat periculum, in illo peribit* (Sir. 3, 27).

Punctum II. Considera, quomodo Christus non excipiat contra sententiam injustam; non appellet ad Caesarem, sicut S. Paulus (Act. 25, 11); non praetendat privilegium, sicut idem S. Paulus (Act. 22, 25): *Cum adstrinxissent eum loris, dicit adstanti centurioni Paulus: Si hominem Romanum, et indemnatum licet vobis flagellare?* Magis autem privilegium hominis coelestis, divini, ex Deo geniti, Christus praetendere potuisset. Ille

autem dicit: *Quoniam in flagella paratus sum* (Ps. 37, 18). Unde se sinit vestibus spoliari et nudari, ut amissa veste nuptiali divinae gratiae, et stola gloriae nos induat. Sinit se alligari, ut peccatorum vinculis nos exolvat, et vinculis charitatis sibi adstringat. Ne ergo frustremur Christum tam caro empto fine. Et simus vicissim parati in flagella, paterna Dei manu infligenda; id solum deprecemur: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* (Ps. 6, 2). Per furorem intelligit S. Gregorius (in Ps. 1 Poenitent.) poenas inferni, per iram poenas purgatorii.

Punctum III. Considera, flagellationem Christo simul fuisse ignominiosissimam, si expendatur: Quis fuerit flagellatur, a quibus, quo jubente, quo instigante, quam ob causam, et quo modo; et simul acerbissimam summeque doloriferam, tum ob sensum tactus in Christo perfectissimum, tum quia facta est ab immanissimis hominibus, propria crudelitate, jussu Pilati, instigatione Judaeorum incitatis; unde inflicta sunt illi verbera innumera et validissima, per omnes partes corporis, maxime in quibus sensus doloris erat acutissimus, adhibitis instrumentis crudelissimis, ut teste Isaia *a planta pedis usque ad verticem non esset in eo sanitas* (1, 6). *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: et livore ejus sanati sumus* (53, 5). Ita peccatis nostris, praesertim carnis, dilaniatus et consumptus est Redemptor noster. Castigemus et nos corpus nostrum, et in servitutem redigamus; nec molliter aut delicate illud tractemus, vel ab aliis tractari velimus, nullamque ignominiam vel corporis afflictionem undecunque vel quacunque ex causa provenientem fugiamus. — Offeramus etiam Patri coelesti pretiosissimum Filii sui Sanguinem, Agni immaculati, ut eo a peccatis nostris abluti et sanctificati, mundo corde Deo serviamus. Virtute hujus pretiosissimi Sanguinis omnes possumus superare difficultates. *Vicerunt eum propter sanguinem agni* (Apoc. 12, 11). *In Deo meo transgrediar murum* (Ps. 17, 30).

Meditatio CXXX.

(Feria III. post Dom. IV. Quadrages.)

Christus spinis coronatur.

Matth. 27, 27—31; Marc. 15, 16—20; Joan. 19, 2 sq.

Punctum I. *Tunc*[1]) *milites praesidis suscipientes Jesum in praetorium, congregaverunt ad eum universam cohortem, et exeuntes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus; et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave rex Judaeorum, et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum, ut crucifigerent* (Matth. 27, 27—31). Considera, quam Christo fuerit ignominiosa haec illusio. Is enim, cui illuditur, non tantum est humanae, sed divinae majestatis, qui non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo (Phil. 2, 6): est Rex regum, et Dominus dominantium (Apoc. 19, 6); data est illi omnis potestas in coelo et in terra (Matth. 28, 18); dedit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in aeternum, et regni ejus non erit finis (Luc. 1, 32 sq.): illuditur autem ei a vilissimis hominibus ex mera petulantia, coram copiosa multitudine hominum, ac si esset homo vilissimus, ad cujus contemptum neque opus est imperio vel facultate judicis. Et illuditur ei modo

[1]) Haec vox non referenda est ad totam propositionem istam, proxime praecedentis versus: *Dimisit illis Barabbam. Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur,* — sed ad *flagellatum;* quia sequentia contigerunt ante condemnationem et traditionem ad mortem, statim post flagellationem, ut constat ex Joan. 19, 5; unde sensus est: *Tunc,* — scilicet tempore intermedio inter flagellationem et traditionem; in quod tempus intermedium etiam referenda sunt verba S. Marci (15, 16), ubi similiter illusionem refert post condemnationem, quamvis ante illam contigerit.

ignominiosissimo, denudatione corporis verecundi, ludicra purpurâ, corona et sceptro et genuflexione irrisoria, salutatione et acclamatione ficta ac simulatâ, sputis turpissimis, percussione capitis frequentissima. Ita tractatur Rex coeli, ut nos peccatores gravissimos ac homunciones vilissimos faciat consortes regni sui. Quis ergo pro eodem regno non libenter hic patiatur ludibria, contemptum, confusionem, irrisionem? Quis cupiat sibi deferri ullum honorem aut eminentiam super alios? Imo quis non omnem honorem et eminentiam sibi delatam hujus mundi, considerata illius vanitate et brevitate, simulque perpensa propria indignitate ac vilitate, pro ludicra honoratione habeat, et ut talem contemnat? Quis non propter suam superbiam se humiliet et doleat, quod Filius Dei, Rex supremus, illam tam graviter luat?

Punctum II. Considera, quam Christo etiam fuerit dolorifera ista illusio: per detractionem enim vestium renovatus est dolor vulnerum, vesti ejus per concretum sanguinem agglutinatorum. Corona spinea capiti undique est impressa, et arundinis, sive cannae frequenti illisione, et capitis percussione per dolorem gravissimum profunde infixa, ut etiam finita illusione multae spinae carni et granio inhaeserint, et dolorem continuum intulerint non habenti in Cruce, quo caput pro levamine reclinaret. Hîc Filius Dei ad Patrem suum animum convertens et elevans dixit: *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea, dum configitur spinâ* (Ps. 31, 4). Hunc dolorem acutissimum Servator sustinuit ad evellendos aculeos, conscientiae nostrae per peccata infixos, et ne cum iis, qui (Sap. 2, 8) dixerunt: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant,* — corporis voluptates sectemur, nobis rosas, Christo spinas dantes. *Pudeat,* inquit S. Bernardus (in fest. OO. Sanct. serm. 5) *sub spinato capite membrum fieri delicatum.* Cave, ne rursum Christi Majestati divinae illudas, per irreverentiam et neglectum mandatorum Dei, ac Superiorum, Christi locum tenentium.

Punctum III. In tanta ignominia et in tanto dolore considera Christi charitatem erga te, praefiguratam in libro Genesis (22, 13): *Levavit Abraham oculos suos viditque*

post tergum arietem inter vepres haerentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Sic Christus se etiam pro nobis oblaturus in holocaustum, inter vepres haesit, amore nostri in spinis flagrans, velut agnus immaculatus, et ipse *sicut lilium inter spinas* (Cant. 2, 2). Tunc iterum *apparuit Dominus in flamma ignis in medio rubi* (Exod. 3, 2). — Considera etiam ejus mansuetudinem; non enim illusoribus suis dixit Christus: *Si vere me regem vobis constituistis, venite, et sub umbra mea requiescite; si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret, etc.* (Judic. 9, 15). Imitare amorem Christi, ut in spinis tribulationum Deum ardentius diligas; imitare mansuetudinem, ne contra irrisores, vel illusores ira exordescas, vel iracunda verba effundas, velut ignem de rhamno.

Meditatio CXXXI.

(Feria IV. post Dom. IV. Quadrages.)

Christus a Pilato ad populum educitur.

Joan. 19, 4—6; 14.

Punctum I. *Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. (Exivit ergo Jesus, portans coronam spineam, et purpureum vestimentum.) Et dicit eis: Ecce homo* (Joan. 19, 4 sq.), quasi diceret: Ecce hic homo est, sed non amplius habet speciem et imaginem hominis. Ille nimirum, — *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (Philipp. 2, 6 sq.). Ille *speciosus forma prae filiis hominum* (Ps. 44, 3) jam de seipso fateri cogitur: *Ego sum vermis, et non homo; opprobrium hominum, et abjectio plebis* (Ps. 21, 7). Alii quoque, qui ipsum viderunt, ita de ipso testantur, ut Isaias propheta (53, 2—5): *Non*

est species ei, neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum (quasi absentem et distantem a seipso) *despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus, et despectus; unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum, quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.* Sic eum continua meditatione tibi ob oculos pone. Hoc sit tuum speculum, et prototypon: *Inspice et fac secundum exemplar* (Exod. 25, 40). Neque aliter videri velis ab hominibus, quam despectus, etc. Porro si eum pari condolendi et imitandi studio constanter aspexeris, ac meditatus fueris, facile per eum quidvis a coelesti Patre impetrare poteris, dicens: *Protector noster aspice Deus et respice in faciem Christi tui* (Ps. 83, 10). — Nec tamen solum haec Pilati verba revolve mente tua: *Ecce homo*, sed etiam: *Ecce Deus.* Si autem divina majestas ludicra corona e spinis composita, et purpureo vestimento, publico contemptui ac ludibriis aliorum prostituta est: tu adhuc super alios extolli, et ab omnibus honorari desiderabis? Tu etiamnum illud Canticorum (2, 8) tibi accines: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant?*

Punctum II. *Cum ergo vidissent eum Pontifices et ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum* (Joan. 19, 6). Longe istis immitior, et ad compatiendum durior es, si, cum diu videris et meditatus fueris, quae Christus propter peccata tua passus est, tamen in iisdem pergens, reipsa dicas: Crucifigam, crucifigam. Disce potius a Christo, nunquam, licet plurimos labores et adversa perpessus fueris, ut alii tuis malis indoleant, requirere, aut commiserationem illorum narratione procurare, aut remissionem, dum vires suppetunt, quaerere.

Punctum III. Et dicit Judaeis: *Ecce Rex vester!* (Joan. 19, 14). — Nisi tu cum rebellibus Judaeis reclamare velis: *Non habemus regem, nisi caesarem* (v. 15); nisi, inquam, subjectioni regis mansuetissimi et optimi, sub-

jectionem alterius domini, scilicet mundi, carnis peccati, propriae concupiscentiae, diaboli, etc. praeferre velis. Cogita. servum non esse majorem domino suo (Matth. 10, 24). Si ergo rex tuus tantas ignominias, tantos dolores pro te sustinuit: aequum est, ut similia pro rege et domino tuo patiaris; non vero, ut honores, delicias, et hominum obsequia secteris. Itaque Pilati verbis: *Ecce rex vester,* te ipsum admone, ad regis tui exemplum semper et ubique tibi proponendum et respiciendum; cum quo si in coelo regnare vis, spineam coronam in hoc mundo ne abhorreas. — Certa et dimica coram oculis regis tui, — *labora sicut bonus miles Christi Jesu* (2. Tim. 2, 3): coronaberis, si legitime certaveris.

Meditatio CXXXII.

(Feria V. post Dom. IV. Quadrages.)

Christus injuste condemnatur.

Matth. 27, 24—26; Luc. 23, 24 sq.; Joan. 19, 16.

Punctum I. *Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus; vos videritis* (Matth. 27, 24). Quamvis Pilatus sanguinem justi hujus, quem sciebat esse justum sibique per invidiam Judaeorum traditum (v. 18), in dirissima flagellatione, uti et in permissa spinea coronatione injuste fuderit; quamvis eundem iniquissime ad mortem turpissimam crucis condemnaverit, innocentem se nihilominus credit, et dicere audet *a sanguine justi hujus,* solum quia invitus fudit. Sic sunt laxae hominum conscientiae, innocentiam sibi falso imaginantes, et tamen gravissime Deum offendentes. Noli ergo imitari Pilatum; noli etiam cum illo dicere: *Innocens ego sum a sanguine justi hujus.* Sed et tu videris, annon tuis peccatis causa fueris omnium, quae Christus in corpore, anima et honore perpessus est. Itaque si quid simile pati contigerit, cogita te non solum

peccatorum tuorum, sed ipsius etiam passionis Christi, cujus tu causa eras, velle poenas dare. Dic cum fratribus justi Joseph (Gen. 42, 21 sq.): *Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animae illius, dum deprecaretur nos* — (quando in monte Oliveti peccatis nostris praevisis, et in calice porrectis, deprecatus est, ut transiret calix iste), *et non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio. — Numquid dixi vobis: Nolite peccare in puerum: et non audistis me? en sanguis ejus exquiritur.*

Punctum II. *Et respondens universus populus dixit: Sanguis ejus super nos* (Matth. 27, 25). Hoc rogemus, hoc curemus, ut Sanguis ejus super nos, non in vindictam, sed in ablutionem peccatorum, in extinctionem sitis rerum terrenarum, et in confortationem deficientis et arescentis animae, a Christo effundatur, et ut cum magno fructu spirituali a nobis in sacra Communione hauriatur. Hauriamus in gaudio de fontibus Salvatoris! (Is. 12, 3). — Precemur, ut Sanguis ejus sit super nos, et hoc Sanguine simus abluti: sicut sanguine agni paschalis illitae fuerunt postes et superliminaria domorum Israëlitarum in Aegypto; etiam nos transibit angelus percussor et exterminator. *Erit sanguis vobis in signum, — et videbo sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga* (Exod. 12, 13).

Punctum III. *Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant; Jesum vero tradidit voluntati eorum* (Luc. 23, 24 sq.). *Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur* (Matth. 27, 26). Contra hanc sententiam non se excusat Christus, non excipit, etiam hic non appellat ad Caesarem, non provocat ad Dei tribunal, sed obedientissime acceptat sententiam mortis iniquissimae, ut nos liberet a sententia mortis justissimae et aeternae. Sicut autem Christus nostri amore traditus est voluntati suorum inimicorum: ita nos totos tradamus nostri amantissimae voluntati divinae, ut nos cruci qualicunque figat, et nobis ipsis mori faciat. Patienter etiam feramus, si per iniquam electionem aliis indignis postponamur.

Meditatio CXXXIII.

(Feria VI. post Dom. IV. Quadrages.)

Acta post condemnationem.

Joan. 19, 16; Marc. 15, 20; Matth. 27, 31.

Punctum I. *Susceperunt autem Jesum* (Joan. 19, 16). Considera, quam longe aliter suscepisset illum Mater, si illi redditus fuisset, vel quomodo illum suscepisset S. Magdalena, aut Martha, si ad illas reversus fuisset. Sic boni et mali in sacra Eucharistia suscipiunt Christum: sed animo, cultu et fructu inaequali. Quomodo tu illum suscipis? Et quomodo te Jesus suscipit, si tu te illi tradas, vel per poenitentiam ad illum redeas? Nempe prompte, clementer, benigne, — sicut pater suscepit filium prodigum ad domum paternam revertentem, et sicut bonus pastor, qui ovem, quae perierat, invenit et in humeros gaudenter suscipit!

Punctum II. *Exuerunt illum purpura, et induerunt eum vestimentis suis* (Marc. 15, 20). Considera, quam dolorifera fuerit Christo, toto corpore vulnerato, haec vestium frequens mutatio, quia paulo post iterum ipsi detrahendae erant; deinde etiam, quam fuerit ignominiosa, quia restitutio propriarum vestium intenta erat, ut per eam ab omnibus agnosceretur, quando ad supplicii locum educendus erat. Disce ergo, nec in vestibus corporis commoditatem, nec honorem aut gloriam quaerere. Considera etiam, ante mortem Christum purpura exui: ut reminiscaris, omnem dignitatem, quamtumvis regiam, et omnem hujus mundi gloriam morientibus adimi. Denique perpende toties a te Christum regia purpura exui, quoties ipsum non ut supremum Regem ac Dominum tuum facto ipso agnoscis, sed majestatem ejus peccando contemnis.

Punctum III. *Et educunt illum, ut crucifigerent eum* (Marc. 15, 20). Toties Christum ex anima tua non tantum educis, sed etiam expellis, quoties peccato gravi tibimetipsi crucifigis Filium Dei. — Vide etiam, quid agas: Christus sequitur hostes, duces suos ad crucem, et tu Chri-

stum ducem ad crucem non sequeris? Dic ergo, et statue cum S. Petro (Luc. 22, 33): *Domine, tecum paratus sum, et in carcerem, et in mortem ire.*

Meditatio CXXXIV.

(Sabbato ante Dom. Pass.)

De bajulatione crucis.

Matth. 27, 32—33; Marc. 15, 21 sq.; Luc. 23, 26—33; Joan. 19, 17.

Punctum I. *Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum* (Joan. 19, 17). Cum Christus diu noctuque stando, quatuor judices adeundo, omnem prope sanguinem per tristitiam usque ad mortem, per crudelissimam flagellationem et coronationem profundendo, omnibus viribus esset destitutus, suscepit tamen in humeros suos gravissimam crucem, per asperum et acclive iter ad montem Calvariae, ut in ea moreretur, ferendam: quo nobis exemplum daret, nihil contra virium nostrarum infirmitatem, vel contra crucis gravitatem excipiendi, et animum adderet ipsum strenue sequendi. Unde merito dixit (Matth. 10, 38): *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.* Et (Matth. 16, 24): *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Et (Luc. 14, 27): *Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.*

Punctum II. *Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenaeum, nomine Simonem; hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus* (Matth. 27, 32). *Et angariaverunt praetereuntem quempiam, Simonem Cyrenaeum, venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem ejus* (Marc. 15, 21).[1]) Non impellente miseri-

[1]) Ex hoc colligi potest, Christum non tantum antennam crucis, sed integrum seu totum crucis palum in humeris tulisse.

cordia, sed necessitate cogente, socium, qui retro post eum crucem ferret, addiderunt; cum viderent, Christum frequenter succumbere, et lente ad desideratum locum, et ad supplicium avide ab ipsis expectatum pervenire. Itaque neminem habet Christus, qui prius ad ferendam ejus crucem constitutus ejus, vel commiseratione tactus ad id sponte se offerret; sed hic ipse Simon ad hoc obsequium cogi debuit; unde Christus et auxilio et solatio humano fuit destitutus, quod ex commiseratione et spontaneo obsequio percepisset. Sic etiam tu crucem tuam feras, licet omni auxilio et solatio humano privatus, Christumque imitare omni hominum ope destitutum. Ne autem imiteris Simonem, crucem coacte ferentem, qui tamen si scivisset, illum, cui praestaret obsequium, esse Deum et Redemptorem suum, mox pro ipsius salute in ea moriturum; ipsam vero crucem esse, de qua (Is. 9, 6) dicitur: *Factus est principatus super humerum ejus,* et (Is. 22, 22): *Clavis David super humerum ejus;* crucem hanc esse lignum vitae, scalam coeli, etc.; Caesarem Heraclium summo honori sibi ducturum, quod eam humeris suis impositam humili vestitu in urbem Jerosolymitanam referre posset; illam in toto orbe ubique adorandam, effigiem illius ubique statuendam; ejus figura frontes fidelium signandas, res benedicendas et consecrandas, etc., talia inquam, si scivisset Simon: quanto honori sibi duxisset, quod ex tanto numero hominum ipse delectus esset ad crucem hanc ferendam? quam prompte, quam hilariter humeros subjecisset? Si etiam praevidisset praemium ingens, quod vel pro invite gesta cruce repensum fuit, dum et ipse postea (ut habet communis traditio apud Cornelium a Lapide in Matthaeum), ad fidem Christi est conversus, et ambo filii ejus in numerum Sanctorum ab Ecclesia relati (Alexander quidem Martyrio, Rufus autem episcopali dignitate sancta administrata), eam gloriam consecuti sunt: quam alacriter obtulisset se Simon ad ferendam crucem Domini? Tu autem scis, in cujus honorem et beneplacitum feras crucem, quantum ea gloriae pondus operetur in nobis, quantum praemium, quantum fructum. Praeterea Deus ipse crucem tibi imponit, vires tuas optime perspectas habet, easdem attendit, auget, et

Simonis loco te juvat in ea ferenda. Quin et tuo commodo fers: haec enim tibi parat coelestem principatum, est clavis et scala coeli, est arbor vitae. Ergo sine tergiversatione tolle crucem Christi, et gaude, te illa ferenda dignum haberi, et proinde inter Christi amicos censeri; cum inimici Christi eam non tulerint, non tam, quia noluerunt, quam quia indigni fuerunt.

Punctum III. *Filiae Jerusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beati steriles, et ventres, qui non genuerunt, et ubera, quae non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos. Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* (Luc. 23, 28—31). Hujus extremi diei comminationem fecerat Christus etiam coram Caipha noctu (Matth. 26, 64), et coram toto concilio mane (Luc. 22, 69). Hujus ipsius autem consideratio, et ex Christi passione ponderanda gravitas valde levem nobis reddet omnem crucem, ut multo minus propter eam tristemur et lacrimemur, vel alios nobis illacrimari, compati vel condolere desideremus, aut ejusmodi affectus per adversorum nostrorum narrationem procuremus; quam Christus, qui propter suam crucem mulieres lacrimari noluit; tunc enim cum gaudio omnes crucis sectatores oculos suos attollent, quando: *Parebit signum* (crux) *Filii hominis in coelo, et videbunt venientem in nubibus coeli cum virtute multa et majestate* (Matth. 24, 30).

Meditatio CXXXV.

(Dominica Passionis.)

De gestis in monte Calvariae ante crucifixionem.

Matth. 27, 33 sqq.; Marc. 15, 22 sqq.

Punctum I. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgatha, quod est Calvariae locus* (Matth. 27, 33). Passus

est autem Christus in Golgatha, sive in Calvaria, quia teste Hieronymo cum Beda, Jansenio, Franc. Luca, Cornelio a L., etc. ille locus a reorum suppliciis, quorum etiam calvariae ibidem latitabant, magis erat infamis,[1]) vel potius quia hic collis extra urbem situs est, et Christus ex urbe ignominiose expelli voluit, ut typum sacrificii expiatorii V. T. explendo, sese exhiberet verum sacrificium N. T., et ita ut summus Pontifex sancta coelorum intraret. Ideo scribit Apostolus (Hebr. 13, 12—14): *Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est* (quemadmodum animalium corpora cremantur extra castra, quorum infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, ut eodem loco praemisit v. 11). *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus;* — quasi diceret: Quemadmodum Christus non in loco sancto, sed extraneo et ignominioso extra portam sanctae civitatis passus est: ita semper magis ignominiosa eligendo improperium ejus portemus, ut ita cum ipso coelum intrare possimus. Propterea etiam in loco, qui affluxui hominum magis patebat, et tempore, quo maximus hominum ad celebrandum Pascha erat occursus, pleno demum ac meridiano die passus est. Quae omnia serviebant ad majorem ejus ignominiam et confusionem. Sicut e contrario, ut Nativitas ejus esset ignobilior, mediae noctis silentio, in obscuro ac deserto stabulo, juxta urbeculam ignobilem nasci, ac in praesepio reclinari voluit, non inter homines, sed inter bruta animalia, et extra civitatem: ut et nos futuram inquireremus, et conversatio nostra in coelis esset; ut gloriae etiam Christi participes efficiamur, gloriam mundi contemnendo. *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur* (Rom. 8, 17).

Punctum II. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum; et cum gustasset noluit bibere* (Matth. 27, 34).

---

[1]) Juxta recentiores interpretes ob formam calvariae similem locus nomen accepisse videtur. Ceterum referunt aliqui SS. Patres (Athanasius, Ambrosius, Hieronymus et Chrysostomus) ex hebraeis fontibus, illo in loco sepulchrum protoparentis Adami collocatum fuisse.

Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, et non accepit (Marc. 15, 23). Volebat scilicet, gustando linguam cruciare, vel piis mulieribus, quae, ut aliqui narrant, vinum illud confecerant, gratum referre animum, non autem bibendo sitim longe intolerabiliorem sedare; ita etiam, cum jam in cruce penderet, secundum aliorum duorum Evangelistarum testimonia, acetum sumpsit, non ad levandam, sed ad eludendam sitim, quando, ut inquit S. Joannes (19, 29) *spongiam plenam aceto, hysoppo circumponentes obtulerunt ori ejus.* Itaque Christus in atrocissimis poenis, et siti per sanguinis effusionem, et crucis laboriosam bajulationem incensa, destitutus fuit etiam consueto plectendis morte solatio: ut labores nostros pro Dei gloria, et proximi salute susceptos, non vellemus nobis corporalibus solatiis ac refocillationibus compensari; imo ut omnia gaudia, prosperitates et commoda temporalia aestimaremus tanquam vinum, felle et myrrha permixtum, a quibus per solum necessarium usum gustatis, voluntatem nostram averteremus. Discimus insuper, velut ex simili, Deum nauseare opera nostra bona, alias generoso vino aequiparanda, si felle sinistrae intentionis, vel quibuscunque aliis defectibus permixta sint.

Punctum III. *Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret* (Marc. 15, 24). Idem testatur Matthaeus et Lucas. Unde colligitur, Christum omnino nudum (praeter lumbare)[1]) cruci affixum esse: et vestibus suis in flagellatione, spinea coronatione ac crucifixione spoliatum esse, ut pro recuperanda et servanda divina gratia, tanquam animae veste, specialia auxilia sua nuditate nobis mereretur; et ut omnibus rebus externis, illarumque inordinato affectu exui, atque nudi cum Christo in cruce pendere studeremus.

---

[1]) Quod juxta aliquos suum non fuit, sed ab aliis donatum ante crucifixionem pro suo, quod etiam milites sibi arripuerunt.

Meditatio CXXXVI.

(Feria II. infra hebd. Pass.)

De crucifixione Christi.

Matth. 27, 35; Marc. 15, 25; Luc. 23, 33; Joan. 19, 18.

Punctum I. Postquam Christus exutus est vestimentis suis, mox carnificum imperio (qua in re Patris quoque sui voluntati obsequebatur), in crucem procubuit, manus et pedes exporrexit, cruci suffigendos. Tunc *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (Philipp. 2, 8). Haec vere est humilis et imitanda obedientia, in ipsis carnificibus Deo obedire, se ipsum abjicere imperanti, et quidem in crucem ignominiosissimam, et usque ad mortem. Unde nullius hominis, Dei vices gerentis, mandatis resistendum, quantumvis nosmetipsos ad vilia munia abjicere, et in illis usque ad mortem haerere jubeat. Imo ad haec, et ad crucem, omniaque adversa nosmet demittere, et pronos inclinatosque in illa ruere decet, ut Christum in crucem semet abjicientem sequamur.

Punctum II. *Crucifixerunt eum* (Joan. 19, 18). Considera in primis ingentem dolorem, omnes nervos corporis, in quibus maxime viget sensus, pervadentem, vulnerata membra et ossa omnia distrahentem; quem expressit regius vates (Ps. 21, 17): *Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Hunc dolorem attente expendi a nobis vult (Thren. 1, 12): *Attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Iste clavorum dolor, et funiculorum charitatis erga nos, in mente nostra semper versetur, ut impleatur illud Isaiae (33, 20 sq.): *Nec auferentur clavi ejus in aeternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur: quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster.* Quis non cum S. Paulo vere dicere curet: *Christo confixus sum cruci?* (Gal. 2, 19), — nempe vel vitae religiosae per tria religionis vota, in qua paratus sum pati, quidquid ignominiosum, et doloriferum est; vel

cuicunque alteri generi vitae: quia omnis vita humana crux est, cui per fidem, spem, et charitatem ex Dei voluntate, ac sapientissima dispositione inhaerere debemus, veluti totidem clavis affixi, ad mutuam charitatem Christo reddendam. *Quis ergo nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur toto die, aestimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos* (Rom. 8, 35 sqq.; cfr. Ps. 43, 22).

Punctum III. Considera, quomodo peracta crucifixione, crux in altum erigatur, in terram cum impetu immittatur, ac frequenti concussione consolidetur; pervadente omnes artus et nervos immani dolore, et ex omnium vulnerum apertis hiatibus copioso sanguinis imbre defluente. Nunc impletum est ipsius Christi oraculum (Joan. 3, 14; cfr. Num. 21, 8 sq.): *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Rogemus ipsum, ut illud etiam in nobis impleat, necnon id, quod (Joan. 12, 32) scriptum est: *Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum;* — ut et nos terrenis omnibus altiores, eadem velut infra nos posita, elato ad Deum animo penitus despiciamus, juxta illud Psalmistae vaticinium in hac Christi Dei exaltatione intellectum: *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (Ps. 63, 7 sq.). Praeter hanc exaltationem, nullam in terra exaltationem aliam ambiamus; utpote propter cujus frequentem inter homines ambitum, ipsamque adeo similitudinem cum Deo superbe affectatam, ita ignominiose oportuit Filium hominis exaltari. — Ad hoc igitur crucis labarum accedamus, et sub hoc signo Deo semper militemus! *In illo die radix Jesse, qui stat in signum populorum* (Is. 11, 10). En in cruce victoria et salus, — filii crucis, *filii lucis!* (1. Thess. 5, 5; Eph. 5, 8). *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis* (Rom. 13, 12).

Meditatio CXXXVII.

(Feria III. infra hebd. Pass.)

Titulus Crucis.

Matth. 27, 37; Marc. 15, 26; Luc. 23, 38; Joan. 19, 19—22.

Punctum I. Perpende, ex divina dispositione factum esse, ut in cruce appenderetur titulus, quo toti mundo notum fieret, quis esset ille homo, qui tam ignobile, ignominiosum, ac crudele supplicium pateretur, et quare pateretur. Et quamvis (ut ex praecedenti meditatione patet), longe amplior titulus Christo fuisset debitus, e. g., quod sit Filius Dei, Summus Sacerdos Altissimi, Magister unicus, etc.; tamen etiam his paucis verbis a S. Joanne (19, 19) expressis: *Jesus Nazarenus, Rex Judaeorum,* satis indicantur haec tria, triplici puncto hujus meditationis consideranda: *Quis sit? Qualis sit? Quantus sit?*

Primum itaque indicatur nomine *Jesus:* quo ostenditur, Christi immensi nominis mensuram, id est, Servatoris in Cruce tandem omnino implesse, et absolvisse, quod his tribus peregit: vitae sanctissimae exemplis, doctrinis, et meritis. Unde recte teste Joanne (14, 6) a seipso dictus est *via,* quam exemplo stravit, et vestigiis impressis signavit; *veritas,* quam docuit; *vita,* quam aeternam nobis promeritus est. Esto itaque et tu, quod diceris esse, et vel nomen vel mores muta; diceris enim Christianus, socius Jesu, etc. Sequere Christi exemplum, in hoc maxime elucens, quod ex bonis hujus mundi semper elegerit illis oppositum; rerum videlicet abundantiae opposuit summam paupertatem; honori, laudi et gloriae summam ignominiam et contemptum; voluptati summos dolores animi et corporis. Praeterea bene et diligenter addisce ac expende Christi doctrinam, ac eidem vitam tuam conforma. Denique meritis illius utere, illaque tibi applica, — *adimplens ea, quae desunt passionum Christi* (Coloss. 1, 24), jungendo illis propria merita; quae quo erunt majora, eo magis tibi

applicabis merita Christi. Imple etiam participati a Jesu nominis mensuram, ut aliis similiter prosis exemplis, doctrinis et meritis tuis.

Punctum II. Qualis sit ille Jesus, verbo dicitur: *Nazarenus*, quod idem est ac *Floridus*. Sicut enim S. Matthaeus de Christo scribit (2, 23): *Habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas: quoniam Nazaraeus vocabitur:* ita etiam in titulo adscriptum est hoc epitheton, — *ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas: quoniam Nazaraeus vocabitur.* Hoc autem a Prophetis non aliter dictum est, quam per ipsam vocabuli expositionem, dum Christus apud Isaiam (11, 1) vocatur: *Flos de radice Jesse;* et apud Zachariam (6, 12): *Ecce vir oriens nomen ejus.* Itaque Christus semper fuit *floridus*, semper *oriens*, sive, ut ex Hebraeo colligitur, *germinans*.[1]) Semper ergo studium virtutis, et studium tuum imitandi Christum floreat, germinet, et velut quotidie incipiens oriatur, nunquam arescat vel languescat. — Adverte etiam crucem exaltatam, esse *arborem vitae* in medio paradisi plantatam: de ipso fons seu fluvius egrediebatur, divisus in quatuor partes (Gen. 2, 9 sq. 22): ita e cruce quatuor profluunt fluvii sanguinis et fons eorum in latere seu Corde SS. Redemptoris, qui est *vitis vera* (Joan. 15, 1), conspicitur; et sicut sub arbore protoparentes nostri peccaverunt, et Eva porrexit nobis fructum mortis: ita teste S. Bernardo sub crucis arbore secunda stat Eva, B. Virgo, et porrigit nobis fructum vitae. Accipe a B. Virgine hunc fructum dulcissimum, ut sit tibi in vitam aeternam. Sis palmes, conjunctus cum vite, ut etiam tu ipse fructus proferas bonos, uberes, aeternos.

Punctum III. Quantus sit ille Jesus, denotat: *Rex Judaeorum*, i. e. populi electi. Cum autem Christus ipse Pilato dixerit: *Regnum meum non est de hoc mundo*, sive, *non est hinc* (Joan. 18, 36), patet, Christum esse regem electorum in coelo. Hunc regem noli cum Judaeis abjicere, dicentibus: *Non habemus regem, nisi caesarem* (Joan. 19, 15): sed praesta ipsi omnem obedientiam, et

---

[1]) Cfr. Med. 60, p. 104 sq.

solve ipsi tributum, imagine ipsius, animae tuae impressa, insignitum.[1] Precare illum: *Adveniat regnum tuum* (Matth. 6, 10). Scias tamen, si velis cum Christo regnare in coelo, te non debere hic refugere ipsius spineam coronam, sceptrum arundineum, et crucem sive *principatum super humerum ejus* (Is. 9, 6), i. e. angustias animi, irrisiones, adversa. Recogita debere te prius certare et vincere antequam cum Christo regnaturus es. *Nam et qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certaverit* (2. Tim. 2, 5). *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus* (Apoc. 3, 21).

Meditatio CXXXVIII.

(Feria IV. infra hebd. Pass.)

Divisio vestium Christi, et blasphemiae in eundem.

Matth. 27, 35 sq. 39–44; Marc. 15, 24. 29—32; Luc. 23, 34—37; Joan. 19, 23 sq.

Punctum I. *Milites cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem), et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam* (sicut sciderunt alteram exteriorem togam et pallium, ut facerent quatuor partes), *sed sortiamur de illa, cujus sit* (Joan. 19, 23 sq.; cfr. Ps. 21, 19). Considera hic summam Christi in cruce paupertatem, et omnimodam nuditatem,[2] ubi nec habebat, quo tegeretur, nec ipse sinebatur de vestimentis suis disponere; ubi etiam nec potum aquae frigidae pro extinguenda siti, nec locum, ubi caput suum reclinaret, obtinebat. Itaque paupertatis perfectissimae exemplum, quod in stabulo natus coepit, in cruce moriens absolutissimum dedit.

[1]) Cfr. Med. 126, pag. 213 sq.
[2]) Cfr. Med. 135, pag. 231 Not.

Punctum II. *Sedentes (milites) servabant eum* (Matth. 27, 36), — ne vel discipuli illius, vel alii amici eum de cruce liberarent ac deponerent. Sede et tu per continuam Christi crucifixi observationem constanter juxta crucem, ne illum tibi vel diabolus, vel mundus, vel caro per ullum peccatum, aut oblivionis ingratitudinem ex corde rapiat.

Punctum III. *Praetereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Vah! qui destruis templum Dei, et triduo illud reaedificas, salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce! Similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei. Confidit in Deo, liberet nunc, si vult, eum; dixit enim: Quia Filius Dei sum. Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei* (Matth. 27, 39—44), — [dum saltem unus ex illis id fecit; ponitur enim hic numerus pluralis pro singulari, — vel pro sorte et genere hujusmodi vilissimorum hominum]. Ex quibus verbis patet, Christum a summis, mediis et infimis, a saecularibus et ecclesiasticis, a doctis sive scribis, et indoctis, a senioribus et junioribus fuisse ludibrio habitum in omnibus iis, in quibus summe erat laudabilis: dum ejus omnipotentia, nativitas divina, potestas regia, beneficentia erga alios, constantia in cruce, fiducia in Deum Patrem, adeoque excellentiae divinae et virtutes humanae derisae, contemptae atque traductae fuerunt. — Feramus ergo et nos, si virtutes nostrae tanquam vitia traducuntur; si res laudabiliter gestae non solum non laudentur, sed sinistris sermonibus eleventur et improbentur. Denique nos ipsos non laudemus, defendamus, aut jactemus; patienter vero omnia adversa ferendo maneamus cum Christo in cruce, et exhibeamus nos vere filios Dei.

Meditatio CXXXIX.

(Feria V. infra hebd. Pass.)

De primo Christi verbo in cruce.

Luc. 23, 34.

Punctum I. *Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt* (Luc. 23, 34). Considera, quis oret, quem oret, pro quibus oret, quid, quando, et quomodo oret. Si homo vilissimus illatam sibi gravissimam injuriam vindicari nollet a judice, cogitari posset, id eüm ex agnitione propriae vilitatis facere; sed quando regius filius gravissimis injuriis affectus, et lethaliter vulneratus a Patre sui amantissimo reis deprehensis veniam exoraret: id mansuetudo esset inaudita. Certe is, qui coram Deo sic precari ausus est: *Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus* (Ps. 131, 1), moriens tamen filium suum regium ita rogavit (3. Reg. 2, 8 sq.): *Habes quoque apud te Semei, filium Gera, filii Jemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, etc. Tu noli eum pati esse innoxium. Vir autem sapiens es, ut scias, quae facies ei, deducesque canos ejus cum sanguine ad inferos:* at Filius Dei, Regis regum, Patrem sapientissimum, potentissimum, sui amantissimum rogat moriens: *Ignosce illis.* Illis nempe, qui non tantum maledictionibus pessimis actu maledixerunt, sed crudelissime se tractarunt, et crucifixerunt; qui etiam vindictam contraria imprecatione in se provocarunt. Christus enim dixit: *Pater ignosce;* illi autem dixerunt (Matth. 27, 25): *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.* Ignosci autem petit odia fatalia, invidiam, blasphemias, falsas et gravissimas accusationes, tormenta, et mortem crucis illatam, etc., ac reddi illis gratiam sanctificantem, amicitiam, adoptionem, et vitam aeternam. Hoc Christus rogat eo tempore, quo ipse maxime dignus erat exaudiri; illi autem, quibus petebat veniam, maxime erant indigni, quia actu blasphemabant, et occidebant. Rogat autem hanc veniam ac remissionem primo, primas scilicet preces, quae

efficacissimae sunt, Patri pro ea impetranda offerens; antequam illi suam derelictionem insinuet; antequam Matri Joannem commendet; antequam sitim suam ardentissimam restingui postulat. Culpam quoque ex ignorantia affectata atque gravissima commissam excusat: *Non enim sciunt, quid faciunt.* Hinc discamus, quantis inimicis, quam indignis ac immerentibus, et quali modo ignoscendum sit, tum propter Christi exemplum, tum propter ejus erga nos meritum; quia etiam nobis peccatorum nostrorum apud Patrem veniam exorat, dicens: *Dimitte illis;* tum denique propter ejus quasi patrocinium, quia Christus sicut ad Patrem, ita quoque ad unumquemque nostrum ex cruce clamat: *Dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.* Factis enim et exemplis clamat!

Punctum II. Considera, quomodo nos vilissimi homunciones longe aliter erga offendentes nos habeamus. Fovemus enim diu rancorem, aversionem, cogitamus vindictam, verba et facta in pejus interpretamur, exaggeramus, apud alios incusamus, signa amicitiae negamus, offensum animum gerimus et ostendimus, et vix tarde ignoscimus, manente animi exulceratione; nempe manet alta mente repostum. Et tamen, ut perpendimus (1. punct.), nobilissimum est, injuriarum penitus oblivisci, christianum est, divinum est. Quam foeda vero nostra agendi ratio! Libenter ergo ore et facto ostende: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Secus timeas pro teipso! Etiam Deus tecum aliter acturus est: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester coelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* (Matth. 6, 12. 14 sq.).

Punctum III. Considera, quod centeni homines prius clamantes: *Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam! — Crucifige, crucifige eum!* veniam ex praedicta oratione per visa signa, et Apostolorum praedicationem obtinuerint, ita ut admitterentur ad agnitionem mysteriorum Dei, in familiares, amicos, filios adoptivos, cohaeredes, et bonorum maximorum participationem (cfr. Col. 2, 2; Joan. 15, 14 sq.; Gal. 4, 5; Rom. 8, 17; 2. Petr. 1, 4). Atque ex hoc

disce, quam perfecte inimicis ignoscendum sit, familiariter cum ipsis agendo, loquendo, benefaciendo; et quam perfecte Deus ignoscat, remittendo plenissime quaevis gravissima scelera per Christi merita et intercessionem apud coelestem Patrem, et donando maxima beneficia. Ideo Christus nobis mandat: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos* (Matth. 5, 44). — Haec autem Dei clementia, et valor meritorum ac intercessionis Christi, quamvis debeant in nobis parere magnam fiduciam ac spem veniae, non tamen debent deinceps ad peccandum provocare, sed vehementer avocare, ne per summam ingratitudinem tam bonum Deum offendamus.

Meditatio CXL.

(Feria VI. infra hebd. Pass.)

De secundo verbo Christi in cruce.

Luc. 23, 33. 39—43; Joan. 19, 18; Matth. 27, 38; Marc. 15, 27 sq.; cfr. Is. 53, 12.

Punctum I. *Et cum eo crucifixerunt duos latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris, medium autem Jesum* (Luc. 23, 33; cfr. Joan. 19, 18). Persona media inter divinas personas, mediator inter Deum et hominem, qui, quotiescunque duo vel tres congregati sunt in nomine ejus, in medio illorum est (Matth. 18, 20); ponitur medius inter duos latrones, tanquam eminens inter illos gravitate delictorum et reatu crucis. Quemadmodum igitur prius, cum ageretur de liberatione alterutrius a morte, Barabbae postpositus est, homini seditioso et latroni: sic in condemnatione et crucifixione latronibus est antepositus. Adam enim et nos omnes peccando fuimus latrones et raptores divinae gloriae, malefactores, maledicti et condemnati ad mortem: Christus vero Redemptor noster, nostri vicem gerens, omnia peccata pro nobis luenda in se suscepit,

ideo: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno* (Gal. 3, 13; Deut. 21, 23). — Nimis ergo ambitiosus es, si adhuc audeas optare, ulli hominum praeponi, cum potius gaudere debeas, si secundum exemplum tui Redemptoris omnibus postponaris, non tantum in virtute, sed etiam in inferioribus praerogativis honoris. scientiae, prudentiae, etc.; vel si in iis solum, quae contemptibilia sunt, anteponaris, et si alios in malitia anteire videaris, — quasi maledictum, pendens in ligno crucis, medius inter latrones suspensus.

Punctum II. *Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus; sed hic nihil mali gessit* (Luc. 23, 39—41).[1] Tam vilis itaque redditus erat omnibus Filius Dei, ut etiam vilissimus hominum, nempe latro, ausus sit illum vilipendere, et contemnere irrisoria blasphemia. Ipse vero tacuit, et nec verbum reposuit, cum potuisset etiam vindictam sumere, vel blasphemum latronem in supplicio relinquere, poenitentem latronem autem a morte temporali et aeterna liberare pro honoris sui defensione, et vindicta injuriae sibi ab altero illatae. Dum autem Christus pro sui ipsius defensione nihil respondet, ecce ab altero latrone publica attestatione innocentiae defenditur. Sic dum nosmetipsos, et honorem nostrum non defendimus, Deus mittit alios, qui defendant. Ipsi ergo verbo vel facto laesi aut contempti taceamus, nec defendamus nos, aut vindicemus;

---

[1]) S. Matthaeus (27, 44) ait: *Id ipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Quodsi ab utroque latrone factum est, alter mox poenitentia ductus est. Probabilius tamen Matthaeus (ut alibi, Med. 138. punct 3. p. 238 jam monuimus) more Hebraeis usitato, posuit numerum pluralem pro singulari, vel per pluralem numerum non singulari personae, sed statui et sorti hominum crimen blasphemiae in Christum attribuit, ut latrones id fecisse dicuntur, quod unus eorum fecit; sicut saepe factum unius e communitate tribuitur toti communitati.

sed cogitemus, nos digna factis recipere, utpote qui etiam Deum aut proximum saepe verbis aut factis offendimus.

Punctum III. *Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso* (Luc. 23, 42 sq.). Disce a latrone, non liberationem a cruce petere, sed gratiam promerendi regnum alterius vitae. In Christo autem observa, quod sicut latroni maledicenti nihil respondit, ita humiliter confitenti Dominum, et sui solummodo memoriam roganti, mox interius contrito veniam peccatorum et paradisum clementer promiserit. Itaque patientiae et clementiae exemplum praebuit. Et sic etiamnum saepe longe tempore dissimulat Deus peccata hominum (Sap. 11, 24), humilem autem deprecationem pronus exaudit. Igitur et nos laesi taceamus, rogati libenter obsequamur, et gratificemur. — Videas etiam mirabiles Dei gratiae effectus. *Unus assumetur, et unus relinquetur* (Matth. 24, 40). Statue fideliter cooperari gratiae, et per bona opera certam tuam vocationem et electionem facere (2. Petr. 1, 10).

Annotatio.

Ubi hodie celebratur festum transfixionis B. V. Mariae, potest sequens meditatio, festo congrua, huic meditationi anteponi.

Meditatio CXLI.

(Sabbato infra hebd. Pass.)

De tertio verbo Christi in cruce.

Joan. 19, 25—27.

Punctum I. *Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalene* (Joan. 19, 25). Considera, quanto dolore animi materni impletum hic sit vaticinium Simeonis (Luc. 2, 35): *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Intuebatur

enim B. Virgo Jesum in cruce pendentem magis ut Filium Dei, quam ut suum: unde pro intensissimo suo in Deum amore summe dolebat gravissimas injurias, blasphemias, cruciatus, et tormenta maxima Filii Dei, quem firmissima fide ut talem agnoscebat. Deinde quia prudentissimo amore plus amabat Filium suum, quam omnes matres, quae saepe non secundum rationis vim, sed tantum secundum sensualem et imprudentem affectum filios suos depereunt; et quia, sicut omnes alias virtutes, ita etiam pietatem Matris erga Filium, et quidem erga talem ac tantum Filium in summo gradu habuit, quem sciebat pro seipsa etiam pati et mori; rursum commiserationis dolor in immensum crescebat, ita ut ex consideratione, quis pateretur, quid pateretur, pro quibus pateretur, quomodo pateretur, etc., plus in animo moeroris ac doloris perpessa sit, quam omnes Martyres in corpore et anima, ac proinde Regina Martyrum effecta sit. Simili consideratione in martyrii societatem venire potes, Deo ipso apud Jeremiam (6, 26) ad istud quamvis animam christianam invitante: *Filia populi mei accingere cilicio, conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Esto itaque inter illos, de quibus ipse Christus a Zacharia (12, 10) visus est dicere: *Aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum planctu, quasi super Unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte Primogeniti.*

Punctum II. Quia vero omnes Scripturas et oracula Prophetarum de Filio suo optime noverat, et a Filio suo didicerat, et quia nota ipsi erat aeterna Patris et Filii voluntas: ideo B. Virgo summe etiam conformabat voluntatem suam cum Patris et Filii sui voluntate, probe sciens hac Filii sui passione offerri Deo sacrificium, quo omnes offensae Dei a quibuscunque hominibus profectae, ipsorum etiam crucifigentium, infinite compensentur, et laesus Dei honor reparetur. Hanc conformitatem adjuvabat etiam amor erga genus humanum, quod aliter redimi non posse perspectum habebat. Praevidebat etiam sapientissima Mater exaltationem Filii, et ingentia bona ex passione oritura. — Horum consideratione in quavis adversitate tuam voluntatem divinae conformare et submittere stude, expendendo,

quidquid Deus nobis evenire vult, id maxime ad ipsius gloriam, et ad nostra commoda ac salutem animae cedere.

Punctum III. *Cum vidisset ergo Jesus Matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suae: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce, Mater tua* (Joan. 19, 26 sq.) Hinc illico cognovit B. Mater, omnes Christifideles in persona Joannis pro Filio suo Unigenito sibi substitutos esse, ut, quidquid factura esset uni ex minimis istis, Christo se facturam sciret. Hanc ergo ob causam ardet amore erga genus humanum, et erga filios suos, tanto cum dolore sub cruce genitos.[1] Nos autem mutuo amore filiali supplere, et imitari debemus amorem Filii, cui substituti sumus, et gratos nos exhibere pro illo dolore, quem non tam in utero, quam in corde, principali corporis parte, maximeque sensibili, nos in filios generando sustinuit. Itaque quisque etiam sibi dictum existimet: *Ecce Mater tua.* Quibus verbis continetur idem salutis monitum, quod Tobias ante suam mortem filio dedit: *Honorem habebis matri tuae omnibus diebus vitae ejus; memor enim esse debes, quae et quanta pericula passa sit propter te* (Tob. 4, 3); et quod Ecclesiasticus (7, 29): *Gemitus matris tuae ne obliviscaris.*

Meditatio CXLII.

(Dominica in Palmis.)

De quarto verbo Christi in cruce.

Matth. 27, 45—47; Ps. 21, 2.)

Punctum I. *A sexta autem hora* (ergo tempore meridiano, secus maxime luminoso) *tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam* (h. e. ad horam tertiam post meridiem secundum nostram com-

---

[1]) Recole dicta in Med. VII. et Med. CXXXVII.

putationem). *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthâni? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (Matth. 27, 45 sq.; cfr. Ps. 21, 2). Considera itaque hac prodigiosa obscuratione solis Filium Dei, prout rogaverat (Joan. 17, 5), toti mundo clarificatum esse. Si itaque sol lucis suae radios exuit, ad contestandum luctum, ab inanimi creatura auctori naturae in cruce pendenti trium horarum spatio exhibitum: quanto magis nos omnia mundana ac terrena gaudia, et splendorem nominis exuere debemus, ut propter mortem unigeniti Filii Dei in hac vita semper lugeamus, et obscuri manere appetamus? Similiter caveamus tenebras, quae omnium illorum animas involvere solent, qui gravi peccato eas obstringunt, rursum crucifigentes Filium Dei; hae enim tenebrae causae sunt, ut frequenter offendant, et tandem in tenebras exteriores projiciantur, ubi est fletus et stridor dentium perpetuus (Matth. 8, 12; etc.).

Punctum II. Considera causam, ob quam coelestis Pater Filium suum Unigenitum et dilectum toto passionis tempore exterius in potestate Judaeorum ac gentilium inter summas ignominias et cruciatus, interius vero inter summas animi angustias et desolationes dereliquit, mox subjectis verbis Psalmi 21. v. 2. expressum esse: *Longe a salute mea verba delictorum meorum.* Si autem Filius Dei naturalis propter aliena delicta in se suscepta tantam derelictionem ab amantissimo Patre sustinere debuit: quanto magis propter peccata propria meretur homo a Deo deseri ac derelinqui? Patienter igitur feramus, si solum inter miserias, cruces et desolationes temporales derelinquamur; nec ab iis liberationem expetamus, aut solatia quaeramus, modo ad illum, quem offendimus, tanquam ad Deum nostrum filiali fiducia clamare nobis liceat, ut patientiam et constantiam nobis tribuat, neque gratia sua et auxilio gratiae nos destituat. Illam autem derelictionem longe gravissimam esse pensemus, quam damnati per totam aeternitatem sustinent sine spe liberationis et solatii.

Punctum III. Repetita compellatione *Dei*, et adjecta voce possessiva *mei*, clamoris insuper vehementia atque conatu, docuit nos Christus in summis tribulationibus per

orationis intensionem, fiduciam et constantiam ad Deum confugere, spreto omni auxilio et solatio, quod a Deo non est. Nulla vero tristitia, desolatione, aut ariditate ab oratione nos retrahi sinamus (cfr. Hebr. 5, 7).

Meditatio CXLIII.

(Feria II. majoris hebd.)

De quinto verbo Christi in cruce.

(Joan. 19, 28 sq.; Matth. 27, 48.

Punctum I. *Postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio* (Joan. 19, 28; cfr. Ps. 68, 22). Ingentem fuisse Christi sitim naturalem colligitur ex fatigatione praeterita, tristitia et effusione sanguinis prope universi. Praefigurata est ista sitis per sitim Samsonis (Judic. 15, 18): *Sitiensque valde clamavit ad Dominum, et ait: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam: en siti morior.* Sed non eodem modo sitis Christi a Patre suo extincta est, quo extincta est sitis Samsonis (l. c. v. 19): *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressae sunt ex ea aquae. Quibus haustis refocillavit spiritum, et vires recepit.* Praefigurata est etiam a siti filioli fugitivae Agar (Gen. 21, 15): *Cumque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborem, quae ibi erant. Et abiit, seditque e regione procul, quantum potest arcus jacere. Dixit enim, non videbo morientem puerum; et sedens levavit vocem suam, et flevit.* Sed licet Christi super arborem crucis depositi sitis longe fuerit ardentior, et sanctissimae Matris tristitia longe vehementior, — quod, cui olim virgineum lac in potum dedit, ei nec potum aquae frigidae dare licuerit: non tamen simili ratione, sicut de filio Agar, dici potuit (v. 17): *Exaudivit autem Deus vocem pueri, etc., aperuitque oculos ejus* (ipsius Agar) *Deus, quae videns puteum*

aquae, abiit, et implevit utrem, deditque puero bibere. Quin potius Christus dicere coactus est (Ps. 21, 16): *Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me.* — Imitare illum in ferendo rerum necessariarum defectu, sustinenda fame et siti, praesertim extra consueta tempora non bibendo. Nec solatiis corporalibus extraordinarios labores mox tibi velis compensari, cum Christo post consummatos maximos labores, et dolores nec aqua frigida pro ardentissima siti restringenda concessa est.

Punctum II. Per sitim illam corporalem, verbo *sitio* expressam denotatur praeterea sitis spiritualis implendae voluntatis paternae, quam sicut pro cibo habuit (Joan. 4, 34), sic etiam pro potu sitivit. Significatur etiam sitis, pro genere humano plura patiendi, quamvis calicem passionis jam omnino exhauserit. Vel maxime autem sitiebat Christus salutem animae meae, sicut mulieris Samaritanae, a qua petiit (Joan. 4, 7): *Da mihi bibere.* Imitare Christi sitim, sitiendo justitiam, et calicem passionis, atque aquam vivam, de qua ipse dixit (Joan. 4, 14): *Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Hac aqua et nostram, et Christi sitim, nostrae salutis avidam, extinguamus.

Punctum III. *Vas autem erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus* (Joan. 19, 29). Sic impleta est Scriptura (Ps. 68, 22): *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Ne tu e contrario delicias cibi et potus secteris, aut quae palato non arrident, asperneris, conquereris, etc. Ne opera tua bona sint velut vinum corruptum et acescens, Deo cum sinistra intentione, negligentia, vel alio vitio propinatum. Forte etiam de te Deus conqueri debet: *Expectavit, ut faceret uvas, et fecit labruscas* (Is. 5, 2).

Meditatio CXLIV.

(Feria III. maj. hebd.)

De sexto verbo Christi in cruce.

Joan. 19, 30.

Punctum I. *Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est* (Joan. 19, 30). Intellige totum opus redemptionis juxta illud, quod dixit (Joan. 17, 4): *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam:* quae verba tunc propter finem jam imminentem, et mox executioni datum, cum veritate prolata, in cruce omnino completa, et consummata sunt. Ita et tu vivas, ut moriens cum gaudio dicere possis: Consummatum est opus et negotium salutis meae, ad quod veni in mundum, et religionem, etc., sive ut S. Paulus dixit (2. Tim. 4, 7): *Cursum consummavi.* Non enim sufficit, bene coepisse, sed: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Matth. 10, 22). Roga ergo Deum pro dono perseverantiae, et gratiae finalis. Imo cura, ut quodvis tuum opus in particulari sit consummatum, et undequaque perfectum, et imitare Christum Deum, cujus consummata et *perfecta sunt opera* (Deut. 32, 4), qui est perfectissimum *speculum sine macula Dei majestatis* (Sap. 7, 26).

Punctum II. Considera, a Christo etiam consummatum esse illud exemplar vitae, quod inspicere, et secundum quod nobis monstratum facere jubemur apud S. Paulum (Hebr. 8, 5). Hoc itaque et tu consumma per omnimodam et perfectam imitationem, ut a te exutus, Christo conformatus et Deo simillimus sis.

Punctum III. Considera a Christo consummata esse omnes Scripturas, ac impletum omne id, quod vel agendum, vel patiendum praedixerant. Ita et tu impleas et consummes omnes scripturas et regulas scriptas, quidquid tibi vel agendum, vel patiendum praescribant, adeoque sis, ut Paulus (Rom. 2, 27) loquitur: *Legem consummans.*

Meditatio CXLV.

(Feria IV. maj. hebd.)

De septimo verbo Christi in cruce.

Luc. 23, 46; Ps. 30, 6.

Punctum I. *Et clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (Luc. 23, 46). Voce magna dicitur clamasse Christus, quia orationem et commendationem animae suae magna devotione, reverentia interiori et exteriori, fiducia et efficacia, a sanctitate et meritis praecedentibus proveniente, peragebat; cujus proinde altissimae orationis clamor externus erat indicium. Sic clamando et orando et tu dicere poteris: *Voce mea ad Dominum clamavi; voce mea ad Dominum, et intendit mihi* (Ps. 76, 2).

Punctum II. Christus moriens Deum Patrem vocat, non tantum, quia erat Filius ejus naturalis, sed etiam, quia exemplum praebere voluit per filialem reverentiam, observantiam, et obedientiam erga Deum usque ad mortem. Quare discessit ex hac vita ad Deum non tanquam ad severum judicem, et justum vindicem, sed tanquam ad amantissimum Patrem, vocantem ad haereditatem aeternam adeundam. Sic ergo vive, ut in morte merearis Deum vocare, et habere, ut Patrem.

Punctum III. O quanta fiducia commendaverit Filius Dei spiritum suum in manus Patris potentissimas ac liberalissimas, qui toto vitae tempore voluntatem suam et omnia reliqua tradidit in manus sui Patris, seque veluti mollem ceram, tractandum et regendum permisit! quique pro honore Patris sui manus ad praeclara virtutum opera extendit, easque funibus ligandas, clavis fodiendas praebuit! Sic, o Deus, in manus tuas commendabo et ego spiritum meum, suscipiendum in coelum, et munifica manu praemiandum, eam maxime ob causam, quod me in hac vita manibus tuis permiserim tractandum, dirigendum, castigandum, etc. Itaque vivens tradam in manus Dei spiritum meum, ut moriens

dicere ac clamare audeam: *In manus tuas commendo spiritum meum. Redemisti me Domine Deus veritatis* (Ps. 30, 6).

Meditatio CXLVI.

(Feria V. in coena Domini.)

De morte Christi in cruce.

Matth. 27, 50; Marc. 15, 37; Luc. 23, 46; Joan. 19, 30.

Punctum I. *Et inclinato capite tradidit spiritum suum* (Joan. 19, 30). Haec reverentiae plena inclinatio capitis fuit signum externum internae humilitatis et obedientiae, Patri praestitae per humilem et obedientem assensum, ut anima tandem separaretur a corpore; quae ad prolongandam passionem tamdiu fuit detenta; citius alioquin separanda, tum propter immanem flagellationem, tum propter venarum apertionem in spinea coronatione, et clavorum transfixione, tum propter haec omnia simul sumpta cum distentione omnium membrorum et vulnerum in cruce. Ista ergo inclinatio capitis fuit ultima executio et consummatio ejus, quod de illo S. Paulus scripsit (Philipp. 2, 8): *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* — Inclinemus itaque et nos caput nostrum, quotidie per totam Quadragesimam, hortante S. Matre Ecclesia in Missa feriali: *Humiliate capita vestra Deo!* Caput autem Dei humiliare et inclinare, est Superioribus, Dei personam gerentibus, voluntatem et judicium proprium submittere; est etiam propter Deum seipsum humiliare et demittere, humiliter de se ipso sentire, non altum sapere, non se in altum efferre, aut efferri cupere, sed se indignum censere honoribus; honores vero censere indignos suo appetitu, utpote vanos, temporales et indebitos, ac sibi minime competentes.

Punctum II. Circa verba: *Tradidit spiritum suum,* — sequentia ponderanda sunt. Quis tradidit? Nempe ipse,

qui dixit (Joan. 10, 17 sq.): *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.* — Cui tradidit? Deo Patri in manus. — Quid tradidit? Animam infinite sanctam, plenam gratiae et veritatis, sive coelestis sapientiae, omnibus virtutibus summe exornatam, innumeris actibus ab instanti conceptionis usque ad instans mortis sine intermissione, aut interruptione, summa cum perfectione praestitis, auctam, et meritorum infinito valore locupletatam. — Pro quo tradidit? Pro anima mea, eripienda ex potestate diaboli, et Patri restituenda, et sic pro omnium hominum animabus. — Quare tradidit? Ut esset solutio pretii in nostram redemptionem a peccatis, et poenis aeternis ignis perpetui. — Quomodo tradidit? Summa ignominia, et summis cruciatibus avulsam a corpore, quod prius tradidit Judae, per Judam tradidit Judaeis, per Judaeos Pilato, per Pilatum rursum Judaeis, qui eum tradidit voluntati eorum, ut crucifigeretur. Quidni ergo me trado ei, cui me totum debeo pro me tradito? Corpus cum ipso configatur cruci, anima continuo avellatur a corpore et carne per voluntariam mortificationem, ponendo eam et tradendo divinae voluntati.

Punctum III. Quemadmodum Joseph ab Arimathaea, postquam Jesus tradidit spiritum suum in manus coelestis Patris, teste Marco (15, 43) — *audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu:* ita confidenter introeamus ad coelestem Patrem, et petamus spiritum Jesu, involventes eam sindone munda conscientiae nostrae, et ponentes in monumento animae nostrae. novo per vitae renovationem, exciso de petra per fortitudinem et constantiam, adhibentes vigilem custodiam, ne nobis auferatur; nam ipse vult nobiscum esse, et mansionem facere. Si nunc spiritum Jesu a Patre coelesti impetraverimus, audire poterimus a S. Paulo: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in nobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum,*

spiritus vero vivit propter justificationem. Quodsi Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis (Rom. 8, 9—11). — *Ergo fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater, etc.* (Ib. v. 12—15). Hunc Spiritum Jesu petamus a Patre, qui dabit *Spiritum bonum petentibus se* (Luc. 11, 13).

Meditatio CXLVII.

(Feria VI. in Parasceve.)

Signa, et gesta in morte Christi.

Matth. 27, 45. 51—54; Marc. 15; 33; 38 sq.; Luc. 23, 44 sq. 47 sq.; Joan. 19, 32—37.

Punctum I. *Ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt* (Matth. 27, 51 sq.). Et haec facta sunt post mortem Christi; prius autem inquit idem Evangelista (27, 45): *A sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam.*[1]) Haec omnia tres ob causas

[1]) Scilicet cum paulo ante, dum hora tertia non omnino esset elapsa, Christus fuisset crucifixus. Unde S. Joannes (19, 14) dicit, quod fuerit *hora quasi sexta,* id est, quod hora tertia jam fuerit ultra medium progressa (seu ad sextam vergerit vel undecima circiter ante meridiem), quando Christus ad crucem est condemnatus, et eductus. Et S. Marcus (15, 25) ait: *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum;* nempe, quando tertia hora, quae continebat tres nostrates horas,

contigerunt: 1) Ut clarificaretur Filius Dei tam prodigiosa Patris divini contestatione. 2) Ut ab inanimatis creaturis compatientibus auctori suo ad commiserationem moverentur animatae, et immobilia ac saxea hominum corda. 3) Ut quaedam mysteria manifestarentur. Scissio veli enim a summo usque deorsum significat, ea, qua in veteri Testamento velata et obscura erant, nunc remoto velamine, per eorum manifestam impletionem facta esse clara et perspicua. Similiter significat, in morte hominis scindendum velum conscientiae nostrae, et nobis demonstranda omnia acta nostra a primo usu rationis usque ad finem vitae. — Motus terrae significat futuram commotionem animorum; petrae scissae obduratorum peccatorum contritionem; monumenta aperta resurrectionem mortuorum. Ad mores autem formandos inde discimus, quod homines a morte Christi debeant commoveri et conteri ad poenitentiam, atque a sepulchro pravarum consuetudinum ac habituum, in quibus jacent sepulti, resurgere et exitum quaerere.

Punctum II. *Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua* (Joan. 19, 32—34; cfr. Exod. 12, 46; Num. 9, 12; Zach. 12, 10). Quamvis Jesus in medio penderet, ultimo tamen ad ipsum ventum est, ut dolor mortis prolixior ac longior esset; deinde vero a confractione crurium abstinuerunt crudeles homines, non ex misericordia, sed quia viderunt eum jam mortuum. Sic ergo et a nobis hominum, quando nocere non possunt, saltem malevolentia patienter perferenda est, et sustinendi, qui etiam post mortem maledicae linguae lanceam pectori nostri infigent. Ex eadem erga Christum clementia, et prolongandae passionis intentione factum est, ut pectus, vitae sedes, primum post mortem ejus aperiretur; ut adeo multiplici ab inductione demon-

---

erat ultra medium, Christus fuit condemnatus et eductus; et quando erat in fine, fuit crucifixus, et hora sexta jam inchoata, pariter continente tres horas, tenebrae factae sunt. Cfr. Med. CXLII. P. I. pag. 245 sq.

strari posset, ex speciali Dei permissione, et Christi acceptatione voluntaria evenisse Christo id, quod magis erat ignominiosum et doloriferum; in cujus proinde acceptatione et electione specialiter imitandus est. Nihilominus saltem post mortem lancea cor ejus apertum est, ut ad illud ostium refugii nobis pateret, et ut ex fonte aquae exeuntis possemus lavari a malo, ex fonte autem sanguinis prodeuntis confortari in bono, et sanguinem generosum haurire.

Punctum III. *Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat* (— *Vere Filius Dei erat iste.* Matth. 27, 54.) *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant, quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur* (Luc. 23, 47 sq.). Hunc tu fructum ex omnibus meditationibus de passione Christi referas; ut agnoscas, eum, qui tanta pro te passus est, fuisse justum et Filium Dei. *Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus* (Hebr. 7, 26). Recogita eum passum esse illa propter tua peccata, vel commissa, vel alioquin committenda, et ut per seriam poenitentiam pectus tuum conteras, ac revertaris ad meliorem vitam. *Ideo jam amplius noli peccare* (Joan. 8, 11). *Sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* (1. Joan. 2, 1 sq.).

Meditatio CXLVIII.

(Sabbato sancto.)

De sepultura Christi.

Matth. 27, 57—60; Marc. 15, 42—47; Luc. 23, 50—55; Joan. 19, 38—42.

Punctum I. *Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives* — (— a S. Marco c. 15, 43 dicitur:

Nobilis decurio; a S. Luca c. 23, 50: *Decurio, vir bonus et justus;* a S. Joanne c. 19, 38: *Discipulus Jesu occultus propter metum Judaeorum* — omnes etiam quatuor Evangelistae referunt ejus nomen et patriam) — *ab Arimathaea, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu. (Hic non consenserat consilio et actibus eorum.* — Luc. 23, 51). *Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu* (Matth. 27, 57 sq.). S. Marcus (15, 43) ait: *Et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Pilatus autem donavit corpus Joseph.* — Considera, Josephum istum, qui Christo locum sepulturae dedit, celebrari quoad nomen, patriam, dotes divitiarum, nobilitatis, justitiae et bonitatis a diversis Evangelistis; illius vero, qui locum diversorii pro ultima coena, institutione et consecratione Eucharistiae, veluti primum templum pro sacrificio eucharistico offerendo praebuit, et adornavit, nomen et laudem ab omnibus Evangelistis taceri.[1]) Ex priori itaque discimus, quomodo Deus praestita sibi obsequia quandoque etiam in hac vita remuneretur; ex posteriori vero, quomodo saepe remunerationem in alteram vitam differat, et in hac vita multa praeclara hominum merita obscura et incognita latere permittat. Unde divinae dispositioni committendum, quidquid ipse circa nos ordinaverit; nec aegre ferendum, si aliorum facta laudantur, nostra taceantur et ignorentur. Nec magnopere laetandum, si facta nostra in hac vita celebrentur, sed meminisse debemus, ab aliis aeque vel magis laudabilia praestari, etiamsi de ipsis taceatur, nec ab hominibus laudentur, aut honorentur. Ideo Sapiens (Sap. 3, 1 sqq. 5): *Justorum animae in manu Dei sunt. — Visi sunt oculis insipientium mori. — Illi autem sunt in pace. — Quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum.*

Punctum II. Considera, quomodo Christi sepultura sit peracta. *Accepto corpore, Joseph involvit illud sindone munda* (Matth. 27, 59). *Mercatus sindonem* (Marc. 15, 46). *Et posuit illud in monumento, suo novo, quod exciderat*

---

[1]) Traditio tamen est, illum fuisse Joannem, qui cognominatus est Marcus, fuitque socius Pauli et Barnabae in praedicatione Evangelii (cfr. Act. 12, 12. 25; 15, 37. 39; Coloss. 4, 10).

de petra (in quo nondum quisquam positus fuerat (Luc. 23, 53), *et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit* (Matth. 27, 60). — *Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhae et aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergo Corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judaeis sepelire. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceven Judaeorum, quia juxta erat monumentum* (quia scilicet vicinum erat Golgathae) *posuerunt Jesum* (Joan. 19, 39—42). Considera hic, quam provide, et potenter Deus omnia disponat, et corda hominum flectat ad inserviendum et cooperandum consiliis suis. Divino enim consilio factum est, ut Joseph in tali loco sepulchrum sibi excidi curaret, nempe in loco vicino Calvariae, in horto (in quem Jesus propter obedientiam usque ad mortem illatus est, sicut Adam propter inobedientiam fatalem ex horto voluptatis, sive paradiso expulsus est) — in petra, pro includendo, et per admotum lapidem ac impressum sigillum asservando corpore aptissima; deinde eodem Dei consilio accidit, ut Joseph, qui morti Jesu intercedere non ausus fuerat, audacter introiret ad Pilatum, et ut Pilatus rem tam sacram, ac nullo pretio temporali sat aestimandam tam prompte et liberaliter donaret Josepho, nempe Corpus Jesu; ut Judaei etiam tam honorificam sepulturam non impedirent, sed ad eam cooperarentur, sigillo et custodibus munirent, ad resurrectionem a mortuis magis celebrem reddendum; ut denique pauperrimus Jesus, qui in nativitate crassis ac laceris pannis involutus est, in cruce vero nudus suspensus non habuit, ubi caput reclinaret; peracta redemptione generis humani, pretiosa, subtili et munda sindone involveretur; sepulchro novo, magnifico, quod nullum aliud cadaver adhuc profanaverat, includeretur, et more in funeribus honoratarum duntaxat personarum usitato, pretiosis aromatibus ungeretur. Committamus ergo nos divinae providentiae, in cujus manu sunt corda hominum, qui attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter

(Sap. 8, 1); qui novit nostris necessitatibus ac indigentiis providere, praesertim quas pro ipsius honore sponte suscepimus.

Punctum III. Ex modo deponendi Jesum in sepulchro disce, quomodo illum in corde tuo deponere debeas. Sindon subtilis, munda, pretio empta, est tenera, pura, et magno operae pretio, imo pretioso Christi Sanguine redempta conscientia. Mixtura myrrhae et Aloës sunt opera virtutum, magno nobis labore et dolore constantia. Monumentum in petra excisum, est anima solidis virtutibus fundata, ac proinde in horto virentium ac florentium virtutum posita; monti Calvariae vicina, ut eum semper respiciat, et secundum exemplar ibi monstratum faciat; vigilantiae sigillo obsignata et sensuum exteriorum custodia munita; ne plorans cum Magdalena aliquando dicere cogaris: *Tulerunt Dominum meum, et nescio, ubi posuerunt eum* (Joan. 20, 13). Simus igitur cum Christo *consepulti* (Rom. 6, 4; Coloss. 2, 12), ut et nos sepulchro glorioso (Is. 11, 10) gaudere possimus.

PARS IV.

Meditationes pro tempore paschali usque ad Festum SS. Trinitatis.

Meditatio CXLIX.

(Dominica Paschae — Festum Resurrectionis D. N.)

Anima Christi ad limbum descendit, et corpori rursus unitur.

Punctum I. Considera animam Christi (cum divinitate unitam), primo post mortem in cruce obitam momento, mox ingenti gaudio, et gloria perfusam, magno Angelorum comitatu et applausu in limbum ad Patres descendisse, atque ab illis mox lumine gloriae ac visione beatifica donatis, summo honore, gratulatione et gaudio exceptam fuisse, gratias agentibus Deo, Redemptori ac liberatori suo, pro omnibus, quae Christus toto vitae suae tempore pro ipsorum salute et liberatione gessit, ac pertulit; nam per visionem suam beatificam in Deo, sive in scientia Dei haec omnia claro intuitu cognoverunt, et pro eorum dignitate ac merito summe aestimarunt. Ipsa enim Christi anima corpore soluta, ab omni dolore et tristitia se liberam sensit,

et de consummata generis humani redemptione, ac de tot sanctarum animarum beatitate suis meritis obtenta, et verisimiliter etiam omnium in purgatorio existentium liberatione, maximum concepit gaudium. Atque ita omnes praecedentis vitae labores, dolores, ignominiae, injuriae, blasphemiae, probra, persecutiones in momento desierunt in laudem, gloriam, gratulationem, et gaudium perpetuum (cfr. Apoc. 5, 12). Sic ergo haec omnia in vita hac magno animo, et spe brevi secuturae mutationis tibi perferenda sunt, ut mox ad aeterna gaudia transire liceat, nullaque peccata amplius restent expianda, sed ut mors sit finis omnium miseriarum, ac initium gaudiorum aeternorum; ad quod plurimum conferet peccatorum commissorum levitas, ac paucitas, operum satisfactoriorum frequentia, indulgentiarum usus, etc.

Punctum II. Considera, animam Christi tertia die summo mane, ante solis ortum, elapsis circiter triginta sex horis, Angelorum et beatarum animarum comitatu glorioso stipatam ad sepulchrum rediisse, praecipuis Angelis dispersas in Passione carnis particulas, evulsos capillos, effusum Sanguinem, summa reverentia ad Corpus (divinitate non separatum), vulneribus et livore obsitum, deferentibus; quod dum praesentes omnes adorant, contuentur ac demirantur, abstergitur livor, coëunt vulnera, refunditur Sanguis, eliminatur omnis cicatrix, animae hospitium paratur, quinque tantum praecipuorum vulnerum stigmatibus, sed innoxie, remanentibus; impleturque illud de templo corporis sui a Christo prolatum vaticinium (Joan. 2, 19): *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Roga Christum, et allabora, ut similiter ad te, velut ad mystici sui corporis membrum, revertatur, peccatorum vulnera ac cicatrices sanet, pravos nimirum habitus et inclinationes; ut te denique sibi in stabile hospitium praeparet, nullo peccato vulnerandum, nulla morte secunda laedendum. Et sicut Corpus Christi non restitit unioni cum anima, moxque etiam clauso sepulchro prodivit, linteamina et sudarium deseruit: ita tu noli resistere unioni animae tuae cum Christo per gratiam, perrumpe omnia obstacula progressus spiritualis, exsurge, desere affectuum ligamina, quibus involutus, et in terra sepultus jaces.

Punctum III. Considera, quomodo Christi gloriosa anima corpus suum ingressa, eique rursus unita, mox illud undequaque gloriosum, splendidum, formosum, et vivum reddat; veluti lux crystallo infusa illum efficit micantem et nitentem. Mox omnes corporis sensus suis perfunduntur deliciis, oritur ingens gaudium, admiratio, gratulatio Angelorum ac beatarum animarum praesentium, quae et ipsae similis resurrectionis spe certa laetantur. Vilescant ergo nobis omnia terrena mortalis ac corruptibilis corporis gaudia, omnis laus, omnis honor, omnis plausus. Spe futurae gloriosae resurrectionis laetemur; futura gaudia praesentium contemptu augeamus, eorumque spem nobis certam reddamus. Sit igitur *nostra conversatio in coelis, — unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae* (Philipp. 3, 20 sq.) — Congaudeamus et congratulemur Christo resurgenti; rogemus, ut etiam in nobis, tanquam in membris suis resurgat, et hic quidem in nobis vivat per gratiam, operando in nobis generosos virtutum actus, ut dicere quisque possit: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal. 2, 20); ibi vero vivat in nobis per gloriam. Dignus est enim Christus omni resurrectione, reali et mystica. O Jesu, sicut particulas Carnis tuae, et Sanguinis tui non passus es interire: ita me quoque particulam tui civilis ac mystici corporis ab interitu clementissime serva! — Mystice igitur cum Christo mortuo moriamur peccato ac mundo, et cum illo redivivo in novitate vitae resurgamus! *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? — Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus* (Rom. 6, 2. 4).

Meditatio CL.

(Feria II. Paschae.)

Christus redivivus apparet sanctissimae Matri suae.

Punctum I. Considera, quomodo B. Virgo tempus suae solitudinis transegerit. Vixit illa totum id tempus in summa amaritudine, ut magis de ipsa, quam de alia matre, filio suo viduata, dici potuerit: *Anima enim illius in amaritudine est* (4. Reg. 4, 27). Nec tamen haec tristitia S. Matri virtutum exercitium grave aut molestum reddidit; sed ut tanto constantius in eo perseveraret, effecit. Unde per eos dies tota erat in eliciendis sublimissimarum virtutum actibus, ac praecipue quidem in actibus intensissimi ac ardentissimi amoris erga Deum, pro se, et pro toto humano genere tanta passum; in actibus perfectissimae gratitudinis, firmissimae fidei, ac spei de Filii sui resurrectione, in vehementissimo desiderio brevi videndi Filium redivivum. Nempe quemadmodum olim Anna Tobiae junioris mater (10, 7) *circumspiciebat, et circuibat vias omnes, per quas spes meandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem:* ita B. Virgo interna animi contemplatione per actus fidei, spei, desiderii, obviam progrediebatur revertenti ad se Filio. Si et tu vis a Deo visitari, simili modo te ad divinam visitationem dispone; et cum Deus praesentiae suae solatium ad tempus aliquod tibi subduxerit, similium virtutum exercitio eo magis intentus esto, et reditum illius patienter expecta.

Punctum II. Quemadmodum Tobias Ragueli se diutius detineri volenti (Tob. 10, 9) dixit: *Ego novi, quia pater meus, et mater mea modo dies computat, et cruciatur spiritu eorum in ipsis:* ita hoc ipsum sciens Christus, recta de sepulchro cum suo comitatu venit ad Matrem. Unde ipsa non fuit cum aliis mulieribus summe mane ad sepulchrum venientibus, nec opus habuit dicere: *Adjuro vos, Filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo* (Cant. 5, 8). Recte

etiam factum est, quod illae mulieres ipsam non ad se invitaverint, dicentes: *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? et quaeremus eum tecum* (Cant. 5, 17). Nam respondere jam potuisset: *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi* (Cant. 6, 2). Et: *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum* (Cant. 3, 4). Sicut enim, postquam pro gloria et voluntate Patris sui coelestis exequenda, parentibus cum dolore illum quaerentibus, duodennis se subtraxerat, tertio iterum die se spectandum praebuit: sic multo magis in praemium et solatium doloris, qui instar gladii ipsam animam Matris pertransierat, se illi tertia die resurgens quam primum videndum exhibuit; ut moestissima Mater, quae cum Filio suo sub cruce per illud gladii vulnus mortua, et per amoris conjunctionem sepulta fuerat, ejusdem aspectu iterum reviivisceret; veluti de ejus magno progenitore et Patriarcha Jacob (Gen. 45, 26—28) legitur, — cui cum dictum esset: *Joseph Filius tuus vivit, et ipse dominatur in omni terra Aegypti, etc. Cumque vidisset plaustra, et universa, quae miserat, revixit spiritus ejus, et dixit: Sufficit mihi, si adhuc Joseph filius meus vivit; vadam et videbo illum.* — Sicut autem B. Matris dolor longe fuit major, et fides de reditu ad vitam longe firmior: ita desiderium videndi Filium longe superavit desiderium Jacobi; pietas autem Filii redivivi, ac desiderium Matri se sistendi longissime superavit pietatem ac desiderium Josephi, quo ille patri suo se reddere, ac videndum praebere optavit. Hinc ergo pro tuo solatio et fiducia in Deum disce, scire Deum similiter omnem tuum moerorem, ac dolorem animi; scire omne tuum desiderium, quo ad illum in coelis aliquando videndum aspiras. Unde *veniens veniet, et non tardabit* (Habac. 2, 3), omnem dolorem sua causa toleratum abstergere, et desiderium tuum implere; et sicut eum, qui facit voluntatem Patris sui, matrem suam appellavit (Matth. 12, 50), sic eundem sua visitatione et sui visione recreabit, ut matrem. Disce etiam, quod Christus eos prae reliquis visitet, et gaudiis ac solatiis spiritualibus repleat, qui plus de ejus ignominiis, illusione, dolore, passione ac morte participant, similia patiuntur, et per illorum meditationem assistunt ac

compatiuntur. Ideo S. Paulus (2. Cor. 1, 5) scribit: *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Et (v. 7): *Scientes, quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.*

Punctum III. Considera, quomodo Christus glorioso in corpore ad S. Matrem meditationi intentam summo mane intret, conclave amoena luce, et oculos amoenissimo aspectu, mentem inexplicabili gaudio repleat; et, quemadmodum aliis mulieribus apparens dixit: *Avete!* (Matth. 28, 9): sic Matrem suavissime salutet, et pro primo *Ave* angelico, quo in utero materno conceptus est, reddat per seipsum laetissimum *Ave*, et salutem, quam sua morte et crucis passione promeritus est. Pium enim est credere, iisdem illum ad sanctissimam Matrem suam usum esse verbis, quibus eandem sub cruce stantem allocutus fuerat, eo tamen discrimine, quod tum *mulieris*, nunc *Matris* nomine compellaverit; dixerit itaque: *Ave Mater! Ecce Filius tuus!* Nam sicut, si in cruce *Matrem* compellasset, et de se vulnerato ac lacerato dixisset: *Ecce Filius tuus* —, doloris gladium profundius in animam illius infixisset: sic nunc redditus *Matris* titulus doloris gladium penitus ab anima exemit, et ut in faciem Christi, gloriosi sui Filii respiceret, invitavit. Nec dubium est, quin longum, consolatione plenum, et saepius frequentatum fuerit hoc redivivi Filii cum Matre colloquium; si enim Christus cum duobus illis discipulis, quibus in Emmaus euntibus se adjunxerat, longe tempore conversatus est, eorumque cor ardens reddidit, ostendens, oportuisse haec ipsum pati, et ita intrare in gloriam suam: quis dubitet, eundem cum sanctissima Matre sua frequenter, et longo tempore similia collocutum esse. Perpende itaque ingens gaudium Matris ex isto Filii adventu conceptum, quod illi per hos dies in sacro suo applausu Ecclesia gratulatur, dum canit: *Regina coeli laetare, etc.* Hoc ipsum tu quoque eidem accine, ac stude, ut simile gaudium, et cor ardens in meditatione, per similia cum Christo de passione, et ejus resurrectione colloquia, tibi compares; quibus mereberis, ut te frequenter internis suis consolationibus inviset. Fac etiam, ut B. Mater tua, velut filii sub cruce

sibi commendati, pia ac frequenti conversatione gaudeat, atque adeo, tu jure, et filiali cum fiducia ad eam dicere possis: Ave Mater, ecce filius tuus!

Meditatio CLI.

(Feria III. Paschae.)

De primo piarum mulierum ad sepulchrum adventu. (1.)

Matth. 28, 1 sq.; Marc. 16, 1—5; Luc. 23, 56; 24, 1—3; Joan. 20, 1.

Punctum I. Quamprimum Christus in monumento inspectantibus mulieribus, quae cum Christo venerant de Galilaea, positus fuerat, teste Luca (23, 56) *paraverunt aromata et unguenta, et Sabbato quidem siluerunt* (quieverunt) *secundum mandatum. — Una autem Sabbati* (hoc est Dominica, seu una aut prima die post sabbatum), *valde diluculo (orto* quidem *jam sole,* ut testatur Marcus c. 16, 2, sed nondum plene, adeoque *cum adhuc tenebrae essent,* ut loquitur Joannes c. 20, 1) *venerunt ad monumentum, portantes, quae paraverant, aromata* (Luc. 24, 1). Sic meditatione matutina ad Christum accedendum est. Nempe paranda prius aromata et argumentum meditationis in suas partes distinguendum. Mature e lecto surgendum, ut simul cum aliis meditationem aggrediaris, et Christum summo mane resurgentem (Marc. 16, 9), Sapientiam aeternam, invenias. *Qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit; assidentem enim illam foribus suis inveniet!* (Sap. 6, 15.) — In ipsa meditatione comparata bona proposita etiam sunt aromata et unguenta, quae in eum finem paranda sunt, ut per viam virtutum et perfectionis studium ad Christum accedas. Rursum ipsae virtutes aromata sunt, quae in hac vita parare nobis debemus, ut ea nobiscum portantes, ad Christum veniamus, eundemque nobis velut clementem Judicem deliniamus.

Punctum II. *Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti. Et respicientes viderunt revolutum lapidem, erat quippe magnus valde* (Marc. 16, 3 sq.) Diffidentia sui, conatus infirmitati virium proportionatus, diligentia et constantia nullis difficultatibus absterrita merentur, et faciunt, ut Deus impedimenta et difficultates, quae vires nostras excedunt, per se, vel per Angelos suos removeat. Hae ipsae virtutes efficiunt, ut saepe nullam difficultatem experiamur in iis, in quibus eam maxime verebamur.

Punctum III. Considera modum, quo lapis revolutus est. *Ecce terrae motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de coelo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum* (Matth. 28, 2). *Prae timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui* (ib. v. 4). Ut lapis magnus revolveretur, terrae motus factus est magnus. Sic sine magno conatu et motu animi, magna impedimenta non revolvuntur, magna et inveterata vitia non tolluntur; ut haec ipsa autem tollantur, opus est timore ac terrore, qui venturum Judicem praevertat. Si enim adventus Angeli, removentis lapidem, quodammodo examinavit custodes pessimos: quam terribilis erit adventus Judicis omnia scientis, justissimi, potentissimi? — Neque vero sufficit, lapidem, id est impedimenta, vitia, pravos habitus removisse, sed cum haec fuerint sublata, cavendum est, ne rursum advolvantur. Ideo Angelus hoc praepediturus sedit super lapidem, qui proinde imitandus est. — Adverte, citatis verbis S. Matthaei non adversari S. Lucam, qui, licet c. 24, 4 dicat, duos Angelos apparuisse mulieribus vacuum Christi sepulchrum ingressis, et secus illas stetisse; usus tamen duntaxat est modo loquendi, Hebraeis usitato, qui, teste Cornelio a Lapide, per verbum *standi* omnem situm exprimunt.[1]) Alter itaque Angelus, quem S. Lucas stetisse dixit, is ipse est, quem S. Matthaeus silentio praeterivit, quemque solum S. Marcus (16, 5) expressit verbis

[1]) Hinc alio in loco, nempe c. 7, 35 idem Lucas de Maria Magdalena (quam probabile est ad Christi pedes jacuisse, atque adeo flexis genibus eosdem lavisse, ac tersisse crinibus suis) ait: *Stans retro secus pedes ejus, lacrymis coepit rigare, etc.*

illis: *Viderunt juvenem sedentem in dextris.* De his ergo duobus Angelis, quorum unus extra, alter inter sepulchrum juvenis viri specie sedebat, intelligendus est S. Lucas, cum c. 24, 4 dicit: *Ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti.* Hos duos Angelos imitare, et ut in extremi judicii die ad dextram stare tibi liceat, jam nunc in hac vita, relicto sinistro peccatorum latere, dextrum semper tenere stude. Invigila etiam, ut in veste fulgenti bonorum videlicet exemplorum semper appareas, nec unquam lapidem, et impedimenta virtutis jam amota, rursum revolvi sinas. Quod si autem S. Lucas de aliis duobus Angelis locutus est, ut adeo quatuor Angeli a piis mulieribus in Christi resurrectione visi fuerint (sicut in ejusdem Nativitate, teste S. Luca c. 2, 13 plures apparuerunt: *Facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum);* si inquam, de tanto numero sunt intelligenda verba illa S. Lucae, quibus mulieres de se dicunt: *Se etiam Visionem Angelorum vidisse* (24, 23): etiam hos Angelos imitare, atque cum illis Christo resurrectionem suam gratulare, simulque in aliis quoque gaudium de illa excitare allabora.

Meditatio CLII.

(Feria IV. infra Oct. Paschae.)

De piis mulieribus ad sepulchrum adventantibus. (2.)

(Continuatio.)

Matth. 28, 3—7; Marc. 16, 5—7; Luc. 24, 4—8.

Punctum I. *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus, sicut nix* (Matth. 28, 3; S. Lucas 24, 4: *In veste fulgenti).* Hic aspectus vix non exanimavit custodes, mulieres autem Jesum quaerentes, ad colloquium Angeli audiendum invitavit. Hoc discrimen est inter bonam et malam conscientiam; unde (Sap. 17, 10) dicitur: *Cum enim sit timida nequitia, dat testimonium condem-*

nationis: semper enim praesumit saeva, perturbata conscientia. De habente autem bonam conscientiam et Deum audiente (Prov. 1, 33) legitur: *Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato.* Notandus est aspectus Angeli; talis enim debet esse eorum, qui Christum annuntiant. Vestimentum, sive exterior conversatio debet per candorem innocentiae esse, sicut nix. Si enim Angelus, pro quo Christus mortuus non est, in veste alba Christum annuntiavit: multo magis ille, pro quo Christus mortuus est, debet stolam suam dealbasse in sanguine Agni, et se nuntium Christi demonstrare. — Facies debet per charitatem Dei et proximi micare, *sicut fulgur.* Adverte hic, Evangelistam non dixisse: *Sicut sol.* Iste enim est splendor permanens in corpore luminoso, et denotat charitatem in patria; — sed: *sicut fulgur,* cujus splendor transit etiam per medium vicinum; sic enim charitas, qua quis Deum diligit propter se, et proximum propter Deum, debet in hac vita etiam in proximum refundi, ut ipse quoque inflammetur. — Praeterea debet charitas annuntiantis Christum esse fulgur illuminans simul, et terrens, scilicet ad bonum illuminans, luce doctrinae et boni exempli, et absterrens a malo, divini fulminis comminatione.

Punctum II. Considera verba Angeli ad mulieres: *Nolite timere vos: scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quaeritis* (Matth. 28, 5). Qui solum Jesum quaerunt, et quidem, qui crucifixum quaerunt, illique per imitationem cupiunt conjungi et placere: nihil habent, quod timeant in hoc mundo. Solummodo: *non quaerere Jesum* timendum est. Unde aliud timent mali, aliud boni. Mali timent poenam, sed non timent peccatum; boni timent peccatum, sed non timent poenam. Iste posterior timor filialis est, potiusque est amor dicendus, qui foras mittit timorem. Unde S. Joannes (I. 4, 18): *Timor,* inquit, *non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem; quoniam timor poenam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate.* Alter itaque timor, quo sola poena timetur, servilis est. Hoc si custodes pene exanimati sunt, quid fiet, quando: *Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque*

in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis? (Matth. 24, 27.)

Punctum III. *Non est hic. Surrexit enim, sicut dixit. Venite, et videte locum, ubi positus erat Dominus; et cito euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit* (Matth. 28, 6 sq.). O quoties quaerimus Jesum, ubi quaerere non deberemus? Qui enim praetextu inveniendi Jesum in hac vel illa creatura, in hoc vel illo officio, in hoc vel illo loco, propriam voluntatem sectatur, is quaerit Jesum, ubi non est. Utile tamen est, per meditationem videre, ubi Jesus non sit, ut quaeratur ibi, ubi est. Ideo dicitur: *Venite, et videte, etc.* (l. c. v. 6), et postea dicitur: *Et cito euntes dicite discipulis ejus, etc.* (l. c. v. 7). A meditatione enim et contemplatione exeundum est ad agendum cum proximo, et ad denuntiandum ipsi Christum. Notandum etiam, quod Angelus tantum dixerit, ubi non sit Christus, non autem, ubi sit. Quia Christus non in uno determinato loco invenitur, sed ibi invenitur, ubi ipse se vult inveniri, ejusque voluntas non per Angelos, sed per homines Dei loco nobis praepositos, denuntiatur; unde alius invenit ipsum in hoc loco, in hoc officio, in hac creatura, etc., alius in aliis. Quemadmodum alibi apparuit S. Mariae Magdalenae, alibi S. Petro, alibi aliis fidelibus et Apostolis; sicut etiam alia, et alia forma, et sub aliis, et aliis occupationibus, his illisve se videndum praebuit.

Meditatio CLIII.

(Feria V. infra Oct. Paschae.)

De piis mulieribus ad sepulchrum adventantibus. (3.)

(Continuatio.)

Matth. 28, 8; Luc. 24, 9. 11. 22; Marc. 16, 8.

Punctum I. *Ex exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus* (Matth. 28, 8). Hi duo affectus semper debent esse

conjuncti, et attemperati. Hinc Ps. 2, 11 dicitur: *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Timere enim oportet, ne Deum offendas, et ne tentationi et periculo succumbas; gaudere autem conscientiae integritate, adversitatibus, laboribus, conscientia recte factorum, spe praemiorum, etc.

Punctum II. *Et regressae a monumento nuntiaverunt haec omnia illis undecim, et ceteris omnibus* (qui scilicet erant cum illis undecim). — Luc. 24, 9. In via tamen, antequam ad discipulos Christi pervenissent, non ausi sunt subsistere, vel ulli homini loqui, quia timebant; et hoc sensu inquit S. Marcus (16, 8): *At illae exeuntes fugerunt de monumento; invaserat enim eas timor et pavor, et nemini quidquam dixerunt; timebant enim.* Sic Christus humiliabat discipulos suos quidem apud semetipsos, dum illos, qui Christi resurrectionem annuntiare regibus et populis debebant, per mulierum generositatem in visitando sepulchro, et attestatione resurrectionis suae ostensam, confunderet, atque sic suam illis timiditatem, et obstinatum in neganda fide animum tacite exprobraret; apud externos tamen eorundem honori mulierum pavore consulebat, utpote quae in annuntianda aliis Christi resurrectione non ausae sunt illos praevenire, sed munus publice annuntiandi Christum et resurrectionem ejus Apostolis relinquebant. Ita scilicet Deus solet electos suos apud semetipsos suorum defectuum agnitione humiliare, apud alios vero existimationem illorum defendere, et magnos reddere occultatis eorum defectibus. Admirare suavem Dei in suis ad perfectionem adducendis providentiam. Ex altera vero parte mulieres imitare, ac quemadmodum ipsae Christi resurrectionem annuntiaturae, omnes tum loci, cum personarum circumstantias circumspiciebant, nec prius id exequebantur, quam cum se periculo exemptas, et in securo positas adverterent: sic et tu in functionibus tuis, etiam piis, loci, temporis personarumque circumstantias observa, ac semper propria pericula cave.

Punctum III. *Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis* (Luc. 24, 11). Quid praeterea effecerint verba mulierum, indicat idem

S. Lucas (ib. v. 22 sq.): *Sed et mulieres quaedam ex nostris terruerunt nos, quae ante lucem fuerunt ad monumentum, et non invento corpore ejus, venerunt dicentes: Se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt, eum vivere.* Ex quo patet, propter animi duritiem saepe verba et monita salutis exterius velut deliramenta sonare, ac fructu destitui, nisi Deus intus ad cor loquatur. Patet etiam, licet verbum externum non obtineat fructum intentum, non omni tamen fructu carere; fatebantur enim discipuli, verbis mulierum territos se esse, — non quod Christo Magistro suo inviderent resurrectionem, sed quod sibi inciperent timere propter suam in credendo tarditatem. Itaque nunquam intermittas, salutis monita aliis dare, etiamsi nihil tibi videaris efficere. Tu vero cave, bonas admonitiones, imo internas inspirationes ipsius Dei et Angeli Custodis, pro deliramentis habeas, aut te illis indignum reddas, aut obicem ponas; neque etiam ad personae loquentis imperitiam et vilitatem respicias; non enim quis dicat, sed quid dicatur, videndum est. Attende ideo etiam, ne omnia, quae a piis, praesertim judicio Ecclesiae sanctis mulieribus procedunt, cogitata pro commentis habeas vel contemnas; nam etiam nostris temporibus non raro Deus per mulieres sanctas nobis voluntatem suam annuntiari jussit; humiliter igitur accipe, quomodocunque et a quocunque Dei voluntas tibi manifestetur.

Meditatio CLIV.

(Feria VI. infra Oct. Paschae.)

Petrus et Joannes ad sepulchrum accurrunt.

Luc. 24, 9 sq.; Joan. 20, 2—10.

Punctum I. Omnes quidem discipuli hoc mulierum de Christi resurrectione testimonium audiverunt, — ut affirmat Lucas c. 24, 9, ubi rei gestae seriem sic narrat: *Et regressae* (mulieres, nempe *Maria Magdalene, Joanna, Maria Jacobi, et ceterae, quae cum eis erant,* teste eodem

Luca, v. 10), *a monumento nuntiaverunt haec omnia* (scilicet, quae viderant, et quae audierant ab Angelo splendente instar fulguris, et candido instar nivis) *illis Undecim, et ceteris omnibus,* — qui scilicet cum ipsis erant congregati. Etsi igitur omnes discipuli mulieres Christi resurrectionem annuntiantes audierint: solus tamen Petrus et Joannes accurrerunt ad sepulchrum, ut coram experirentur oculis, quod a mulieribus audierant, idque ipsorum etiam Angelorum testimonio intelligerent; atque adeo majorem certioremque de tanto, resurrectionis videlicet mysterio, et ad salutem tam necessario, cognitionem sibi compararent. Ideo S. Joannes, ne in sui ipsius laudem ceteros negligentiae et incuriae accusaret, non expressit, quod et alii simul fuerint praesentes, et quod unanimi mulierum attestationi sufficiens fides fuisset illis facta: sed solum dixit: *Cucurrit* (solam Magdalenam nominat), *et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum, quem amabat Jesus, et dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus, ubi posuerunt eum* (Joan. 20, 2). Non facit etiam mentionem de visione et testimonio ullius Angeli, sed de se et de Petro pergit, dicens: *Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus praecucurrit citius Petro, et venit prius ad monumentum; et cum inclinasset se, vidit posita linteamina, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita, et sudarium, quod fuerat super caput ejus, etc. Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat prius* (20, 3—8). Haec negligentia plerorumque in tam sancto et apostolico coetu, a S. Joanne, quantum fieri poterat, verecundo silentio involuta, etiam sacris Religiosorum coetibus est etiamnum consueta. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi* (Matth. 20, 16). Pauci adhibent debitam diligentiam, ut rerum coelestium notitiam (quantam per meditationem, lectionem, et propriam experientiam sibi possent, et deberent comparare), et divinorum mysteriorum plenam et fructuosam cognitionem obtineant; pauci Christum imitandi desiderio illum student invenire. Ex ipsis etiam duobus accurrentibus discipulis alter, qui prius

venerat ad sepulchrum, tantum exterius inspexit, et tardius intravit. Sic nempe, qui ab initio alacrius ad Christum inveniendum in via virtutis progressi sunt, imo qui cucurrerunt, et alios anteverterunt, vel prius ad vitam religiosam accesserunt: deinde obiter tantum, et in superficie divina contemplantes, haerent, subsistunt, et ab aliis tardius currentibus, vel serius venientibus se superari et anteverti permittunt; et licet deinde aliorum exemplo amplius progrediantur, et ad ipsum Christum studeant penetrare, contenti tamen sunt sola sepulchri et linteaminum, stigmatibus Christi signatorum, ac sudarii sanguineo sudore imbuti inspectione ac evolutione. Hi Christum nondum inveniunt, neque perseverant, ut inveniant; quia nimirum in linteaminibus Christi vulnera et passionem, in sudario labores et angustias secundum externam apparentiam, et quasi per oculos corporis vident; sed Christum imitandi studio non assequuntur; neque ad internam ejus sanctitatem perveniunt, sed solum in exterioribus quibusdam observantiis, velut linteaminibus, haerent paulisper, ac deinde ab his ipsis recedunt, nec perseverant, donec Christus eos dignetur majoribus auxiliis et gratiis, quibus eum omnino inveniant, et ejus perfectionem ac sanctitatem intellectu penetrent, ac voluntate stringant et amplectantur. Accuratius ergo considera, quid agendum, quid cavendum, et quomodo Christus constanter quaerendus sit, donec inveniatur.

Punctum II. Perpende, quod praedicti duo discipuli sepulchrum apertum, linteamina et sudarium quidem viderint, Angelum tamen non viderint, nec audiverint loquentem: quia unanimis attestatio mulierum, et haec propria oculorum experientia, ac ipsius etiam Christi de sua resurrectione saepius inculcatum vaticinium illis sufficere poterant; atque adeo angelico hujusmodi testimonio nec opus habebant, nec per suam in credendo tarditatem digni erant. Ne tu igitur discipulos hosce imiteris, nec, dum sufficientia, quae a Deo accipis, auxilia negligis, amplioribus auxiliis te indignum reddas; quin potius illorum malo sapere doctus, proprii judicii pertinaciam pone, ac illis, quos Deus ut instructores ac monitores tibi misit, fidem ne denega. —

Disce exinde etiam, actiones inutiles non exercere, sed ante omnia ea facere, quae necessario praestanda sunt, deinde ea, quae utilia tantum et amoena.

Punctum III. *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos* (Joan. 20, 10), scilicet postquam sepulchrum, linteamina, sudarium accurate inspexerant, vulnerum, sanguinis et sudoris vestigia ac insignia relicta contemplati fuerant. Sic nos postquam in meditatione contemplati sumus, quid Christus pro nobis pertulerit et peregerit: mox redimus ad nosmetipsos et ad nostros defectus; non proficimus, non mutamur in alios, non transformamur in Christum, non imitamur ipsius resurrectionem, deserendo nostras imperfectiones, in quibus sepulti jacemus, et linteamina nostrorum habituum, ac consuetudinum vitiosarum, quibus involvimur et constringimur. Noli tu ex istorum esse numero, sed potius stude, ut ex meditatione vitae, passionis et resurrectionis Christi nunquam abeas ad temetipsum, nisi prius Christum inveneris, et assecutus fueris.

Meditatio CLV.

(Sabbato in Albis.)

Christus apparet Mariae Magdalenae. (1.)

Joan. 20, 11—15; Marc. 16, 9.

Punctum I. *Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum, et vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, et nescio, ubi posuerunt eum. Haec cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem, et non sciebat, quia Jesus est. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? quem quaeris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine,*

si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, et ego eum tollam (Joan. 20, 11--15). Circa haec verba in primo hoc puncto considera, S. Magdalenam, veluti typum et imaginem esse animae, cui per desolationem et orationis ariditatem se Deus ac Christus subtraxit, illam quasi orbam ac solitariam relinquens. Quid ergo talis debet agere? 1) Stare debet et perseverare in orationis studio, ac per illud quaerere Christum. — 2) Poenitentiae et doloris lacrymas fundere debet, cum se ob praeteritas negligentias indignam, ac ad videndam rursus Christum indispositam cernit. — 3) Semet per humilitatem et agnitionis suae indignitatis inclinet, ac seipsam tanquam sepulchrum vacuum et inane inspiciat oportet, ut forte deprehendat illos defectus, qui tulerunt Dominum. — 4) Loqui cum Angelo Custode debet, et ex ipso discere, quid factu opus sit.

Punctum II. Considera ulterius praeclarum S. Magdalenae exemplum: quae etiamsi esset in magna tristitia et desolatione, ex nulla tamen creatura, neque ex aspectu et colloquio cum Angelis voluit solatium admittere; unde quamprimum conversa retrorsum aspexit, Christum invenit. O quot nos solatia in creaturis quaerimus, quae nos solari non possunt! Quam multis confabulationibus, non cum Angelis, sed cum hominibus taedium levamus, donec a creatis aversi ad Deum convertamur, et dicere cum Psalmista possimus: *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, et delectatus sum* (Ps. 76, 3). Recedente Deo per subtractionem sensibilis praesentiae ex anima et mente nostra, relinquendus est ipsi locus suus vacuus, nec admittendum, ut ab ulla creatura occupetur; hinc neque Angeli ibi sedere ausi sunt, ubi ipsum Corpus jacuerat, sed solum ad caput, ad pedes, et in priori Magdalenae cum reliquis feminis ad sepulchrum adventu, super lapidem, teste Marco et Matthaeo, et a dextris visi sunt sedere.

Punctum III. Sicut S. Magdalena vidit praesentem Christum, et tamen nesciebat, sed solum experiebatur ejus praesentiam sub specie hortulani: sic saepe putamus, illum a pectore nostro abesse, quia non nisi tentationes, desolationes, et derelictiones percipimus; quia tamen per has ipsas pulchros patientiae, humilitatis, amoris, et aliarum

virtutum flores animae inserit, et in ea plantat, et magnorum fructuum semina spargit, ac vitia eradicat, ideo in specie hortulani nobis apparet; et hoc ipsum utile est, a nobis nesciri pro conservanda humilitate, et inflammando desiderio ac studio quaerendi Christum, ut adhuc dicamus: *Ubi posuisti eum? et ego eum tollam.*

Meditatio CLVI.

(Dominica in Albis.)

Christus apparet Mariae Magdalenae. (2.)

(Continuatio.)

Joan. 20, 16 sq.

Punctum I. *Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa, dicit ei: Rabboni, quod dicitur magister* (Joan. 20, 16). Ecce! quae prius noluit credere resurrectionem Christi, quamvis ille ipse ante mortem suam asseveranter eam praedixerit; quamvis eandem etiam cum aliis feminis ex duobus Angelis, teste S. Luca (24, 6) expresse audiverit, et ab his in memoriam revocatae praedictionis rursum meminerit; quamvis etiam ratio convicerit (sic enim apud semetipsam ratiocinari debebat: Vel Magister meus verum dixit, et sic debeo credere, illum resurrexisse, et esse Filium Dei; vel falsum dixit, et sic impostor est, non Filius Dei; cur ergo ita amo? cur fleo?) — quae, inquam, ad credendam resurrectionem nec Christi vaticinio, nec Angelorum unanimi testimonio, nec validissimo propriae mentis discursu induci potuit: unico vocabulo Magistri praesentis ore prolato mox firmissime credit, eundem redivivum agnoscit, colit, et amat. Sic saepe, quos nulla spiritualium librorum documenta, nulla ducum spiritualium monita, nulla proposita praemia, aut supplicia commovere possunt, unica Dei illustratio in mentem immissa convertit, et in alios homines transmutat. Diffidamus ergo semper nobis ipsis, nihil nobis adscribamus, numquam desperemus; sed omnem in divina bonitate fidu-

ciam ponentes, semper a Deo petamus gratiam et auxilium efficax tam in ordine ad nostram personam, quam in ordine ad proximum, cujus salutem procuramus. Doleamus, quod toties non unico tantum vocabulo, sed multis modis nos vocanti Deo, per homines, per Angelum Custodem, per proprias inspirationes, per collata beneficia, per promissa aeterna praemia, etc. pertinaciter restiterimus. Agamus gratias pro efficaci vocatione ad fidem, ad religionem, ad poenitentiam, ad virtutem. Proponamus deinceps ei etiam unico tantum vocabulo, unico nutu, unica manifestatione sui beneplaciti nos vocanti auscultare, atque adeo dicamus cum Job (14, 15): *Vocabis me, et ego respondebo tibi.*

Punctum II. *Dicit ei Jesus: Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum; Deum meum, et Deum vestrum* (Joan. 20, 17). Circa priora verba perpende causam, quare, cum Magdalena agnito Christo (ut verosimile est) pedes osculari vellet, ab illa prohibita sit, ne ipsum tangeret. Sub his quippe verbis: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum,* — videtur alia causa latere, — cum Christus non tantum ante ascensum ad Patrem, sed etiam ante suam Passionem, et antequam acciperet Corpus gloriosum, permiserit illi sui attactum, — ut in duobus conviviis publicis, quorum Lucas (7, 37 sq.) et Matthaeus (26, 7) meminit, factum esse constat.[1]) In utroque enim lacrymis rigavit pedes ejus, et capillis suis tersit; vel si in posteriori pedes non rigavit lacrymis, saltem oleo pretiosi unguenti unxit, et capillis extersit, teste Joanne (c. 12, 3), ubi narrationem S. Matthaei clarius refert. Eundem sui attractum post resurrectionem permisit eidem Magdalenae, ad alias mulieres redeunti, quando secunda vice de sepulchro revertentibus apparuit Christus in via, teste Matthaeo (28, 9): *Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete; illae autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus.* Quid igitur causae est, quod nunc ad sacri sui corporis attactum Magdalenam non

---

[1]) Alii ad aliam et aliam referunt, non ad eandem mulierem, quae in utroque facto narrantur.

admiserit? Ideo solitariam illam (quam alias ante resurrectionem, et post resurrectionem suam publice, vel cum aliis admiserat) a sui attractu ante ascensionem Christus repulit,[1]) ut daret exemplum nobis (quantumvis a peccato abhorrentibus, et nulli periculo tentationum obnoxiis) caute conversandi cum feminis, sive id in confessionali, sive alias cum solis faciendum esset. — Praeterea quia Christus nondum ascendit ad Patrem suum, voluit futurum suum ascensum cito denuntiari discipulis suis a Magdalena, et sui attactu (quem illi in via proxime cum aliis mulieribus concessurus erat) non diutius ejus denuntiationem retardari, ut illo intellecto in memoriam revocarent, et resurrectionem et ascensionem ipsis a Christo praedictam. Ideo etiam Angelus primo adventantibus mulieribus praecepit (Matth. 28, 7): *Cito euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit: et ecce praecedet vos in Galilaeam, ibi eum videbitis.* Hinc discimus, etiam vitae contemplativae solatia, per quae quasi familiari attactu anima recreatur, amore proximi, ut ei Christum annuntiemus, frequenter relinquere, et mutatos vices patienter ferre, quando Deus incipientibus cum Magdalena conversa majora subinde familiaris conversationis solatia concedit, quam proficientibus, aut jam perfectis.

Punctum III. Ex posterioribus verbis praecedenti puncto relatis disce, quomodo Christus amaverit discipulos; qui, quamvis eo in captivitate sua relicto fugissent, de ejus divinitate et veracitate dubitassent, imo resurrectionem pro deliramento habuissent, tam cari tamen Christo erant, ut iis non tantum per Angelos, sed ipse etiam resurrectionem suam juberet a mulieribus et Magdalena denuntiari. Quin ipsum etiam tempus, quo apud illos per quadraginta dies mansurus erat, prae amoris magnitudine breve illi videbatur; unde non tempore futuro, sed praesenti dixit: *Ascendo ad Patrem meum.* Nec eos discipulos, sed fratres vocavit. Rationem autem sui amoris indicavit per

[1]) Secundum alios interpretes Christus a nimio tantum et diuturno attactu eam prohibere voluit, quasi dixisset: Sine modo, jam satis est. — Fructus exinde similis colligi poterit, ac superius assignatus.

verba: *Ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Sic ergo proximus, quantumvis de nobis male sit meritus, unice diligendus est, quia filius Dei et noster ex eodem Patre coelesti frater est, et quia creatura ac opus Dei est. Ex verbo illo: *Ascendo* in praesenti prolato, quamvis primum post quadraginta dies id futurum erat, admonemur, similiter omnes actiones nostras ad futurum nostrum ascensum dirigere et ordinare, ut similiter jam de facto dicere possimus, nos in coelum ascendere, sicut Christus id dixit; quia, quaecunque quadraginta dierum spatio egit, erant quaedam adornatio, et praeparatio. et inchoatio ascensus in coelum (cfr. Phil. 3, 20).

Meditatio CLVII.

(Feria II. post Dom. in Albis.)

Christus apparet mulieribus in via.

Matth. 28, 9 sq.

Punctum I. *Et ecce Jesus occurrit illis dicens: Avete* (Matth. 28, 9). Istud hoc modo contigit, ut idem S. Matthaeus v. 1. refert: *Vespere autem Sabbati, quae lucescit in prima Sabbati,*[1]) *venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulchrum;* quibus S. Lucas (24, 10) plures adjungit. Cum vero hae vacuum sepulchrum lustrassent, et a se visa, ac narrata ab Angelo ad Christi disci-

[1]) Id est: nocte sabbati elapsi desinente in lucem primae diei Sabbati. Omnes enim dies totius hebdomadis ab Hebraeis Sabbati nomine appellabantur, ultima tamen solemniori ritu et cessatione ab omni labore peragebatur. Unde etiam mulieres pridie parantes aromata, teste Luca (23, 56): *Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum* usque ad lucis ortum in prima die Sabbati, scilicet prima die, quae Sabbati nomen habebat, sive prima die hebdomadis; nam etiam toti hebdomadi tribuebatur hoc nomen. Ideo Pharisaeus (Luc. 18, 12) dicebat: *Jejuno bis in Sabbato,* i. e. in hebdomade.

pulos retulissent, mox ad sepulchrum, animatae duorum discipulorum exemplo, regressae sunt; et ibi necdum invento Christo, viam lento pede relegerunt, subsistente ad sepulchrum Magdalena, et ipsum Christum in forma hortulani spectante, ac mox agnoscente. Qui cum brevi se aspectui subduxisset, Magdalena concito gressu, et plena gaudio socias mulieres assecuta est, et tunc, antequam discipulis redux a mortuis Magister se spectabilem praeberet: *Ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete;* — quia nempe tertio abhinc die in cruce morienti inter alios ejus *notos omnes*, i. e. inter multos *a longe* adstiterant, teste Luca (23, 49), imo quia aliquae earum, ut Joannes inquit (19, 25) *juxta crucem* steterant; et quia mortui venerandum cadaver deduxerant, ac mox aromata et unguenta paraverant ad inungendum illud elapso Sabbati solemni die. Sic Deus et Christus Dominus remuneratur obsequia sibi praestita, et diligentiam in ejus officiis impensam. Verum discipulis in horto Oliveti se captivum deserentibus, de se scandalum accipientibus, in dubitationem de sua resurrectione et fidei abnegationem turpiter prolapsis, testimonia mulierum et Angelorum contemnentibus, — denegavit et distulit suam praesentiam. Sic Deus punit negligentiam in suo obsequio et servitio, ut saepe homines saeculares et rudes ac minus sapientes majorem Dei favorem experiantur, quam Religiosi et specialiter divino cultui dicati, vel docti et sapientes. Ne ergo blandiamur nobis de statu et professione vitae religiosae, vel de sapientia et doctrina; sed caveamus. ne in virtutis studio a multis saecularibus, rudibus, et imperitis superemur, et quod consequens est, in coelestibus favoribus, gratia et praemio illis postponamur.

Punctum II. Considera brevem, sed efficacem illam salutationem: *Avete.* Qua voce salutem et gaudium piis mulieribus Christus precatus, et simul largitus est. Nam postquam perfidum illud: *Ave Rabbi!* — et ignominiosum illud: *Ave Rex Judaeorum!* — pro salute hominum sustinuit; verbum illud *Avete* efficax fuit, et etiamnum est, ut dicere salutem et gaudium. sit etiam dare, et dare sit dicere. Quotiescunque ergo solatium aliquod spirituale in animo percipimus, quotiescunque ad salutem nostram pro-

curandam impellimur, et auxilio gratiae adjuvamur: toties nobis Christus dicit: *Avete!* Itaque etiam opere ipso illi respondeamus, et gratias agamus; gratias autem rependere alias non possumus, quam quarum capax est, honoris scilicet et gloriae, cui in omnibus actionibus studere debemus.

Punctum III. *Illae autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum* (Matth. 28, 9). O quam longe alio animo accesserunt, et tenuerunt eum piae mulieres, quam illi, de quibus S. Matthaeus (26, 50) dixit: *Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum.* Mulierum devotionem et reverentiam imitantur illi, qui digne et devote ad Christum in S. Communione accedunt, et illum apud se per sui custodiam tenent. Illos alteros autem ii imitantur, qui in peccato absque ulla devotione et reverentia ad illum accedunt, et in Missae sacrificio indignis eum manibus tractant, et manus proinde in eum injiciunt. Extra S. Communionem autem ad Christum vivum in via occurrentem accedunt, qui eidem per actualia auxilia gratiae sibi occurrenti, per cooperationem appropinquant, eumque sive pedes ejus tenent, nec eum sinunt a se recedere, sed in omnibus explendo ejus beneplacitum cogunt apud se mansionem facere. Nam ipse apud S. Joannem (14, 23) dixit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

Meditatio CLVIII.

(Feria III. post Dom. in Albis.)

Christus apparet Petro.

Luc. 24, 34.

Punctum I. Postquam S. Petrus viso sepulchro aperto, et linteaminibus positis, Christum non invenerat, sed tamen ex Angelorum attestatione et mulierum relatione resurrexisse, imo Magdalenae ad sepulchrum regressae ac

ibidem subsistenti apparuisse audierat: ab aliis condiscipulis suis secessit, et forsan Magdalenae exemplum secuturus, altera vice solus (S. Lucas enim c. 24, 12. illius solius, non etiam S. Joannis, a quo quidem abstrahere potuit, mentionem facit) ad sepulchrum recurrit, vel in alio solitario loco lacrymis, ob contractam ex trina negatione Christum videndi indignitatem, ac ardenti simul desiderio et amori indulsit; cum ecce tanta humilitate, desiderio et amore permotus, ac cor contritum et humiliatum non despiciens optimus Dominus se illi spectabilem obtulit, atque adeo primis omnium (quantum quidem ex evangelica historia constat) duobus poenitentibus, — ex mulieribus quidem Magdalenae, ex viris Petro apparuit. Sic saepius, qui gravius peccaverunt, majore humilitate et caritate majorum gratiarum ac favorum coelestium se dignos faciunt, quam qui semper tepidi fuerunt et manent. Imitare ergo non illorum peccata, sed humilitatem et caritatem, cum majorem causam habeas te humiliandi, et Deum diligendi propter tuam ingratitudinem, et Dei erga te bonitatem.

Punctum II. Considera, quomodo S. Petrus conspecto Magistro suo ad pedes illius provolutus, mox summo cum pudore et dolore trinam suam negationem Christi, et veram ejusdem de hac praedictionem confessus fuerit, veniamque rogarit: Christus autem ipsum sit consolatus, ac peccatum ei remissum denuntiarit; deinde illum in fide omnium, quae tempore praedicationis suae dixerat, confirmaverit, ostendens, quomodo omnia impleta essent, eaque ipsius Petri experientia comprobans, ut qui oculis suis veritatem illius vaticinii spectaverat, cum diceret Christus (Matth. 16, 22): *Quia oportet eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere.* Haec nunc omnia clare Petrus intuebatur, atque ex brevis passionis exemplo maximo ac perpetuo fructu jam tandem intelligebat, quam juste tum a sapientissimo Magistro, cum ad hoc vaticinium responderet: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc* (Matth. 16, 22), — acri illa objurgatione reprehensus fuerit: *Vade post me, Satana. Scandalum es mihi, quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea, quae hominum* (v. 23). Nec dubitan-

dum est, quin Christus Petro, postquam sua eidem de Passione, scandalo et fuga discipulorum, de proditione Judae, de negatione Petri, de sua resurrectione vaticinia in mentem, ut jam impleta, revocavit, etiam ostenderit, quomodo jam impletae sint Scripturae, ob quas implendas gladium a Petro recondi in vaginam jusserat, dicens: *Quomodo erga implebuntur Scripturae?* (Matth. 26, 54). O quam multo magis cor Petri haec audientis, quam duorum discipulorum in Emmaus euntium, ardens fuerit, dum Christus loqueretur, et aperiret ipsi Scripturas, ut ipse etiam alios discipulos in fide confirmare posset! Ita et tuum cor ex frequenti horum consideratione, veluti si ab ipso Christo tibi dicerentur, exardescat. Cum simili pudore et dolore, sicut Petrus coram Deo agnosce, et confitere tua peccata, et mente recole, quid Christus pro eis passus sit, quomodo omnes Scripturas impleverit simulque tecum ipso delibera, quomodo tu eas, quae ad tuam directionem scriptae sunt, et vel tribulationes multas justorum praedicant (Ps. 33, 20), vel agenda praecipiunt vel consulunt, implere velis.

Punctum III. Considera, quomodo Christus post familiare cum Petro colloquium illi his repetitis verbis valedixerit: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu conversus, confirma fratres tuos* (Luc. 22, 32). Quanto ardore autem Petrus ex hoc colloquio et adhortatione recesserit, quanto verborum pondere haec omnia retulerit, Scripturas exposuerit, ex effectu patet: condiscipuli enim, qui saepius iterata mulierum, et Angelorum de Christo redivivo testimonia pro deliriis habuerant, eaque coram duobus ex Emmaus redeuntibus discipulis nec allegare dignati fuerant, audito tamen Petro crediderunt, dicentes: *Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni* (Luc. 24, 34). Talis ardor et vis dicendi concipi a nobis debet per meditationem, et pia cum Deo colloquia. Sic ex meditatione et contemplatione, ad praeclara agenda cum proximo surgere et recedere nos oportet.

Meditatio CLIX.

(Feria IV. post Dom. in Albis.)

Christus apparet duobis discipulis euntibus in Emmaus. (1.)

Marc. 16, 12; Luc. 24. 14—24.

Punctum I. *Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus, quae acciderant. Et factum est, dum fabularentur, et secum quaererent, et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?* (Luc. 24, 14—17). Ex his verbis patet, hos duos Christi discipulos, non quomodocunque, sed magno cum affectu compassionis et tristitiae de Magistri sui Passione locutos esse, ut neque ambulatio animum distrahere, et ab intensione tristitiae relaxare posset. Sic Christi Passio animo recolenda est, ut Christo ex animo compatiamur, et nec ambulatio, nec alia res in hoc mundo animum nostrum ad vanum aliquod et inane gaudium impellere queat. Quis enim vel de cibo aut potu, aut alia corporis voluptate gaudeat, ideoque in eadem quietem animi quaerat, memor, Christum sua causa felle et aceto potatum esse, non ad extinguendam, sed ad acuendam sitim? Quis Deo pendenti in patibulo voluptati operam dabit? Quis honore oblectetur, cogitans Christum satiatum opprobriis, spretum ab Herode, et exercitu ejus? illusum a gentibus et Judaeis, cujuscunque conditionis hominibus? De hac igitur Passione libenter loquendum, et libenter meditandum, quia Christus tunc appropinquat, et cor ardens efficit. Ab illis vero colloquiis abstinendum, per quae Christus fugatur, et de quibus ratio aliquando danda erit quaerenti Deo: qui fuerint hi sermones, quos contulimus ad invicem? Quid respondebimus, si non nisi vani, otiosi, queruli fuere, et ad detrahendum

aliorum bonae existimationi ac famae, ad proprium honorem ac laudem captandam instituti?

Punctum II. Considera, Deum non tantum esse semper nobis propinquum, verum etiam intime praesentem; quamvis in hac vita oculi nostri teneantur, ne eum agnoscamus. Nihil ergo cogitare, dicere vel agere audeamus in ejus praesentia, quod ipsi displiceat, vel saltem non placeat. Non tantum autem est Deus nobis praesens per essentiam suam, sed quando non sumus constituti in peccato mortali, est etiam praesens per gratiam sanctificantem; propter plurimas tamen utilitates tenentur oculi nostri, ne eum certo et infallibiliter agnoscamus. Hinc Ecclesiastes (9, 1) ait: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.* Ex effectu tamen satis colligere possumus ejus praesentiam: quando nimirum intellectus noster simili modo illuminatur, et cor nostrum ardens redditur, sicut hi gemini discipuli explicatione Scripturarum quoad intellectum fuerunt illuminati, et quoad voluntatem accensi; et ideo per animi reflexionem Christi praesentiam deinde agnoverunt. Haec ergo Dei per gratiam nobis praesentis indicia semper in nobis retinere studeamus; sic enim semper cum Domino erimus, non tantum in hac, sed etiam in altera vita (1. Thess. 4, 16).

Punctum III. Expende elogium, quod unus ex duobus his discipulis, nempe Cleophas, Christo dedit: *Fuit vir propheta, potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo* (Luc. 24, 19). Hoc elogium nostra cum hominibus conversatione promereri nobis debemus, ut imprimis opere, nempe exemplo, et vitae sanctitate simus potentes ad persuadendum, et sermone non leves, non vani, — sed semper proximum ad majora et meliora impellamus utili ac pio sermone, unice cupientes placere Deo, ac prodesse proximo. Sic enim etiam nos ipsi erimus potentes opere et sermone coram Deo et omni populo.

Meditatio CLX.

(Feria V. post Dom. in Albis.)

Christus apparet duobis discipulis euntibus in Emmaus. (2.)

(Continuatio.)

Luc. 24, 25—27.

Punctum I. *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae!* (Luc. 24, 25). Seria ac gravis haec fuit reprehensio, sed tali suavitate ac sinceritate prolata, ut reprehensi prudenter aegre ferre non possent, imprudenter autem aegre ferre non vellent. Ex Christi itaque exemplo disces, qua discretione, amore et efficacia proximum quandoque oporteat corrigere; ex discipulorum autem exemplo disce, verba subinde aspera, et ad speciem contumeliosa mansuete et pacate ferre, si e. g. indoctus, imprudens, simplex, tardus ingenio, etc. dicaris; praesertim si a Superiore, Christi locum tenente, asperius reprehendaris. Quod si illi reprehensi scivissent, sub specie et persona peregrini secum ambulantis, et reprehensionem asperam inferentis, adesse ipsum Christum, a mortuis redivivum: quanto minus motus impatientiae in animo suo permisissent exurgere, aut offensam et indignationem prodere, aut paribus verbis reddere ausi fuissent? Cogita ergo et tu, quod sub illius persona, cujus verbis laesus fuisti, lateat Christus; et quod, nisi patienter laedentem feras, per impatientiam tuam, iram vel indignationem, vicissim Christum laedas et offendas; ipse enim tam de bono, quod proximo exhibemus, quam de malo, quod inferimus, dixit (Matth. 25, 40): *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Et (v. 45): *Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Sic David in Semei sibi maledicente, Deum intuitus est, dicens (2. Reg. 16, 10): *Dimittite eum, ut maledicat. Dominus enim praecepit ei, ut malediceret David; et quis est, qui*

audeat dicere, quare sic fecerit? Nempe Dominus Deus non tantum permisit, sed etiam dispositiones, et ut Scholae loquuntur, actum primum proximum (sine intentione tamen ipsius peccati) posuit, linguam movit, etc.; et hoc sensu dicitur: *Praecepit ei.*

Punctum II. *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* (Luc. 24, 26). Nempe *oportuit*, quia Deus Pater decrevit, non aliter dare Filio naturali gloriam corporis (quae eidem alias, secluso opposito Dei decreto, tanquam ex asse haeredi omnium paternorum bonorum, et ratione sanctitatis infinitae et generationis divinae jus increatum habenti, debita erat), — et exaltationem Nominis, et salutem generis humani, aliaque praemia ad gloriam Christi spectantia. Et quidem oportuit, haec ac tanta pati; tantam confusionem, ignominiam, opprobria, tristitiam usque ad mortem, desolationem et derelictionem paternam, flagella, spinas, colaphos, clavos, crucem et mortem et sic intrare in gloriam non alienam, sed suam, i. e. dicto modo debitam, et ab aeterno praedestinatam. Si igitur oportuit pati Christum, oportet etiam pati Christianos, — quia, ut ipse inquit, et hoc ipsum argumentum confirmat (Matth. 10, 24): *Non est discipulus super magistrum, nec servus super Dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit, sicut magister ejus, et servo, sicut Dominus ejus.* Itaque oportet nos pati, quia Pater coelestis, nostri amantissimus, vires et robur liberalissime suppeditans, ita vult; — *nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui* (Rom. 8, 29); et quia Filius Dei naturalis suo exemplo et suo merito imitationem et gratitudinem ejusmodi exigit; et quia sic in gloriam non aliunde debitam, sed alienam, imo in ipsam gloriam Christi intrabimus, teste Paulo (Rom. 8, 17): *Cohaeredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* Et quidem modica passio, — (non enim exigitur, ut haec, quae Christus passus est, sustineamus), sive, ut rursum S. Paulus inquit (2. Cor. 4, 17): *Id, quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.*

Punctum III. *Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant* (Luc. 24, 27). Si ergo Christus potuit ostendere, omnes Scripturas, quantumcunque horribilia de se vaticinantes, fuisse a se usque ad ultimum jota, et ad ultimum apicem impletas patiendo: impleamus et nos Scripturas, quae de nobis sunt. De nobis autem sunt: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum, et sustine* (Sir. 2, 1 sq.). Item: *Sustine sustentationes Dei, conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum et argentum; homines vero receptibiles in camino humiliationis, etc.* (ib. 2, 3 sqq.). *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* (Job 14, 1). *Multae tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus* (Ps. 33, 20). *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (Act. 14, 21), etc. Tales Scripturae habentur innumerae, a nobis implendae. Itaque conclusio jam facta est (Hebr. 10, 36): *Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit, etc.* Ecce solatium! Modicum est, et breve, quidquid in hac vita perpetiendum est.

— —

Meditatio CLXI.

(Feria VI. post Dom. in Albis.)

Christus apparet duobus discipulis euntibus in Emmaus. (3.)

(Continuatio.)

Luc. 24, 28—35.

Punctum I. *Et ipse finxit, se longius ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et intravit cum illis* (Luc. 24, 28 sq.). Sic Deus fingit et simulat, quasi a nobis vellet recedere, quando permittit nos tentari, et metum nobis injicit, ne per consensum in peccatum ab ipso separemur. Hoc autem facit, ut tanto magis illum rogemus, et per propriam de nobis diffidentiam, ac confidentiam in ipsum, cogamus eum, dicentes: *Mane nobiscum, quia advesperascit, et inclinata est jam dies,* — i. e. quoniam mens nostra incipit per tentationem obtenebrari, et inclinari ad noctem peccati; — vel advesperascit, et inclinata est jam dies vitae nostrae, quia ad mortem appropinquat; ideo rogamus: Ne nos deseras, aut separari a te sinas. Cum his tam amice cogentibus intrat Deus, quia ipse dicit (Apoc. 3, 20 sq.): *Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et coenabo cum illo, et ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo.*

Punctum II. *Et factum est, cum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum: et ipse evanuit ex oculis eorum* (Luc. 24, 30 sq.). Sic oculi mentis nostrae aperiuntur, cum ardente corde, et vehementi desiderio Christus in sacra Eucharistia amice cogitur ad nos intrare, panem coelestem nobis benedicere (i. e. coelestem benedictionem, et gratias in illo nobis communicare), eundem frangere (i. e. immensam suam Majestatem ita quasi

imminuere, et in unius Hostiae fragmentum contrahere, ut eam intra nos ipsos per sacram Sumptionem recipere possimus). Similiter oculi nostri aperiuntur, quando tempore meditationis nobis porrigit panem verbi divini, procedentis de ore Dei, praesertim si is diligenti praeparatione nobis prius frangatur, et auxilio divinae gratiae benedicatur.

Punctum III. *Et ipse evanuit ex oculis eorum; et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem, etc. Et ipsi narrabant, quae gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis* (Luc. 24, 31—35). Sic quamvis Deus solatia interna et sensibilem praesentiam, tempore orationis perceptam, paulo post iterum subtrahat, atque hinc ardor ille cordis remissior esse incipiat: animus tamen per illius memoriam ad priores affectus excitandus et reducendus est, ac ita disponendus est, ut, cum ab orationis ardore ad proximum redierimus, eidem quoque Christum annuntiare, et, quas ipsi in meditatione veritates prius agnovimus, aliis communicare possimus. Praeterea colligere licet ex hoc Christi cum discipulis colloquio, quantam vim habeant pii, quos de rebus divinis inter nos invicem instituimus, sermones; quemadmodum enim hi discipuli, ut ipsimet testantur, divini amoris igne exaestuabant, cum Christum Scripturas aperientem audirent: sic et nos per pia colloquia incalescemus, et ad alacrius in via virtutis pergendum inflammabimur. Explora, an cor tuum auditione, lectione, aut meditatione Sacrae Scripturae ita incalescat, si aeque ac prius fuerat, tepidum advertis, causas inquire, et cognitas tolle.

Meditatio CLXII.

(Sabbato ante Dom. II. post Pascha.)

Christus apparet discipulis, absente Thoma. (1.)

Luc. 24, 36; Joan. 20, 19—21.

Punctum I. *Dum autem haec loquuntur* (dum nempe duo ab Emmaus reversi, visionem suam Apostolis narrant), *stetit Jesus in medio eorum* (Luc. 24, 36). — *Cum ergo sero esset die illo, una Sabbatorum, et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Judaeorum, venit Jesus, et stetit in medio* (Joan. 20, 19). Etiamsi Jesus summo mane a mortuis resurrexerit, et optasset, mox revisere discipulos: propter deficientem tamen fidem, et dispositionem cordis illorum totus dies fuit insumendus in mittendis nuntiis, et praeparando corda ad fidem; missae enim sunt primo mulieres afferentes testimonium Angelorum de resurrectione Christi et apertione sepulchri; missi sunt Petrus et Joannes, testantes de verbis mulierum; missae iterum mulieres et Magdalena, referentes suas visiones et verba, quae Christus ipsas nuntiare jusserat; missus denique Petrus, qui suam quoque visionem in medium afferebat, et aliquam ab illis fidem obtinebat, sed adhuc imperfectam; missi denique duo ab Emmaus reduces, sed teste Marco (16, 13): *Nec illis crediderunt:* id est, tantam fidem non adhibuerunt, quantam post tot ac tanta testimonia adhibere debuissent. Ideo mox subjungit idem Evangelista: *Novissime* (i. e. *cum sero esset die illo,* — et post omnes alias apparitiones, eodem die factas) *recumbentibus illis undecim*[1]) *apparuit; et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiem cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt* (Marc. 16, 14). Ex quo patet, hujus in revisendis discipulis suis morae, atque adeo tam seri adventus causam non fuisse Christum, sed ipsos Apostolos,

[1]) Licet enim Thomas abesset, tamen coetus Apostolorum dicitur coetus *undecim* Apostolorum.

ad quos Christus quidem venire voluit, cum exteriores aedium fores essent clausae, non tamen, cum interiores quoque cordis fores sibi occlusae essent. O quoties Christus dicere etiam de me potuit: *Ecce sto ad ostium et pulso, si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et coenabo cum illo, et ille mecum* (Apoc. 4, 20). Quot nuntios mihi misit? Quoties petiit ipse sibi aperiri januam, loquens, imo clamans mihi ad cor? Quot diebus, mensibus, imo annis non aperui? Quot Angeli Custodis impulsus, hominum et librorum spiritualium monita, Dei inspirationes neglexi, donec aperirem? Vel forsitan adhuc nondum aperui? Forsan adhuc nondum per amorem Dei super omnia cor illi reservari, remoto pessulo peccati, vel inordinati affectus erga creaturas? Aperiam illi itaque internas fores cordis, et clausas relinquam fores externas sensuum exteriorum propter metum Judaeorum, i. e. inimicorum Dei, et animae meae, qui per sensus negligenter custoditas intrant. Unde non unius tantum hae lacrimae sunt: *Oculus meus depraedatus est animam meam. Venatione ceperunt me, quasi avem inimici mei gratis* (Thren. 3, 51).

Punctum II. Considera, quod cum discipuli Christi essent congregati, Jesus steterit in medio eorum. Sic in communitate nemini debemus esse magis propinqui et conjuncti, sed in medio stare, et omnes aequaliter amare, omnibus aequaliter nos communicare: id, quod maxime etiam Superiores debent observare erga suos subditos, sicut Christus erga suos discipulos. Attende etiam, quam in communi coetu sancta esse debeat conversatio tua; quia Christus semper in medio se adstare testatur (Matth. 18, 20): *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Punctum III. *Et dixit eis: Pax vobis* (Joan. 20, 21). Et paulo post, ut rei et effectus magnitudo magis appareret: *Dixit eis iterum: Pax vobis* (v. 21). Nota, Christum in via mulieribus apparentem dixisse: *Avete!* (Matth. 28, 9); nunc vero in domo coetui discipulorum apparentem dicere: *Pax vobis!* Hoc enim maxime in communitatibus curandum est, ut omnes pacifice inter se vivant. Hinc

(Matth. 10, 13; Luc. 10, 5) discipulis suis praecepit, ut domum intrantes illi pacem precarentur. Apud Lucam (10, 5 sq.) Christi verba ita habent: *In quamcunque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur.* — Neque vero Christus hoc praecepit tantum, sed suo etiam exemplo praeceptum confirmavit. Esto igitur et tu filius pacis, ne pax, quam in persona discipulorum cuivis coetui Christus precatus est, ad ipsum revertatur. Eris autem filius pacis, si tibi bene conveniat cum Superioribus, si tuum judicium et voluntatem illis subjicias, non contradicas, non murmures, etc.; si aequalium tuorum neminem verbo, aut facto, sive praesentem, sive absentem laedas, omnibus libenter gratificeris, illis deferas, etc.

Meditatio CLXIII.

(Dominica II. p. Pascha.)[1])

Christus apparet discipulis, absente Thoma. (2.)

(Continuatio.)

Joan. 20, 21. (Pax vobis.)

Punctum I. Sicut, quando aquae diluvii subsederant, et ira divina vere universali sceleratorum hominum interitu placata est, Noë (Gen. 8, 10 sq.) *dimisit columbam ex arca. At illa venit ad eum, ad vesperam, portans ramum olivae, virentibus foliis, in ore suo:* sic finito diluvio sanguinis, a Christo in Passione sua ex omnibus venis ac membris, praesertim ex quinque vulnerum magnis fontibus profusi ad eluendam infinito ejus valore terram, — et ira coelestis Patris penitus placata, — venit Christus ad discipulos suos ad vesperam, portans ramum olivae in ore suo,

---

[1]) Cfr. Med. 346. (II. tom.): Christus ostium ovilis et pastor ovium.

nimirum pacis Deum inter et homines, quam Angeli in Christi nativitate vatidico carmine accinuerunt, et Christus mediator a se novo et aeterno foedere initam, ore suo denuntiavit. Perpende ergo, quanti constiterit utraque irae divinae placatio, et pacis reparatio; quanti proinde aestimanda, et quam solicite sit conservanda pax cum Deo. Hanc pacem Christus nobis in cordis conclavi annuntiat, quoties testimonium habemus bonae conscientiae: hanc precatur nobis, hanc singulariter commendat. Hanc pacem apprecatur nobis Apostolus (Philipp. 4, 7): *Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.* Consistit autem in gratia et amicitia cum Deo, et in omnimoda conformitate nostrae voluntatis cum divina. *Quis restitit ei, et pacem habuit?* (Job. 9, 4).

Punctum II. *Pax vobis!* — Quia pax cum Deo stare non potest, nisi etiam pax cum quovis homine nobis firma sit: *Si quis enim dixerit: quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est* (1. Joan. 4, 20). Ideo pax a Christo discipulis dicta, etiam de pace cum proximo intelligenda, et praecepti instar servanda est, quam specialiter illis commendavit (Joan. 13, 34 sq.): *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* — Hanc pacem non tantum discipulis, sed omnibus fidelibus Christus a Patre suo coelesti in ultima coena exoravit (Joan. 17, 20 sq.): *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, etc.* Nihil ergo est admittendum a te, quod huic paci, caritati et unioni officere possit, quidquid autem potest eam promovere ac firmare inter te et alios, vel alios inter se, id nulla ratione omittendum.

Punctum III. *Pax vobis!* — Tertia pax a Christo discipulis dicta, est pax proprii cordis; unde inquit (Joan. 14, 27): *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Hanc pacem possidet imprimis bona conscientia: *Pax multa diligentibus legem*

tuam (Ps. 118, 165); deinde voluntas rebellium passionum victrix ac domina: *Unde bella et lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris?* (Jacob. 4, 1). *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, etc. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. 7, 23 sq.). *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris* (Matth. 5, 29).[1])

Meditatio CLXIV.

(Feria II. post Dom. II. p. Pascha.)

Christus apparet discipulis, absente Thoma. (3.)

(Continuatio.)

Luc. 24, 36—43.

Punctum I. *Ego sum, nolite timere. Conturbati vero et conterriti, existimabant, se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra?* (Luc. 24, 36 sqq.). Ecce! non tantum pacem inter seipsos discipulis suis Christus precatus est, sed etiam internam pacem et tranquillitatem cordis, secluso intestino metu, et cogitationum inquietudine. Iste est effectus praesentiae Christi, ut qui Christum secum habet, nihil timeat, dicereque possit: *Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es* (Ps. 22, 4). Illi vero habent, quod sibi timeant, a quibus Christus elongatus est, et per peccatum repulsus; hi enim dicere coguntur: *Ut quid Domine recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione?* (Ps. 10, 1). Considera etiam discrimen inter cogitationes, quae *ascendunt in corda*, et quae *descendunt:* terrenae enim ascendunt, et turbant cor humanum; coelestes vero descendunt, et

[1]) Vide: Thom. Kemp. l. 3. c. 23. et 25.

pacatum ac quietum reddunt. Ne ergo sis inter illos, quibus propter varias curas et metus terrenos recte dicitur: *Quid turbati estis?* et de quibus, utpote terrena sapientibus, Jacobus ait in epistola sua (3, 15): *Non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, etc.* Idem vero Apostolus (l. c. 1, 17) scribit: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*

Punctum II. *Videte manus meas, et pedes meos, quia ego ipse sum; palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes* (Luc. 24, 39 sq.). O quam familiariter agit Christus cum suis electis? Quam sui claram cognitionem illis communicat, ut videant, et quasi manu palpent pedes et manus ipsius? Pedes nimirum, quomodo torcular Passionis soli calcaverint (Is. 63, 3), et quam speciosi pedes fuerint evangelizantis pacem (Rom. 10, 15; Is. 52, 7), pertranseuntis, et sanantis omnes (Act. 10, 38). Manus etiam: quid nempe pro salute nostra egerint, quanta beneficia in nos liberalissime erogaverint. Sic etiam, quando nos resurgemus, Christo debebimus ostendere nostras manus, quod boni in ipsius gratiam egerimus; et pedes, quomodo in virtute et via mandatorum Dei progressi fuerimus.

Punctum III. *Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus prae gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis* (Luc. 24, 41—43). Quantis indiciis fuit opus, ut ad credendum difficiles discipuli tandem fidem a dubitationibus liberam darent suo Magistro? Quantis etiam dignatus est, eam illis persuadere, ut sic etiam ipsi aliis tarde sibi fidem daturis compaterentur, et nullo labore fatigarentur in evincenda fide gentilium et Judaeorum? Sic ergo et nos consideratis nostris defectibus compatiamur alienis, et in iis tollendis simus indefessi. Christo autem discipulorum exemplo frugalem coenulam apponamus, piscem videlicet assum, quo tribulationes nostrae et adversa, vel sponte suscepta, vel a Deo immissa signi-

ficantur, — et favum mellis, per quem prosperitas hujus vitae in Dei gratiam contempta intelligitur, — ac rogemus ut coenet ipse nobiscum, et nos cum ipso, dignetur que nobis dare ciborum istorum reliquias, praemia scilicet et bona coelestia, ac solatia spiritualia, quae ex adversitatibus et contemptis hujus vitae dulcibus ac prosperis nobis relinquere solet. Imitemur denique Christum Dominum in eo, quod prius ipse manducaverit coram discipulis, et sumens reliquias dederit eis. Sic nos prius debemus refici cibo spirituali, et justitia (quam esurire oportet) satiari ac repleri coram eis, quibus exemplo praeire tenemur; proximum vero nostrum debemus pascere reliquiis, i. e. reliqua cura, qua sine detrimento propriae perfectionis pascere illum possumus.

Meditatio CLXV.

(Feria III. post Dom. II. p. Pascha.)

Christus apparet discipulis, absente Thoma. (4.)

(Continuatio.)

Luc. 24, 44--46; Joan. 20, 21 sqq.

Punctum I. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die* (Luc. 24, 45 sq.). Sic etiam nos intelligamus Scripturas, quae nos oporteat pati, ut earum sensum percipiamus; ut scilicet sapiamus, quae Dei sunt, non ea, quae hominum, qui pati refugiunt, quia nesciunt sensum Dei; — quantum nempe Deo placeat, et nobis prosit tam ad praemium, quam ad satisfactionem pro culpis, adversa in illius gratiam fortiter sustinere.

Punctum II. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Joan. 20, 21). — Pater autem misit me ad labores, ad contemptum et ignominias, ad crucem et mortem. Ad haec ergo patienda

mittimur et nos; et licet mors ab aliis nobis non inferatur, eam tamen ipsi nobis inferre debemus, et mundo mori mortificantes omnia membra nostra, ut S. Paulus (Coloss. 3, 5) inquit: *Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram.* Verum sicut proxime citatis verbis (Luc. 24, 46): *Oportebat pati Christum,* — mox additur: *Et resurgere tertia die* (quae est consueta appendix, quotiescunque Christus discipulis suis, quae passurus esset, praedixit): ita et nos meminerimus, resurrecturos nos, ut recipiat unus quisque, prout gessit in corpore suo (2. Cor. 5, 10).

Punctum III. *Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Scriptum Sanctum; quorum remiseritis, peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (Joan. 20, 22 sq.). Vide, quanta potestas, et quomodo Apostolis omnibusque Sacerdotibus a Christo sit collata, postquam (ut non est dubitandum) etiam illorum cor amore et contritione ardens reddiderat, cum loqueretur et aperiret illis Scripturas. Sic enim dispositis, et a peccato infidelitatis prius purgatis, contulit potestatem Sacramenti Ordinis ad dimittenda hominibus omnia peccata; et cum hac potestate contulit illis gratiam Spiritus Sancti, qua fierent idonei ministri tàntae potestatis. Quanta pro tanto et tam facili remedio omnium peccatorum debetur divinae misericordiae, meritis et institutioni Christi, qui naturam nostram humanam ejusque indigentiam perspectissimam habuit, gratitudo a nobis miseris peccatoribus? — Quam nos peccatores vicissim debemus esse faciles et proni ad remittendas Dei amore omnes offensas, a proximo nobis illatas? — Quam reverentes decet nos esse erga statum sacerdotalem? Quam prudenter, diligenter et libenter sacerdotes debent fungi munere suo, et potestate a Christo tam liberaliter ipsis concessa, et quo fervore curare debent monitum Apostoli (2. Tim. 1, 6): *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum?*

Meditatio CLXVI.

(Feria IV. post Dom. II. p. Pascha.)

Incredulitas Thomae.

Joan. 20, 23—25.

Punctum I. *Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus* (Joan. 20, 24). Sicut S. Petro profuit, a condiscipulis adhuc non credentibus recessisse (tunc enim ipsi soli apparuit Christus): ita, postquam ex apparitione S. Petro facta reliqui nonnihil confirmati sunt in fide, dicentes: *Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni* (Luc. 24, 34), abfuit Thomae a fideli et electa communitate recessisse, quominus et ipse videret Christum, et communi favore frueretur. Itaque sicut bonum est, non sequi communes aliorum defectus: ita malum, deflectere a communitate, in nomine Christi congregata, a communibus nempe Religionis exercitiis, quae in nomine Christi ab omnibus peraguntur; — quando e. g. communis meditatio, discussio conscientiae, vel alia ejusmodi obedientiae communia opera exercentur; haec enim recessio a communitate multo magis nocet, quam sola localis secessio, qualis fuit Thomae.

Punctum II. *Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum* (Joan. 20, 25). Quibus verbis ingens suum gaudium de viso Domino testati sunt, quando per diei decursum dispositis illorum animis, cum sero esset die illa, una Sabbatorum venit Jesus. Hîc cogita, quantum illud sit futurum gaudium, quando die vitae nostrae transacta, dispositi ac digni per fidem caritate formatam redditi, non tantum brevissimo tempore, nec tantum mortalibus oculis, nec solam Christi humanitatem, gloriam adhuc abscondentis; sed aeternam oculis mentis Deum, ac immortalibus oculis Corporis Christi humanitatem in gloria sua contemplabimur. Nempe: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* (1. Joan. 3, 2). Ad hoc gaudium obtinendum, mox addit

(v. 3): *Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut ille sanctus est.* Considera, quam merito Thomas vehementer dolere debuisset, quod non etiam ipse viderit Dominum. Quantus autem erit ille dolor aeternum excludi a visione Domini, et scire, ab aliis videri Deum a facie ad faciem? Ne ergo separas te a coetu sanctorum, ut cum iis in aeterna beatitudine semper dicere possis: *Videmus Dominum.*

Punctum III. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam* (Joan. 20, 25). Gravis fuit haec pertinacia proprii judicii, omnium aliorum condiscipulorum unanimi testimonio, et certae oculorum experientiae constanter repugnantis: gravis propriae voluntatis pervicacia, praescribentis ipsi Christo modum, quo solo non posito recusat parere obliganti ad fidem; gravis praesumptio, qua admitti ad sacratissimorum vulnerum familiarem attactum voluit. Qui tali modo a communi conversatione in religioso coetu recedit; qui omnibus contradicit; qui superiores vult, ut suae se voluntati accommodent; qui speciales etiam Dei favores praesumptuose affectat; qui non contentus est communi Deum videndi modo, per meditationem videlicet, sed ambit indebite eundem contrectare per contemplationem: is profecto indignus est, ut videat Christum. Imitanda tamen esset Thomae obstinatio, quando detrahitur fammae proximi; tunc enim defectus proximi, quos ipsi non vidimus, nec manu palpavimus, laudabiliter non creduntur.

Meditatio CLXVII.

(Feria V. post Dom. II. p. Pascha.)

Christus apparet discipulis, praesente Thoma.

Joan. 20, 26—29.

Punctum I. *Et post dies octo iterum erant disciduli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus januis*

clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis (Joan. 20, 26). Ecce pertinacia Thomae, et dilatio emendationis causa fuit, ut octo diebus negatus ipsi fuerit Christi resurgentis aspectus, qui aliis omnibus primo die concessus est. Sic contingit homini peccatori differenti poenitentiam. Ne itaque tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem tui emendationem; ea enim posita mox aderit Christus stans in medio cordis tui, veluti centrum illius, ad quod omnes tui affectus tendant; et pacem suam relinquet, et quidem, ut ipse (Joan. 14, 7) inquit; — *Non quomodo mundus dat,* — qui non dat veram et stabilem pacem; is enim dicit: *Pax, cum non esset pax* (Is. 8, 11), nempe ubi est inquietudo conscientiae, et rebelles concupiscentiae militant in membris nostris (Jacob. 4, 1). Cum S. Thoma hic etiam per experientiam disce, quam sit: *Bonum et jucundum habitare fratres in unum* (Ps. 132, 1), scilicet per nullam dissensionem vel singularitatem a communi vita et caritatis conjunctione recedere. Tunc enim Christus se praesentem exhibet, et pacem impertit.

Punctum II. *Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum* (Joan. 20, 27). O quantus favor oblatus est Thomae! Datum est ipsi a Christo, quod petiit. Petamus nos plus, et dabitur nobis. Dicamus: *Intra vulnera tua absconde me!* Et respondebitur nobis ex Cantico (Cant. 1, 14): *Surge, amica mea, speciosa mea, et veni; columba mea in foraminibus petrae.* Habent vulpes suas foveas, volucres coeli suos nidos (Matth. 8, 20), — nos in vulneribus Christi habitemus, ea semper meditando, ad ea refugiendo in omnibus periculis et necessitatibus. — Deinde considera, quanta reverentia, timore, poenitudine suae infidelitatis Thomas sacra vulnera tetigerit, si tamen ausus est tangere. Sic ergo tangas Christum in s. Communione; sic in Sacrificio Missae tangas sacram Hostiam. Adverte, Christum reliquis discipulis non amplius dixisse: *Palpate, et videte!* sed hunc favorem soli Thomae obtulisse, quia videlicet reliqui eo non amplius indigebant. Sic post conversionem Deus saepe subtrahit quaedam solatia et devotionem in sensus redundantem. Ne tu igitur, si tibi eam

non subtrahit, dignum illa te censeas, sed indignum ejusdem humiliter te agnoscas. Nota praeterea, Christum in emendando Thoma, eoque ad frugem reducendo, cessisse illius pervicaciae et attactum vulnerum pertinaciter petitum concessisse. Sic Superiores nonnunquam cedant subditis, et concedant petita, ut emendentur. Denique cum Thoma contemplare, quis sit ille, qui amore tui vulneratus est, nempe: Dominus tuus et Deus tuus. Cum ergo servus non sit major Domino, et sufficere ei debeat, si sit sicut Dominus ejus (Matth. 10, 24), ideo mortificando membra tua fac, ut cum S. Paulo dicere possis (Gal. 6, 17): *Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.*

Punctum III. Respendit Thomas, et dixit ei: *Dominus meus et Deus meus!* (Joan. 20, 28). In his verbis latent praestantissimi actus fidei, spei et caritatis. Ad hos ergo iisdem verbis frequenter te excita, maxime, quando vel Christum in S. Eucharistia suscipis, vel ibidem visitas, et adoras. Sic enim inter illos numeraberis, de quibus mox Christus dixit: *Beati, qui non viderunt, et crediderunt* (v. 29).

Meditatio CLXVIII.

(Feria VI. post Dom. II. p. Pascha.)

Christus apparet septem discipulis piscantibus. (I.)

Joan. 21, 1—6.

Punctum I. *Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis suis ad mare Tiberiadis, etc. Dicit ei Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum* (Joan. 21, 1. 3). Postquam Jesus bis apparuit discipulis intus in coenaculo, ubi orationes peragebantur, congregatis; deinde etiam apparuit eisdem, piscationi (qua animarum piscatio designabatur) cum Simone Petro intentis, quos iste nec imperio, nec precibus, sed solo suo exemplo secum traxit, dicens: *Vado piscari.* Cui mox ceteri responderunt:

Venimus et nos tecum. Hinc colligitur: Christus prius quidem orantibus, et vitae contemplativae vacantibus adesse, et assistere; deinde vero jungi etiam illis, qui a contemplatione et sui collectione transeunt ad vitam activam, ad labores ipsius gratia susceptos, ad piscationem animarum, in qua Simoni Petro, sive Christi vicario, socialem operam locamus, et praeeuntis exemplum sequimur; hoc enim facile in sui sequelam trahit, praesertim quando a Superiore praestatur ut hic factum esse videmus.

Punctum II. *Exierunt, et ascenderunt in navim, et illa nocte nihil prendiderunt* (Joan. 21, 3). Exemplum tamen praebuerunt nobis, quam patientes et constantes in spirituali piscatione animarum esse debeamus, etiamsi labores nostri longo tempore irriti sint, et nihil efficiamus. Ostenderunt praeterea, quanta nostra diffidentia agnoscere debeamus, quod in piscatione animarum sine assistentia et directione et gratia divina nihil possimus; atque, ut idipsum humiliter fateri non erubesceremus, exemplo suo docuerunt. Ideo interrogati: *Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non* (v. 5).

Punctum III. *Mane autem facto, stetit Jesus in littore; non tamen cognoverunt discipuli, quia Jesus est. — Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis Miserunt ergo, et jam non valebant illud trahere prae multitudine piscium* (Joan. 21, 4. 6). Sic Jesus perseverantibus in piscatione animarum occulte opitulatur, ac pisces in rete nostrum compellit. Ostenditur etiam, quantum ad felicem piscationem valeat, ex obedientia omnia peragere, et secundum directionem Superiorum illam instituere, ibique rete jacere, ubi, in quo scilicet loco et officio, Superior jusserit; talis enim semper ad dexteram rete suum jacit, et non piscatur in noctis tenebris; plenus etiam fiducia est et assistricem habet sapientiam (Sap. 9, 4).

Meditatio CLXIX.

(Sabbato ante Dom. III. p. Pascha.)

Christus apparet discipulis piscantibus. (2.)

(Continuatio.)

Joan. 21, 7 sq.

Punctum I. *Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est* (Joan. 21, 7). Considerata enim tum praesenti, tum praeterita inutili piscatione sua (Luc. 5) et ingenti captura piscium ex Christi imperio projectis retibus utrobique conclusa, agnovit S. Joannes, non suis viribus, sed Domini praesentis adjutorio rete suum piscibus impletum esse. Sic quotiescunque nobis aliquid feliciter succedit, ex considerata propriarum virium imbecillitate, et successu vires nostras superante, dicamus cum humili agnitione et gratitudine: *Dominus est,* — qui e. g. hanc victoriam tentationis, hujus actionis felicem successum, hanc animarum capturam etc., dedit.

Punctum II. *Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus), et misit se in mare* (Joan. 21, 7). Nempe non decet, nec convenit, nos magnam quidem animarum capturam ad Christum, ex vitae hujus procelloso mari excensione facta, adducere, si ipsi gratia sanctificante, habitibus supernaturalibus ac bonis operibus nudi simus. Hinc displicuit Christo Laodiceae episcopus (Apoc. 3, 17), quod nudus esset, jussusque est vestimentis albis se induere, ut non appareret confusio nuditatis ejus. Deinde considera, Petrum non iterum dixisse, sicut prius (Matth. 14, 28): *Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.* Neque ex fidei modicae dubitatione iterum coepisse mergi, sed injussum, et Christo confisum, in mare se misisse, ac sicco pede ad Christum pervenisse. Ita ex multiplici divinae opis experientia nos ipsos in confidentia erga Deum stabilire debemus, in eaque proficere; et ideo, quia quondam nondum didicerant Apostoli, a Christo reprehensi sunt (Matth. 16, 9). *Quid cogi-*

tatis intra vos modicae fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis? — Ex praedicto S. Petri ad Christum super aquas accursu disce, quam celeriter et fervide ad Deum adorandum recurrere debeamus, peracta animarum piscatione, et conversatione cum proximo.

Punctum III. *Alii autem discipuli navigio venerunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium* (Joan. 21, 8). Sic varii modi sunt veniendi ad Christum, quidam valde sunt periculosi, uti est hominum saecularium, qui sine speciali Dei protectione aeque parum per mundi procellosum mare ad Christum pervenirent, quam S. Petrus super mare ambulans. Modo securissimo perveniunt Religiosi, qui Superiorum, veluti navarchorum ductu, navigio veniunt, trahentes rete piscium, id est, multarum animarum, et multorum bonorum operum, quod sine sociorum adminiculo nec implere, nec trahere potuissent. Ut vero in hoc rete trahendo non succumbant, facit memoria, quod ob vitae brevitatem non longe sint a terra, et quod Christus in littore eos expectet.

Meditatio CLXX.

(Dominica III. post Pascha.)[1])

Christus apparet discipulis piscantibus. (3.)

(Continuatio.)

Joan. 21, 9—11.

Punctum I. *Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem. Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc* (Joan. 21, 9 sq.). Per haec significatur, ex navi-

---

[1]) Dominica III. p. Pascha festum agitur de *Patrocinio S. Joseph,* Sponsi B. M. V., Evangel. ex Luc. 3, 21 sqq.

gatione hujus vitae in terram coelestem descendentibus, coeleste quoque convivium a Christo de suis, et nostris meritis parari; de suis enim meritis paravit, quando humanitas ejus in craticula crucis igne tormentorum ac caritatis assata est, conjuncta cum Verbo divino, — ob quod Christus de seipso dixit (Joan. 6, 51 sq.): *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Ob cujus unionem etiam de carne sua dixit: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (v. 52). Quia tamen et propria merita requiruntur, — (scriptum est enim Ps. 127, 2: *Labores manuum tuarum; quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit)* — ideo Christus dixit: *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc* (v. 10).

Punctum II. *Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus* (Joan. 21, 11). Per hosce pisces magnos designantur animae, quas piscatione spirituali cepimus, et opera nostra bona, a nobis tanquam spiritualibus piscatoribus ex procelloso hujus vitae mari collecta. Dicuntur autem *magni* pisces, quia et animae hominum ad imaginem Dei creatae, ac pretioso ejus sanguine redemptae, atque in filios Dei adoptatae magni aestimantur a Deo; et praeterea, quia minimum etiam opus bonum, sive: *Quod est momentaneum ac leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternae gloriae pondus operatur in nobis* (2. Cor. 4, 17). Ideo ergo omnes pisces magni sunt coram Deo. — Positus est etiam numerus magnus, certus pro incerto, ut scilicet studeamus multiplicare pisces praedictos.

Punctum III. *Et cum tanti essent, non est scissum rete* (ib.). Merito hoc miratur, et observat Evangelista. Nam rete a magnitudine et multitudine piscium tunc scinderetur, et pisces meritorum nostrorum elaberentur nobis, si praeter intentionem gloriae divinae etiam propriam gloriam intenderemus; sic enim quasi in duas partes rete nostrum rumperetur. Similiter omnia merita nos effugerent, si forsan per superbiam nostram in gravius peccatum labi sineremur. Rogemus ergo Deum, ut rete conscientiae nostrae, et intentionis nostrae semper integrum servet. —

Rete etiam scinditur, quo homines capimus, si verbis quidem irretimus homines, sed vitae exemplo cum optima doctrina non cohaerente, eosdem iterum diffluere et effugere sinimus, per datum scandalum erumpentes.

Meditatio CLXXI.

(Feria II. post Dom. III. p. Pascha.)

Christus apparet discipulis piscantibus. (4.)

(Continuatio.)

Joan. 21, 12 sq.

Punctum I. *Venite, prandete* (Joan. 21, 12 sq.). Haec sunt verba Christi, invitantis sub figura panis et piscis ad coeleste prandium; beatitudo enim aeterna modo prandium ob lucem meridianam perpetuam, modo coena ob succedentem continuam quietem, et ob laboriosum horarum transitum, in S. Scripturis vocatur. O quam jucundum erit audire — non illud: *Ite, maledicti, etc.*, sed: *Venite* ad prandium perpetuum, ad solemne convivium, ubi *Christus transiens ministrabit illis* accumbentibus (Luc. 12, 37), et de quo dixit (Luc. 22, 29 sq.): *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Illis autem dicitur: *Venite,* qui in hac vita Christo fuerunt conjuncti per gratiam, qui ab illo recedere et separari horruerunt. Tunc enim jubentur venire ad Christum per gloriam. Qui vero a Christo per peccatum grave recesserunt, illis dicitur: *Ite, discedite a me, etc.* (Matth. 25, 41). — Praeterea etiam in hac vita piscatores suos vocat, et jubet ad se venire, ac prandere secum in Eucharistia, apponens nobis panem ac piscem assum in craticula crucis. Imo quotiescunque ab aliis laboribus vacamus, vel lassati respiramus, animi vires per spirituales exercitationes, quotidianas meditationes, orationes, illustrationes animo immissas refici

curat, et his suavissimis verbis invitat (Matth. 11, 28): *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

Punctum II. *Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes, quia Dominus est* (Joan. 21, 12). O quantum haec scientia peperit gaudium discumbentibus discipulis! Quantum vero pariet in coelo accumbentibus, et Deum secundum divinitatem ac Christi humanitatem facie ad faciem intuentibus? Quantum in Eucharistico convivio parit solatium firmissima fides, qua scimus, quia Dominus est? Quantum denique in spirituali animae convivio parit gaudium illa conjecturalis notitia Christi per gratiam praesentis et operantis in anima, ac loquentis ad cor? Hanc itaque triplicem scientiam tibi procura, nec opus erit interrogare.

Punctum III. *Et venit Jesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter* (Joan. 21, 13). Quanto gaudio quisque suam portionem de tam venerandis et caris manibus acceperit? Praefiguratur hic illud gaudium, quando Christus Beatis in coelo dabit panem Angelorum, panem vitae aeternae, panem, qui de coelo descendit, omne delectamentum in se habentem (Sap. 16, 20); et similiter piscem gloriosissimae humanitatis, — maris fluctibus seu adversitatibus maximis in hac terra immersae, et jam ex profundissimo humilitatis abysso super omnes coelos exaltatae. De hoc duplici Beatorum cibo, scilicet intuitiva fruitione divinae humanitatis et divinitatis Christi dixit David (Ps. 16, 15): *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* — Nota autem per verbum: *Dat,* in praesenti, designari perpetuum *Nunc,* seu gaudii perpetuitatem, sicut per verbum: *Ardet* significatur perpetuitas supplicii infernalis (Joan. 15, 6): *In ignem mittent, et ardet.*

Meditatio CLXXII.

(Feria III. post Dom. III. p. Pascha.)

De vicaria Christi potestate S. Petro collata. (1.)

Joan. 21, 15—17.

Punctum I. *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: Amas me? et dicit ei: Domine, tu omnia nosti; tu scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas* (Joan. 21, 15—17). In his verbis considera, quod Christus Petro officium pascendi agnos et oves, i. e. fideles fideliumque pastores, nonnisi pranso et trina interrogatione de amoris perfectione atque de ejusdem constantia probe explorato demandaverit. Nemo enim hoc officium satis utiliter circa animas sibi commissas geret, qui non spirituali animae suae refectione, et usu rerum ac exercitationum spiritualium confortatus, atque Dei amore inflammatus, respondere interroganti constanter possit, quod Deum ac Christum amet, utpote cujus solius amore cura pastoralis, et alienae salutis procuratio suscipienda et praestanda est.

Punctum II. In persona Petri et triplici responsione observa: 1) Humilitatem, quam ex praecedenti lapsu suo didicit; ante illum enim ausus fuit se reliquis omnibus praeferre, dicens (Matth. 26, 33): *Si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor;* hic vero Christo quaerenti: *Diligis me plus his?* — solum affirmavit amorem, dicens: *Etiam Domine, tu scis, quia amo te;* non addidit autem particulam: *plus.* — Observa 2) caritatem ipsam, quae, sicut ante lapsum et ante Christi Passionem fuit magna: sic post lapsum, per remissionem abnegationis, perjurii ac infidelitatis, per beneficium redemptionis, ac tri-

nae, imo quartae jam sibi factae apparitionis semper aucta est; et eo usque excrevit, ut Petrus, sicut toti Ecclesiae a Christo in caput supremum praefectus est: sic omnes inferiores amore in Christum superaret. Ita tu quoque caritate ac vitae sanctitate omnes superes, nulli tamen te praeferre audeas, praesertim si etiam tu aliis pascendis constitutus es.

Punctum III. Considera 3) timorem amori junctum, ex tertia Christi quaestione ortum, qua contristatus Petrus timere coepit, ne amor suus non esset perfectus, vel ne esset mutandus, rursumque sibi a Christo ejus defectio praediceretur. Annon et tu easdem causas humilitatis, caritatis, et sancti timoris habes? Ideo S. Petrum imitare; cum eo etiam firmissima fide de infinita scientia Dei te ab omni lapsu contine, nec amoris tui alium testem quaere, quam solum Deum.

Meditatio CLXXIII.

(Feria IV. post Dom. III. p. Pascha.)

De vicaria Christi potestate S. Petro collata. (2.)

(Continuatio.)

Joan. 20, 15 sqq.

Punctum I. Considera, quomodo Christus S. Petrum et successores universalem pastorem omnium fidelium, tam agnorum, quam ovium (per quas illae, quae alias oviculas pariunt, i. e. Episcopi designantur et alii animarum curatores) ter repetito mandato constituerit, collata ipsi potestate universali solvendi et ligandi, ac summa certitudine in definiendis articulis fidei atque in rebus ad bonos mores pertinentibus (Matth. 16, 18 sqq.). Quantum autem est hoc beneficium: esse sub tali pastore, et numerari inter oviculas Christi? pasci ejus Sacramentis, et verbo Dei certissimo circa agenda, et credenda in ordine ad aeternam salutem? aliquando stare ad dexteram cum ovibus Christi, —

cum apparuerit princeps pastorum (1. Petr. 5, 4), et quando hoedi stabunt ad sinistram tradendi lupis infernalibus? Redde ergo te dignum ac gratum tanto beneficio, utere pascuis, fuge lupum.

Punctum II. Considera, quid agnus vel ovis debeat Christo: utique lanam, lac, foetum, denique vitam cum pelle, carne et sanguine: per lanam intellige opera externa; per lac doctrinam, de qua Apostolus Paulus inquit (1. Cor. 3, 2): *Lac vobis potum dedi;* per foetum animarum conversionem: per vitam omnes potentias vitales cum operationibus suis; per pellem, carnem et sanguinem intellige totum corpus. Praeterea debet vocem ejus audire, et praeeuntem sequi, ut patet ex Joan. c. 10, ubi etiam Christus sua erga ovem merita recenset, nempe amorem propriae vitae prodigum, deductionem et reductionem ad pascua et ovile, conservationem et sustentationem vitae, providam agnitionem ovium, etc. *Qui intrat per ostium, pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, et oves ejus vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit; et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo* (Joan. 10, 2—5). Et iterum: *Ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. Fur non venit, nisi ut furetur et mactet et perdat. Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meae. Et animam meam pono pro ovibus meis* (v. 9—11). De hoc pastore Psalmista (Ps. 22, 1 sqq.) dixit: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuae, ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit. Deduxit me super semitas justitiae propter nomen suum. Nam etiamsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

Punctum III. Considera, quid agnus vel ovis Christi debeat subordinatis ab ipso pastoribus, quibus tam serio

et iterato, et per obtestationem amoris erga seipsum commendata est. Utique debet amorem et obedientiam, teste S. Paulo (Hebr. 13, 17): *Obedite praepositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes; hoc enim non expedit vobis.* — Deinde in illis ipse Christus tanquam supremus pastor respiciendus et observandus est; utpote cujus vices et personam gerunt, et a quo munus ac potestatem suam acceperunt, et in cujus gratiam ac amorem eadem utuntur.

Meditatio CLXXIV.

(Feria V. post Dom. III. p. Pascha.)

De reliquo Christi cum S. Petro colloquio. (1.)

Joan. 21, 18 sq.

Punctum I. *Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, et ambulabas, ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet, quo tu non vis* (Joan. 21, 18). Sic et tu juventutis tuae libertatem, qua saepe abusus es, expia et emenda, et sine dissolutam tuam voluntatem cingi et restringi a Superioribus tuis, et duci, quo ipsa secundum inclinationem, vel appetitum inferiorem non vult, sed quo Superiores volunt, ad quemcunque locum, officium, actiones, et functiones omnes.

Punctum II. *Hoc autem dixit* (Christus) *significans, qua morte clarificaturus esset Deum* (Joan. 21, 19). Si enim alterius potestati subdi, injuriis, adversis, morte denique ipsa affici, est Deum clarificare, quis ista omnia non libenter subeat pro ejus gloria? Qui vicissim faciet, ut id, — *quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus* operetur *in nobis, non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim*

videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna sunt (2. Cor. 4, 17 sq.).

Punctum III. *Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me* (Joan. 21, 19). Ne Petrum Christus martyrii vaticinio terreret, exemplum suum pro animi robore ipsi proponit et ad sui sequelam invitat. Ut itaque adversa hujus vitae neque nos terreant, Christum sequi nobis proponamus *aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum* (Hebr. 12, 2); in quo autem sequendus sit, ipse declaravit (Matth. 16, 24): *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.*

Meditatio CLXXV.

(Feria VI. post Dom. III. p. Pascha.)

De Christi cum S. Petro colloquio. (2.)

(Continuatio.)

Joan. 21, 20—23.

Punctum I. *Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem etc. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu: Domine hic autem quid? dicit ei Jesus: Sic*[1]) *eum volo manere, donec veniam. Quid ad te? Tu me sequere* (Joan. 21, 20 sqq.). Noli tu convertere te, respiciendo, quid alii faciant, et an Christum sequantur, vel non; quid enim alii ad te? quid aliorum dictis aut factis animum tuum inquietas? quid de aliorum dispositionibus, et ordinationibus divinis, quid de aliorum talentis et aptitudine ad officia conjecturam facis? Tu omnem curam ad Christum sequendum converte, et neque impertinentibus, animumque distrahentibus curis, neque aliorum exemplis, factis et dictis, a Christi sequela te abstrahi, aut retardari sine.

---

[1]) Graecus textus habet: *Si.* S. Hieronymus legit utrumque: *Si,* et *Sic.* Sed Latinus habet *Sic.*

Punctum II. *Exiit ergo sermo iste inter fratres: Quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus: Non moritur, sed, etc.* (Joan. 21, 23). Sic ex verbis non bene intellectis solent facile rumores falsi inter homines spargi. Tu cave, ne et ipse spargis talia, neve aliorum dicta sinistre interpreteris, aut facile sparsis rumoribus fidem adhibeas; quin potius illos contemne, nec quidquam cura, quidcunque alii de te disseminent; atque ideo, si bonum est, quod de te spargitur, non vane gaudeas; si malum, et falsum, non doleas. Nam Deus apud Isaiam (3, 12) monet: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. Stat ad judicandum Dominus;* Christus vero dicit (Matth. 5, 11 sq.): *Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos, mentientes propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.* Denique ne aegre feras, si verba tua perverse exponantur; haec enim hominum fragilitas et perversitas a Deo permittitur ob majus nostrum bonum ac meritum.

Punctum III. Considera et imitare virtutem S. Joannis, qui nec curiose a Christo scire petiit, quid futurum esset; nec Christi voluntati ullo modo restitit, sive eum manere, sive non manere vellet. Sic de futuris nunquam solliciti simus, nec curiose, quid Superiores de nobis dispositurі sint, investigemus; sed indifferenter divinae voluntati, quae per Superiores nobis declaratur, nos committamus, sive in hoc loco, officio, etc. nos velit manere, sive non manere.

Meditatio CLXXVI.

(Sabbato ante Dom. IV. p. Pascha.)

Christus apparet discipulis in monte Galilaeae.

Matth. 28, 16 sq.

Punctum I. *Undecim autem discipuli abierunt in Galilaeam, in montem, ubi constituerat illis Jesus* (Matth. 28, 16). Supra enim (v. 7 et 10) jusserat discipulos eo ire; quia in Galilaea Christus plures habebat, qui visis ibi plerisque patratis miraculis, crediderant in eum. Unde S. Paulus (1. Cor. 15, 6) dixit: *Deinde visus est plus quam quingentis fratribus.* Undecim enim discipuli in reliquos fideles sparserunt promissionem sibi factam, quod Christus in monte (qui communiter creditur fuisse Tabor) se palam omnibus ostensurus esset. Placuit autem Christo prae aliis ille locus, quod fideles commodius et securius a metu Judaeorum ibidem congregari possent. Fuit itaque haec apparitio publica, et omnibus reliquis solemnior. Ex cujus circumstantiis, quod scilicet in monte et in Galilaea (quae teste S. Augustino S. 3. de consensu Evangelistarum sub fin. *transmigrationem* significat) et in publico fidelium, qui unanimi devotione, et caritate fraterna congregati erant, conventu facta sit: ex his inquam circumstantiis colligimus ad hoc, ut Christus se nobis mentis oculis videndum praebeat, opus esse, ut montem conscendamus, animum scilicet supra terrena elevemus, ac eodem haec universa despiciamus, ut locum orationi et contemplationi opportunum, atque ab animi perturbationibus securum, et a tumultibus externis segregatum adeamus; ut animo erga Deum devoto, erga proximum autem concordi, et omnibus conjuncto simus.

Punctum II. *Et videntes eum adoraverunt* (Matth. 28, 17). Sine dubio maximo cum gaudio, reverentia, fide, devotione id fecerint discipuli; eodem modo etiam a nobis adorandus est Christus et Deus, quotiescunque orationi vacamus, vel in templo convenimus, vel in SS. Eucharistia

adoramus. Plus enim est mentis ac fidei oculis, quam corporis videre. Hac publica veneratione Pater coelestis ludibria et blasphemias in passione spineae coronae, et crucis a Filio toleratas, remuneratus est. Sic etiamnum illatas contemptus et ignominias servis suis reparare et compensare solet Deus.

Punctum III. *Quidam autem dubitaverunt* (Matth. l. c.). Ecce! Christus gloriosus, quamvis multis se videndum praebuerit, non tamen ab omnibus adoratus est, non ab omnibus debitum honorem et aestimationem accepit. Quidni patienter feramus, si non ab omnibus pro merito aestimemur, laudemur, honoremur, vel si qui sinistre de nobis sentiant?

Meditatio CLXXVII.

(Dominica IV. post Pascha.)

De verbis Christi ad discipulos in monte Galilaeae. (1.)

Matth. 28, 18.

Punctum I. *Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra* (Matth. 28, 18). In primo hoc puncto considera, quod licet Jesus pro potestate sua demonstranda potuisset discipulos suos ad se evocare, ut propius accederent; ipse tamen dignatus sit ad illos accedere: ut doceret humilitatem cum potestate et eminentia super alios semper jungendam esse; et ut oculis pateret, Deum, quando hominibus loquitur, potius ad eos pro sua clementia accedere, quam eos ad Deum posse vel audere appropinquare. Ideo non sibi homo, sed Deo adscribat, quando divina arcana in mente sua cognoscit et audit: solum caveat, ne accedentem Deum repellat vel fugiat, vel loquenti aures obturet.

Punctum II. Considera, quanta et quam universalis fuerit potestas Christi collata; nempe data est illi *omnis*

potestas in omnes homines, ita ut iis praecipere, prohibere, eosdem punire, remunerari, judicare, eisdem peccata condonare, condemnare et salvare illos posset. Hanc autem potestatem non sibi soli servavit Christus, sed hominibus etiam in gubernatione sibi subordinatis communicavit. Unde patet, quanta cum caritate, humilitate, obedientia, reverentia, timore, spe, fiducia, promptitudine, tantae ac tanto jure obtentae potestati te oporteat subjici. Gratulare Christo hanc potestatem infinitis ejus meritis debitam, regis titulo in Cruce palam affixo promulgatam, atque transcriptam. *Regnavit* enim *a ligno Deus* (Hymn). Gaude etiam, quod Christus hac sua potestate tam clementer utatur, non ad dominandum in cleris, sed ut forma factus gregis (1. Petr. 5, 3). *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare* (Luc. 9, 56). *Non veni* (inquit ipse Joan. 12, 47), *ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.* Quis ergo tanta potestate tam benigne utenti non se penitus committat?

Punctum III. Considera causam, cur Christus, qui Pilato nuper interroganti: *Tu es rex Judaeorum?* responderat: *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judaeis; nunc autem regnum meum non est hinc* (Joan. 18, 36); — hodie tamen dicat: *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra.* Si enim data est illi omnis potestas in coelo, et in terra, cur negat, regnum suum esse de hoc mundo? Non ille negavit suam in mundum potestatem his verbis; sed, ne illam temporalem et ad breve duntaxat tempus duraturam, atque adeo cum hoc mundo deserendam crederemus, eam de hoc mundo esse negavit; ut nos quoque doceret, quam nihili facienda sit haec temporaria, et paulo post desitura mundi potestas; imo, ut eam fugere potius, quam ambitiose quaerere studeremus, suo nos insuper exemplo admonuit. Nam, ut Joannes (6, 15) testatur: *Cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Hanc ipsam ob causam, cum forte contentio orta esset inter discipulos, quis eorum videretur esse major, — dixit eis: *Reges gen-*

tium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator (Luc. 22, 25 sq.). At vero, sicut temporalis haec potestas humiliter fugienda est, ita altera, quam Christus habet in coelo et in terra, si nobis ab ipso communicata sit, — per illa verba (Matth. 18, 18): *Amen dico vobis: Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo;* — si, inquam, per haec verba nobis communicata sit, eodem, quo a Christo gesta est modo, a nobis gerenda est, nimirum pari animarum zelo, pari diligentia, promptitudine, benignitate, patientia, etc. Nec ulla occasio, qua hanc clavium, ut vocant, potestatem exercere poterimus, omittenda.

Meditatio CLXXVIII.

(Feria II. post Dom. IV. p. Pascha.)

De verbis Christi ad discipulos in monte Galilaeae. (2.)

(Continuatio.)

Matth. 28, 19; Marc. 16, 15.

Punctum I. *Euntes ergo docete omnes gentes* (Matth. 28, 19); similiter apud Marcum (16, 15) inquit: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae.* Considera, quis mittat, et ad quos mittat. Mittit enim is, qui paulo ante dixerat: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo, etc.*, quasi diceret: Quandoquidem habeo omnem potestatem, nolo ea uti ad vindictam meorum inimicorum, qui me crucifixerunt, vel crucifigi communi suffragio postularunt, vel alias mea amicitia per gravissima scelera se indignos reddiderunt; — sed eandem, ut prosim potius, quam ut praesim, usurpabo.

Itaque ego supremus Magister et Dominus pro potestate mea mitto vos ad omnes gentes, ac primo quidem ad meam gentem, quae me Pilato tradidit; deinde ad omnes alias, quantumvis Deo inimicas. Sic enim S. Paulus (Act. 13, 46 sq.) hoc Christi mandatum exponit, Judaeos alloquens: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis aeternae vitae, ecce, convertimur ad gentes: sic enim praecepit nobis Dominus, etc.* Discamus ergo a Christo glorioso, vincere in bono malum (Rom. 12, 21), benefacere iis, qui oderunt nos (Matth. 5, 45), diligere inimicos nostros (ib.), universim omnes amare, absque privata affectione erga ullum hominem. Sinamus nos etiam cum Apostolis mitti indifferenter ad quemcunque locum, et ad quoscunque homines, nulli loco, vel homini inordinato affectu adhaerentes.

Punctum II. Perpende etiam, quos mittat; nempe homines de se quidem rudes, indoctos, pauperes et viles; sed Spiritu Sancto repletos, et ab eo doctos omnem veritatem (Joan. 16, 13). Unde patet, quanta fides ipsis sit habenda; illi enim cum veritate dicere possunt id ipsum, quod dixit S. Joannes (I. 1, 1): *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae; et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis; quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis.* Considera ergo, quam sapienter Deus tales magistros et doctores in universum mundum emiserit, qui non nisi, quae viderant, audiverant, et a Spiritu Sancto didicerant, loqui possent. Vide, quomodo Deus de se inidoneos ad praestanda viribus naturalibus majora adhibeat, et defectum ac insufficientiam illorum suppleat, ut soli Deo confidant, ipsi omnia adscribant, sibi diffidant, illi vero, quibus hujusmodi homines praeficiuntur, pari in Deum fiducia se ab istis regi ac doceri sinant.

Punctum III. Considera, ad quid docendum et praedicandum Christus Apostolos mittat; nempe ad Evangelium, quod continet mysteria, praecepta, consilia, promissa maxima, scitu summe necessaria et utilia. Haec itaque intellectu penetres, et vitam tuam doctrinae evangelicae perfecte con-

formes. Si enim mysteria, quae ab instanti conceptionis Christi usque ad Spiritus Sancti adventum contigerunt, spectes; videbis velut in speculis divinas perfectiones, beneficia immensa, exempla summae sanctitatis; si praecepta et consilia: summa in eis relucet perfectio; si promissa: ea sunt certissima, circa bona aeterna, et maxima.

Meditatio CLXXIX.

(Feria III. post Dom. IV. p. Pascha.)

De verbis Christi ad discipulos in monte Galilaeae. (3.)

(Continuatio.)

Matth. 28, 19; Marc. 16, 16.

Punctum I. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti* (Matth. 28, 19). Considera, quomodo Christus iterum potestate suprema in coelo et in terra sibi data utatur, eamque Apostolis, illorumque successoribus communicet, ut et ipsi in aliorum bonum eadem utantur, ac ingens baptismi beneficium liberaliter cuivis homini possint impertiri. Beneficii autem hujus magnitudo pensanda est primo ex praestantia Baptismi Christi; quia accedente verbo ad elementum aquae fit Sacramentum, quo baptizatus desinit esse filius diaboli, et spirituali generatione per gratiam nascitur filius Dei adoptivus. Hoc ipso autem, quod per baptismum aliquis efficiatur et generetur filius Dei adoptivus, simul per acceptam in anima sua gratiam sanctificantem fit consors divinae naturae (2. Petr. 1, 4), haeres Dei et cohaeres Christi (Rom. 8, 17), ita ut nisi quis per proprium et voluntarium peccatum mortale hoc ipso jure se abdicet ac privet, certo haereditate aeterna Filii Dei potiatur. Ad hoc jus autem conservandum et augendum infunduntur ipsi baptizato habitus omnium virtutum supernaturalium, et omnia dona Spiritus Sancti; ac

insuper pro occurrente necessitate conferuntur specialia auxilia ad vitanda peccata, et exercendas virtutes christianas et christiano nomine dignas. Itaque hanc gratiam baptismi vigili custodia conserves et augeas, et in te quoque impleas id, quod S. Paulus (1. Cor. 15, 10) de se scripsit: *Gratia autem Dei sum id, quod sum, et gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi;* — et id, ad quod (2. Cor. 6, 1) te adhortatur, exequaris: *Exhortamur, ne in vacuum Gratiam Dei recipiatis.*

Punctum II. Beneficii hujus magnitudo ulterius existimanda est ex necessitate baptismi. Sicut enim in mari rubro soli Israelitae salvati sunt, reliqui autem in eodem submersi perierunt: ita Christo testante (Joan. 3, 5) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hinc etiam S. Petrus (I. 3, 20) ait: *In diebus Noë, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animae salvae factae sunt per aquam: quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma.* Considera ergo, cum tam pauci (si cum ingenti Judaeorum, gentilium et parvulorum ante baptismum morientium multitudine conferantur) per baptismum, veluti in arca, ab interitu temporali simul et aeterna salventur: quantum beneficium a Deo acceperis, quod per baptismum in arcam salutis fueris inter illos paucos receptus. Noli ergo in ipsa vivendi ratione multitudinem sequi, sed esto de numero paucorum, virginum illarum prudentium (Matth. 25, 1 sqq.): *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi* (Matth. 20, 16), — qui etiam sint electae virtutis. — Aequum praeterea est, ut pro specialibus Dei beneficiis specialem cultum amorem et gratitudinem reddas, et quanto liberalius Deus tuae providet necessitati, tanto diligentius divinae Majestati inservias.

Punctum III. Aestimanda insuper est beneficii hujus magnitudo ex utilitate a Christo his verbis comprehensa (Marc. 16, 16): *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Nam talis adscribitur in Christi familiam, sive Ecclesiam, extra quam nemo potest salvari; fit membrum Christi, et quod consequens est, a Christo velut a capite spiritus vitales meritorum ejus, et coelestium gratiarum ad

se trahit, et fruitur communione Sanctorum, id est, reliquorum membrorum. Ideo inquit S. Paulus (1. Cor. 6, 15): *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Praeterea per baptismum homo fit capax sacramentorum, ut ea cum fructu recipere possit, et Sacrificii Eucharistiae, indulgentiarum, et mediorum ad salutem, quae dantur in Ecclesia Dei, ut illa utiliter possit usurpare. O quantum ergo debes Deo, qui tot ac tanta bona tibi suppeditavit, quae in penum tuam conferre, conservare et usu percipere possis! Esto igitur membrum vivum ac dignum tali corpore, talique capite, semper unitum, et caritate conjunctum. Tale autem eris, si in susceptione Sacramentorum et oblatione Sacrificii frequens et devotus, in adhibendis mediis salutis, et colligendo indulgentiarum, gratiarum ac bonorum coelestium omniumque bonorum, ex sacri hujus fontis prima scaturigine profluentium, thesauro diligens et industrius fueris.

Meditatio CLXXX.

(Feria IV. post Dom. IV. p. Pascha.)

De verbis Christi ad discipulos in monte Galilaeae. (4.)

(Continuatio.)

Matth. 28, 20.

Punctum I. *Docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis* (Matth. 28, 20). Licet enim Christus dixerit (Marc. 16, 16): *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit;* — fides tamen, ut viva et caritate sit formata, exigit, ne quis ullum mandatum graviter transgrediatur; hinc S. Jacobus (2, 10) scribit: *Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus,* — in quantum nimirum, ut ipse S. Jacobas insinuat (v. 11) omnium legislatorem contemnit. In-

spice ergo te ipsum, an omnia Christi mandata perfecte serves, vel quaenam saepius transgredi soleas. Imitare etiam Apostolos, qui non tantum verbo, nec tantum exemplo, sed verbo et exemplo omnia mandata Christi servare docuerunt. *Qui enim fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum* (Matth. 5, 19).

Punctum II. Considera, quam merito Christus exigat servari omnia sua mandata: 1° Quia data est illi omnis potestas; atque ideo praestanda ipsi etiam est omnis obedientia et subjectio. — 2° Quia Christus pro nobis factus est *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (Phil. 2, 8). — 3° Quia dignus est omni amore; amor autem exhibetur implendo voluntatem et beneplacitum amati. Hinc ipse dicit (Joan. 14, 21): *Qui habet mandata mea, et servat ea; ille est, qui diligit me.* Et (15, 10): *Manete in dilectione mea; si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione.* — 4° Quia, ut scribit S. Joannes (I. 5, 3): *Haec est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt.* Hinc Christus ipse dicit (Matth. 11, 30): *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* — 5° Quia Christus faciet voluntatem nostram in omnibus; sic enim spopondit (Joan. 14, 14 sq.): *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea servate.* — 6° Quia servantes mandata sua Christus continua sua praesentia solatur et adjuvat; ait enim (Joan. 14, 23): *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* — 7° Quia non aliter possumus ingredi ad vitam aeternam. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* inquit Christus (Matth. 19, 17).

Punctum III. Considera, omnia Christi mandata eo referri, ut homo recte se habeat erga Deum, erga proximum, erga seipsum. Hinc compendio dicit (Matth. 22, 37 sqq.): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est primum et maximum mandatum. Secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum,*

— imo sicut Christus ipse nos amavit. Ideo ait (Joan. 13, 34): *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Ut autem homo recte se habeat erga semetipsum, dicit (Matth. 10, 38): *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus, etc.*

Meditatio CLXXXI.

(Feria V. post Dom. IV. p. Pascha.)

De verbis Christi ad discipulos in monte Galilaeae. (5.)

(Continuatio.)

Matth. 28, 20.

Punctum I. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth. 28, 20 ult.). Considera: 1^0, quomodo Christus sit nobiscum secundum divinitatem ratione immensitatis. *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus* (Act. 17, 28). Haec fides et divinae praesentiae memoria excitet nos, ut quaevis pro Dei gloria patiamur fortiter, agamus prudenter et laudabiliter, et omni studio ad peccata omnia vitanda incumbemus. Ideo Deus Abrahamo dixit (Gen. 17, 1): *Ego Deus omnipotens: ambula coram me, et esto perfectus.*

Punctum II. Considera 2^0, quomodo Christus vobiscum sit secundum divinitatem simul et humanitatem in Eucharistia. Ubi proinde quotidie frequenter illum visitabis, devote adorabis, et in omnibus dubiis, periculis, necessitatibus ad illum refugies. Imo per sacram Communionem reverenter et devote, quoties licuerit, in te recipies, et cum eo familiariter conversaberis. *Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium* (Sap. 8, 16). Praestabit tibi panem de coelo, *omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem* (Sap. 16, 20).

Punctum III. Considera 3°, quomodo Christus sit nobiscum moraliter per praesentem opem, gratiam, robur, consolationem, directionem, liberationem, etc. Quo sensu dixit (Joan. 14, 23): *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget me, sermonem meum et mansionem apud eum faciemus.* (Et Matth. 18, 20): *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* (Et Ps. 90, 15): *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* (Et Ps. 22, 4): *Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quia tu mecum es.* Et (Gen. 39, 2) de Josepho Patriarcha dicitur: *Fuitque Dominus cum eo, et erat vir, in cunctis prospere agens.* Cave ergo, ne per peccatum procul a Deo recedas, quia, ut (Ps. 72, 27) Deum alloquens regius vates inquit: *Qui elongant se a te, peribunt.* Sed potius ausculta S. Jacobo in sua epistola canonica (4, 8) monenti: *Appropinquate Deo, et ipse appropinquabit vobis.*

Meditatio CLXXXII.

(Feria VI. post Dom. IV. p. Pascha.)

Christus redivivus quadraginta diebus conversatur in terra.

Act. 1, 3—5.

Punctum I. *Praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei* (Act. 1, 3). Ut fides de resurrectione Christi et quod consequens est, etiam de vera ascensione corporis in coelum, tanto certior et firmior redderetur voluit Christus in gratiam hominum quadraginta dierum spatio differre triumphalem et gloriosum ascensum et ingressum in coelum, multisque prius apparitionibus, atque argumentis firmare, ac fidei nostrae fundamentum

solidare; nam teste Apostolo (1. Cor. 15, 17): *Quod si Christus non resurrexit, vana est fides.* Firmissimo igitur assensu fidei crede Christi resurrectionem, tot argumentis illustratam. — Privavit se interim etiam Christus illo sensuum gaudio, quod sanctissima humanitas illius in coelo perceptura erat. Sic pro amore proximi a mentali, qua in coelo quasi commoramur, conversatione, et a solatiis vitae contemplativae abstinendum multoties est; cujus rei eximium nobis exemplum S. P. Ignatius reliquit, qui pro salute proximi a coelo etiam differri optabat. — Occasione praedictae frequentis apparitionis per quadraginta dies in multis argumentis factae, grata memoria recolendum est, quam multis argumentis, nempe illuminationibus, auxiliis, gratiis, beneficiis, promissionibus et comminationibus, fidem vivam et insigni caritate formatam, Deus non tantum per quadraginta dies, sed etiam per omnes vitae annos in nobis robarare nitatur. Cave ergo, ne tibi dicatur illud (Ps. 94, 15 sqq. sec. Psalter.): *Quadraginta annis proximus fui generationi huic et dixi: Semper hi errant corde; ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam* (cfr. Hebr. 3, 10 sqq.).

Punctum II. Considera Christi cum discipulis suis colloquia fuisse *de Regno Dei.* Non ergo Christi colloquia fuerunt vana, non utilia, multo minus perversa. Disce itaque ex hoc exemplo, qualia tam cum domesticis, quam cum externis colloquia instituenda sint, et qualia non sint. — Quid autem Christus cum discipulis suis locutus fuerit de regno Dei, ex aliis de eodem sermonibus colligendum et animo repetendum est, nempe: quod appropinquaverit regnum coelorum et ideo poenitentia sit agenda (Marc. 1, 15; Matth. 4, 17; 10, 7, etc.); quod regnum coelorum vim patiatur, et violenti rapiant illud (Matth. 11, 12): quod beati sint pauperes et qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum et regnum coelorum (Matth. 5, 3 sqq.); quod ob persecutiones animo non sit cadendum. *Ego vici mundum* (Joan. 16, 33); *Ego vobiscum sum* (Matth. 28, 70); — quod regnum Dei, praeparatum electis a constitutione mundi (Matth. 25, 34) non habeat finem (Luc. 1, 33) et portae inferi non praeva-

liturae sint adversus illud (Matth. 16, 18); quod sit pretiosa margarita, ob quam omnia vendenda (Matth. 13, 46); mansiones multas esse in coelo (Joan. 14, 2) et amicos suos fruituros esse gloria inenarrabili, aeterna, etc. Procul dubio Christus etiam instruxit discipulos suos de constituenda et regenda Ecclesia, — regno Dei in terra, — et quomodo debeant esse Apostoli, pastores populi, rectores et doctores. Conare ex tua parte, ut sis dignus concivis regni Dei, — et si electus es in clerum, bonus sis pastor animarum. *Neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* (1. Petr. 5, 3).

Punctum III. *Et convescens praecepit eis, ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum. Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies* (Act. 1, 4 sq.). Etiamsi Christus (Matth. 28, 7. 10) jusserit discipulos in Galilaeam excurrere, ut convocarent et educerent alios fideles in montem Tabor, ubi eum erant visuri, noluit tamen ita eos Jerosolyma discedere, ut nunquam eo remearent; quin imo eos illic persistere voluit, donec baptismum (quem in Sacramento quidem jam ante Christi passionem susceperant) moraliter etiam et metaphorice, per plenam scilicet Spiritus sancti infusionem in die Pentecostes acciperent; atque adeo noluit eos mandatum illud (Matth. 28, 19): *Euntes ergo, etc.*, et (Marc. 16, 15): *Euntes in mundum universum, etc.*, — prius exequi, quam Spiritus sancti igne ad id munus rite obeundum inflammarentur. — Ut indicaret, perfectos et Spiritu Dei plenos prius esse debere illos, qui se alienae saluti procurandae impenderent; imo si fieri possit, prius in quotidiana meditatione (quam Jerosolyma, sive *visio pacis* denotat), ignem Spiritus sancti, et fervoris spiritualis accedendum, quam functiones, quae proximum concernunt, susciperentur. Adverte etiam, sicut Christus discipulis suis constituit locum, in quo se redivivum praeberet spectandum, et locum, in quo Spiritu sancto illos repleret: sic speciales illum etiam favores et gratias eo in loco conferre consuevisse, quem ipse per Superiores et vicarios, tanquam voluntatis suae interpretes et nuntios designat. Ne

itaque tu tibi locum eligas, in quo manere, vel ad quem accedere ipse constituas. Denique considera, quare Spiritus sancti infusio vocetur *baptismus.* Scilicet, quemadmodum baptismus, quo aqua corpori affunditur, abluit maculas corporis: ita Spiritus sanctus per gratiam in corde diffusus, abluit maculas animae et nos templum suum splendidissimum efficit. Certum proinde tibi recepti Spiritus sancti indicium sit animi munditia, et excelsi quidam sensus filiorum Dei.

Meditatio CLXXXIII.

(Sabbato ante Dom. V. post Pascha.)

De ascensionis annuntiatione.

Joan. 20, 17; 16, 5—7.

Punctum I. Non est dubium, quin Christus suis discipulis teste Luca (Act. 1, 3), — *loquens de Regno Dei,* — instantem suam ejusdem Regni conscensionem saepe indicaverit. Unde in prima statim apparitione per Magdalenam haec discipulis nuntiari jussit (Joan. 20, 17): *Vade autem ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum.* Ubi nota, illum, licet primum post quadraginta dies esset ascensurus, tamen usum esse verbo temporis praesentis *(ascendo):* ut designaret morae brevitatem, et declararet, quod ipse continuus temporis fluxus, praeparatio et actionum omnium ad imminentem ascensionem ordinatio, jam sit inchoata ac continua ad coelum ascensio. — Hoc ipsum de nobis dicere possumus; atque ideo constanter et quotidie illud animo recolere debemus: nempe hujus vitae moram brevem esse, atque adeo ascensionis nostrae tempus jamjam imminere; quin imo nos jam nunc in coelum continuo ascendere posse, si actiones nostras eo semper dirigamus. Atque hinc (ut scilicet ad id faciendum nos hortaretur) Christus addidit: *Et Patrem vestrum, . . .*

et Deum vestrum, — ut videlicet etiam nos illuc ascendere ad eum studeremus ex desiderio veniendi ad Patrem, et videndi Deum. Tum jam his in terris felices et beati erimus, praegustantes gaudia coelestia. *Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum in loco, quem posuit* (Ps. 83, 6 sq.).

Punctum II. *Vado ad eum, qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestum* (Joan. 16, 5 sq.). His verbis Christus in ultima coena suum ad Patrem ascensum discipulis denuntiavit; nec est dubitandum, quin eodem isto tempore, quo proxime implenda erant, coram discipulis suis repetiverit, vel in mentem illis revocaverit, — quemadmodum Ecclesia id facit, quae in Evangelio Dominicae IV. post Pascha haec ipsa verba fidelibus suis praelegi jubet. Quia tamen discipuli nesciverunt, quam utilis sit illis Magistri sui discessus, corda illorum tristitia repleta sunt. Ii potius de Christi discessu doleant, qui sciunt, eum non modo sibi non utilem, sed summe perniciosum esse, quando scilicet per peccatum gratiae jacturam faciunt, Christumque a se discedere cogunt, nunquam eundem per totam aeternitatem, nec corporis nec mentis oculis, praeterquam in extremo judicii die, quo ut tremendus Judex apparebit, si in impoenitentia perstiterint, visuri. Hic itaque solus Christi a nobis discessus nos tristes reddat; non vero ille, quo per desolationes, ariditatem et varias tribulationes suavi Christi ac Dei praesentia destituimur; iste enim discessus non solum damni nihil, sed plurimum emolumenti nobis afferre solet.

Punctum III. Audiamus, quibus verbis Christus discipulorum tristitiam leniat. *Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos* (Joan. 16, 7). — Sic etiam expedit nobis, devotionis dulcedine et omni spirituali solatio subinde destitui, et in ariditate, anxietate, tribulatione, etc. a Deo relinqui. Ita enim Paraclitus, qui est Spiritus veritatis et consolator, veniet ad nos, docens nos omnem veritatem (Joan. 16, 13), — ut scilicet nos ipsos et no-

stram infirmitatem recte agnoscamus, ac penitius contemplemur, quid simus ex nobis, et quid ex Deo; ut hujus vitae miserias et alterius felicitatem intelligamus; ut Dei auxilium et gratiam imploremus; ut terrena despiciamus, coelestia suspiremus, etc. Ita Spiritus sancti ampliori consolatione digni reddemur, et donis ejus, scilicet sapientia, intellectu, consilio, fortitudine, scientia, pietate et timore, Domini magis ditabimur. Humiliter igitur Deum imploremus: *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (Ps. 50, 13). *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae* (Ps. 103, 30).

Meditatio CLXXXIV.

(Dominica V. post Pascha.)

Christus docet efficaciam orationis.

Joan. 16, 23 sq.; 14, 13 sq.; Luc. 11, 9 sq.

Punctum I. Sicut Elias, antequam *ascendit per turbinem in coelum* (4. Reg. 2, 11), — qui ascensus Christi ascensum referebat, — Eliseo discipulo suo dixit (ib. v. 9): *Postula, quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar a te —:* ita ad mitigandam discipulorum de suo ex hoc mundo in coelum ad Patrem digressu tristitiam, promisit Christus ipsis et omnibus fidelibus, quod, si orationibus ac petitionibus, veluti missis litteris, se convenerint, et quasi praesentis conversationis commercium instituerint, rei petitae executione eis fideliter sit responsurus, et ipsorum negotia ac res apud Patrem sit acturus; ut proinde optabile ipsis sit futurum, rerum suarum actorem ad Patrem coelestem praemisisse. Idcirco Ecclesia hac Dominica, quae Ascensionis diem praecedit, in Evangelio Missae haec ipsa promissionis verba recitat, iisque per tres continuos Rogationum dies universos filios suos ad fiduciam petendi excitat: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid*

petieritis me in nomine meo, hoc faciam (Joan. 14, 13 sq.). *Amen, amen, dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Joan. 16, 23). O quanta est vis et utilitas orationis, si per eam tale quid, et tali modo petatur, ut petitio nomine Christi facta censeri possit! Quando nimirum res petita talis est, ut pro ea, utpote ad salutem animae spectante, Christus ipse merita sua interposuerit; quando tali fiducia ac reverentia petitur, ut petens Christi personam repraesentare illiusque legatione fungi videatur: hoc enim est in nomine Christi petere, nempe per merita Christi, et interposita auctoritate Christi quidpiam petere.

Punctum II. *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo* (Joan. 16, 24). Dicitur quidem (Matth. 20, 20): *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedei cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo.* Sed haec per matrem a Jacobo et Joanne haud multo post facta petitio, non vere fuit petitio alicujus, neque facta est in nomine Christi: unde neque est exaudita. Petere enim honores, et alia ad aeternam salutem a nobis non ordinata, nec ordinanda, est nihil petere. Merito ergo cum discipulis Christi reprehendimur, si vel petimus ea, quae nihili facienda sunt, vel si nihil petimus a Domino tam liberali, quique summa ac aeterna bona dare paratus est.

Punctum III. *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum* (Joan. 16, 24). Talia bona sunt petenda, quae plenum gaudium parere possunt; quae scilicet, et in quantum serviunt ad aeternam beatitudinem plene satiantem. Petenda autem sunt in nomine Christi, scilicet per ejus merita, per ejus erga nos amorem et gratiam — (unde necessarius est status gratiae), per ejus ad Patrem intercessionem. Petitio vero ipsa 1⁰ debet esse devota et attenta; nisi enim petens prius seipsum audiat, quid dicat, non meretur exaudiri. 2⁰ Debet esse humilis. *Oratio* enim *humiliantis se nubes penetrabit* (Eccl. 35, 21). 3⁰ Debet esse perseverans et conjuncta cum bonorum operum meritis, ut sic etiam manu pulsemus. *Bona enim est oratio cum jejunio et eleemosyna* (Tob. 12, 8). Ideo apud S. Lucam ait Christus (11, 9 sq.): *Petite et dabitur vobis; quaerite, et*

invenientis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, — et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur. Ut autem Deus omnem nostram petitionem ac voluntatem impleat, aequum ac necessarium est, ut nos prius etiam omnem ipsius voluntatem impleamus, et ut tam liberales simus erga Deum, quam liberalem erga nos ille se futurum pollicetur.

Meditatio CLXXXV.

(Feria II. post Dom. V. p. Pascha.)

Oratio Christi ad Patrem. (1.)

Joan. 17, 1—6.

Punctum I. *Sublevatis oculis in coelum dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (Joan. 17, 1). Haec verba, quae Christus paulo ante suum ex hac vita discessum protulit, maxime merebantur, ut illa repeteret ante suum ex hoc mundo in coelum profectionem. Ideo illum Ecclesia his ipsis verbis loquentem, veluti illis ultimas ad Patrem suum coelestem preces funderet, pridie Ascensionis in Evangelio missae inducit. Dicitur autem ista oculis in coelum sublevatis dixisse, ut inter orandum mentis oculos in coelum levandos, et ab omnibus rebus terrenis avertendos, solo coelestium bonorum intuitu, ac proxime adeundorum spe, doceret. Deinde meminit, venisse horam, qua Pater Filium clarum redderet. Gloria enim et claritas nominis non ante tempus, nec in hoc mundo appetenda est; nunc enim, et dum in mundo degimus, est hora sustinendae confusionis, ignominiae, et contemptus; post hanc vitam autem recipiemus coronam gloriae in coelo; et tunc erit hora, de qua Job dixit (12, 5): *Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.* Tunc enim illi, quibus contemptui fuimus, dicent: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos*

insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est (Sap. 5. 3—5). Haec ipsa autem gloria referenda est ad eum finem, quem Dei Filius indicavit: *Ut Filius tuus clarificet te.* Nempe ut fiat: *Mirabilis Deus in Sanctis suis* (Ps. 67, 36), — utque filii etiam adoptivi sint gloria Patris, ipsique canant gloriam in coelo.

Punctum II. *Ego te clarificavi super terram; opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam, et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te* (Joan. 17, 4 sq.). Quia nimirum Christus toti mundo ostendit et demonstravit suam erga Patrem obedientiam et dilectionem, quando consummavit demandatum sibi opus redemptionis humanae; ut ipse de se testatur (Joan. 14, 31): *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Ideo etiam petit: *Nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te,* i. e., (ut SS. Patres, quos hic sequitur Cornelius a Lapide, clarius hunc locum explicant): Assume me ad te, ut ad dexteram tuam sedeam, ut omnes intelligent, me habere eam claritatem, quam revera ab aeterno habui apud te; scilicet me esse Filium tuum naturalem, aequalem tibi, etc. — Hinc collige, qua ratione tu aeternam gloriam, et claritatem a coelesti Patre obtinere possis; si enim Filius Dei naturalis non aliter, nisi per suam erga Patrem obedientiam et perfectissimam caritatem, nominis sui exaltationem et claritatem acquirere voluit: an tu aliis, quam his ipsis mediis et virtutibus te consecuturum speras?

Punctum III. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo* (Joan. 17, 6). Haec altera est ratio, quam Patri suo coelesti proponit Filius, ut gloriam illam ac claritatem, qua ad dexteram Patris sedere ab hominibus agnoscatur, obtineat. Ob hanc ipsam rationem et tu olim coelestem gloriam consequeris, si scilicet de teipso quoque dicere poteris, quod Dei nomen hominibus doctrina et vitae exemplo manifestaveris. Jam pridem

enim Deus per Ecclesiasticum (24, 31) promisit: *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt*, — i. e., qui gloriam Dei verbo et exemplo promovent, illamque Christi admonitionem exequuntur (Matth. 5, 16): *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* —, illi vitam et gloriam aeternam cum Christo certissime obtinebunt, et cum illo in coelum ascendent. Unde ad quaestionem (Ps. 23, 3): *Qui ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?* — mox respondetur (v. 4): *Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.*

Meditatio CLXXXVI.

(Feria III. post Dom. V. p. Pascha.)

Oratio Christi ad Patrem. (2.)

(Continuatio.)

Joan. 17, 11—13; 24.

Punctum I. *Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos* (Joan. 17, 11). Sicut propinquus ex hoc mundo discessus Christo ingens peperit gaudium: sic, ne in coetu suorum discipulorum, quos externa et spectabilis ejus praesentia hactenus continebat, vinculum unionis et mutuae caritatis dissolveretur, vel disrumperetur, plurimum reddebat sollicitum. Propterea per attestationem paterni ac divini sui nominis rogat Patrem coelestem, ut in coetu suo mox relinquendo et deserendo unionem conservet. Ita et tu praecipua sollicitudine et cura contende, ut qui in communitate vel Christi coetu degis, unionis et caritatis vinculo omnibus maneas conjunctus, neque ulla dissensione, oblocutione, aut contradicendi studio, exemptione a communibus functionibus et operibus, aut quaecunque diversa

vivendi ratione, communi disciplinae adversante, a quoquam avellaris. Et si hujusmodi coetui regendo praees, diligenter Deum pro eo precare, ut, quia non ubique nec semper praesens esse potes, ipse in nomine suo eum servet, maxime autem in mutua unione et caritate; et ut subditi inter se, et ipsi tecum sint unum cor, ex quo, quantum per tuam imitationem fieri potest, reluceat summa conjunctio inter coelestem Patrem et dilectissimum Filium.

Punctum II. *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio* (Joan. 17, 12 sq.). Ex his verbis, quibus sollicitus Magister coelesti Patri concreditos sibi discipulos, ante suum ex hoc mundo discessum, per singularem providentiam suo nomine et loco protegendos commendat, clare patet, quantum externa vigilantia et custodia conferat ad bonam disciplinam conservandam, et ad vitam pie instituendam; cum ex omnibus discipulis tantum unus, et quidem non negligentia Magistri, sed propria illius secordia perierit. Inde etiam, quod scilicet Judas, omni licet ab ipso quoque Christo adhibita diligentia, tamen interierit, colligi potest, quam necessarium sit, ut unusquisque propriam suae salutis curam externae Superiorum vigilantiae ac custodiae conjungat; hoc enim si faciat, merito filius perditionis appellatur, quia se ipsum perdit. Ad hanc sui curam sollicite assumendam utraque ratio, a Christo apud Patrem adducta, quemvis merito impellat. Sicut enim Christus partim propter vigilis custodiae suae meritum, partim propter periculum, ex subtrahenda paulo post vera et spectabili sua praesentia discipulis oriturum, specialia paternae protectionis auxilia petivit: sic et nos has ipsas ob causas divinam opem implorare debemus, et eidem, ut pro impensa nobis custodia et tutela gratos, et a simili periculo liberos ac salvos nos reddamus, omni studio cooperari. Ex eadem Christi pro discipulis a se relinquendis sollicitudine, incrementum sumat nostra pro nobis ipsis vigilantia, quando extra conspectum eorum versamur, quorum praesentia ad bene agendum excitamur, vel male agere veremur.

Punctum III. *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi* (Joan. 17, 24). Perpende, quanto desiderio Christus flagraverit, ut disciplinae suae commissos in coelo, quo proxime processurus erat, secum videret, et ab ipsis videretur, tum mentis oculis per visionem intuitivam suae divinitatis, tum oculis corporis, per jucundissimum humanitatis suae omni pulchritudine et splendore plenae, ac plusquam in monte Thabor fulgentis, aspectum. Desiderii hujus vehementia, et ingens ardor ex eo elucescit, quod Christus, cum hoc suum desiderium expleri cuperet, orationem suam alio longe modo instituerit, quam cum amarissimum Passionis calicem a se transferri postularet; tum enim animo in contrarium etiam parato dixit: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas fiat, sed tua* (Luc. 22, 41); — hic autem absolute orat: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum.* Sciebat nimirum Christus, hoc ipsum etiam velle coelestem Patrem, — *qui omnes homines vult salvos fieri* (1. Tim. 2, 4). An non aequum est, ut vicissim ardens et accensum sit nostrum videndi Christi desiderium? Certe quivis cum Paulo dicere deberet: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* (Philipp. 1, 23); et cum regio psalte: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (Ps. 41, 2 sq.). Hoc autem desiderium, si in affectibus ac verbis tantum consistat, et non etiam ad omnia media, quibus id expleatur, adhibenda nos impellat, frigidum et nullum est. Qui proinde serio vult cum Christo manere in coelo, eidem in terra (ut Paulus Gal. 2, 19 loquitur) *confixus cruci* sit, oportet, illumque semper in mente praesentem sibi statuat, nec unquam desistat, eundem in omnibus actionibus suis sequi ac imitari. Huic enim Christus ipse promittit: *Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit* (Joan. 12, 26).

Meditatio CLXXXVII.

(Feria IV. post Dom. V. p. Pascha. — Vigilia Ascensionis.)

De ultima apparitione Christi in die ascensionis.

Act. 1, 4; Luc. 24, 49 sq.

Punctum I. Ex S. Luca (24, 49 sq. et Act. 1) colligitur, Christum ipsa die Ascensionis discipulis prandentibus apparuisse, et peracto prandio duxisse illos in Bethaniam, quindecim stadiis distantem ab Jerusalem,[1]) atque, ut probabile est, ibidem assumptis Magdalena, Martha, Lazaro aliisque in ipsum credentibus, reversum esse in montem Oliveti, inter Jerusalem et Bethaniam medio itinere situm, ibique spectantibus discipulis et pluribus aliis, in coelum sublatum esse. Verba S. Lucae sunt (Act. 1, 4): *Et convescens praecepit eis, ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum,* — scilicet in ultimo sermone coenae postremae, antequam exiret in montem, ubi dixit: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis* (Joan. 14, 16). Idem praeceptum manendi in Jerusalem, et ibi expectandi Spiritum sanctum (ut scilicet ab eo ad praedicandum ubivis Evangelium necessariam virtutem tam intellectus, quam voluntatis, nempe scientiam, sanctitatem et robur in persecutionibus acciperent) expressit S. Lucas etiam in suo Evangelio (24, 49): *Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Considera ergo 1⁰, quod ii, qui vacant saluti aliorum, prius sibi necessariam scientiam, sanctitatem, et Spiritus sancti dona procurare debeant; neque ante Jerosolymis, a visione pacis, sive a vita contemplativa discedere, sed ibi sedere, id est, per quietem spiritualem, et animi collectionem se

[1]) 15 Stadia fere $^1/_4$ leucae aequant.

continere ab omni mentis ad creaturas et vitae activae functiones evagatione. Praeterea quod propriis viribus confidere quam minime debeant, sed omni in Deo posita fiducia, patienter expectare, donec virtute ex alto, veluti armis contra hostes visibiles et invisibiles, ac veluti indumento ad tegendam propriam nuditatem, et ad arcendum animae frigus induantur.

Punctum II. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam* (Luc 24, 50). Unde considera 2°, quod, sicut Christus discipulos suos, tristitia et metu futurorum ante Passionem suam affectos, ex Bethania duxit in urbem Jerosolymam, et hinc in montem Oliveti, agoniae et captivitatis suae ibidem futuros spectatores: ita eosdem magno eorum solatio ex urbe Jerosolymitana hodie duxerit in Bethaniam, atque inde in montem Oliveti, suam gloriosam in coelos ascensionem spectaturos, ut eos invitaret ad participationem aeternae suae gloriae. Ex quo colligitur, quam ingentibus solatiis, et spiritualibus gaudiis ac favoribus Deus afflictiones sua causa toleratas compenset. Idem contigit aliis, qui ex Bethania Christum comitati vel secuti sunt ad condolendum patienti in Cruce. Unde dixit S. Paulus (2. Cor. 1, 1): *Quoniam, sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra.*

Punctum III. Considera 3°, quam liberaliter Christus Magdalenae et Marthae compensaverit obsequia corporalia, sibi et discipulis suis per hospitalitatem praestita, cum ipsis valedixit, et ad spectandam ascensionem suam eosdem adhibuit ipsisque mansionem seu habitationem coelestem et aeternam promisit. — Neque vero caret mysterio, quod Christus, sicut ad patiendum, ita ad gloriosum suum in coelos triumphum instituendum ex Bethania potius, quam alio loco prodire voluerit. Nimirum docere nos voluit, ex Bethania, quae *domum obedientiae* significat, adeoque ex obedientia tam prospera quam adversa adeunda et suscipienda esse. — Denique et illud observandum est, cur Christus in coelum ascensurus montem Oliveti petierit. Nempe quia inchoavit ibi Passionem suam, eundemque locum sudore sanquineo irrigavit; hinc ex eodem ad coelestia gaudia transire voluit: ut ostenderet, viam ad coelum

per sudores, aerumnas et tribulationes sterni. Nam (Act. 14, 21) statutum legitur: *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.*

Meditatio CLXXXVIII.

(Feria V. post Dom. V. p. Pascha. — In festo Ascensionis D. N.)

De ascensione Christi in coelum.

Luc. 24, 50; Act. 1, 9.

Punctum I. Post familiare colloquium, post data saluberrima monita, post promissam Spiritus sancti virtutem, discipulis et aliis in monte praesentibus, praesertim dilectissimae Matri suae suavissime valedixit, et *elevatis manibus suis benedixit eis* (Luc. 24, 50). Quo benedicendi ritu indicatur, hanc benedictionem fuisse sublimium ac coelestium bonorum quam plurimorum feracissimam, eaque actu ipso contulisse; utpote quae non oretenus tantum facta est, sed manibus, et quidem ambabus, et elevatis versus coelum. Si enim antiquorum Patriarcharum benedictiones fuerunt magnorum temporalium bonorum causae: non est dubitandum, quin supremi Patriarchae, auctoris et fontis omnium bonorum, benedictio altissima, plurima et actualia bona efficacissime contulerit; hoc enim manuum elevatio, ambarum profusa capacitas et extensio designat. Sic Deus nobis etiam benedicet, si benedictionem ejus petiverimus et promeriti fuerimus fide, spe, caritate, religione, etc., sique etiam oculis mentis ejus in coelum ascensionem spectaverimus, eidem congaudentes, et gratulantes. Tali enim spectatori Christus in persona Eliae (4. Reg. 2, 10) quasi in praemium contemplationis promittit coelestem suam et summis precibus expetendam benedictionem: *Si videris me, quando tollar a te, erit tibi, quod petisti.* Haec benedictio vilem et contemptibilem nobis reddat omnem benedictionem ab hominibus impertiendam, quia hi ore tantum

benedicunt, per inanem laudem et promissionem, non autem benedicunt manibus et opere.

Punctum II. *Videntibus illis elevatus est* (Act. 1, 9). Quia nimirum prius de seipso dici potuit: *Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, etc.* (Is. 53, 2 sq.); ideo nunc *videntibus illis*, totus spectabilis et gloriosus, — *elevatus est* super omnes Angelorum choros ad dexteram Dei Patris. Hanc causam expressit S. Paulus (Eph. 4, 9 sq.): *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? Qui descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia.* Sic, *qui se humiliaverit, exaltabitur* (Matth. 23, 12; cfr. Luc. 14, 11; 18, 14).

Punctum III. *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum* (Act. 1, 9). Sicut in monte Thabor tabernaculum figere voluerunt discipuli, ut semper fruerentur glorioso Christi aspectu: sic tale etiam figere in monte Oliveti cupivissent, nisi nubes pro majori illorum et animarum ab ipsis servandarum bono suscepisset eum ab oculis eorum. Sic saepe bonum est, Dei praesentiam inter prospera et solatia spiritualia relucentem, nube tribulationis, ariditatis, adversitatis, etc., nobis quandoque obscurari, ne alias actiones virtutum, et labores in proximi gratiam subeundos intermittamus. Praeterea sicut Apostoli etiam sublata clara visione Christi, sola ejus memoria et fide illustrati, omnia deinde executi sunt, quae ex Christo didicerunt: sic, quamvis illustrationes internae, quas forsan tempore meditationis percipimus, nube intellectus deinde obscurentur, earum tamen memoria et fide sufficere nobis debet ad exequenda ea, quae recte agnovimus.

Meditatio CLXXXIX.

(Feria VI. infra Oct. Ascens.)[1]

De apparitione Angelorum post ascensionem Christi.

Act. 1, 10 sq.

Punctum I. *Cumque intuerentur in coelum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum?* (Act. 1, 10 sq.). Ex descriptione patet, fuisse duos Angelos, qui virilis formae maturitate et externo vestium candore indicarunt virilis animi constantiam et sinceritatem, ut in ore duorum istorum testium staret omne verbum, quod annuntiabant (cfr. Matth. 18, 16). Hi ergo vel brevem morulam otiosa statione, et coeli jam nube velati aspectu inutiliter traductam, reprehensione dignam testati sunt, et prohibuerunt, addita denuntiatione venturi judicis, cui etiam de quovis otioso verbo aliquando erit reddenda ratio (Matth. 12, 36). Quanto magis autem reddenda de tempore otiose traducto, praesertim ab iis, qui ad propriam et proximi perfectionem procurandam permittere non deberent, ut vel particula bonae diei eos praeteriret? (cfr. Eccli. 14, 14). Quid ergo fiet illis, qui etiam coelum non aspiciunt, sed oculos suos in terra defigunt, et terrenis rebus tempus inutiliter terunt, vel confabulando negligunt? Quid iis, ex quibus quaeri potest: *Quid hic statis tota die otiosi?* (Matth. 20, 6), qui nempe vel nihil boni agunt, vel non bene, vel opus ad debitum finem non referunt, ut adeo ipsa actio aut labor otiosus sit.

Punctum II. *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum, euntem in coelum* (Act. 1, 11). Confirmant hi duo testes, quod

---

[1]) Pro devotione novendiali in honorem Spiritus S. conferri poterunt Medit. infer. 193—201, et Medit. 208.

Christus discipulis valedicens praedixit (Joan. 14, 3): *Et si abiero et praeparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut, ubi sum ego, et vos sitis.* Quibus verbis, uti et priori geminorum Angelorum a se missorum, idemque affirmantium testimonio, Christus in discipulis suis, et in nobis gaudium de ascensione sua excitare, simulque nobis certissimam firmissimamque spem facere voluit, fore, ut et nos aliquando in coelum ascenderemus, et in locum, quem se praeparaturum nobis promiserat, assumeremur, si tamen prius illius exemplo adversa omnia et labores fortiter ac libenter sustinuissemus. Si enim *haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* (Luc. 24, 26), — quis sine laboribus aut adversis in coelum se speret intromittendum?

Punctum III. Considera, quod, etiamsi Angeli dixerint, Christum sic venturum, id est, pari agilitate descensurum de coelo, qua ascendit: tamen tunc venturus sit ut Judex, qui licet Sanctis et justis optatissimus et amabilissimus sit futurus, impiis tamen summe tremendus erit et formidabilis. Atque ideo S. Joannes (Apoc. 6, 15—17) de illius, non tantum ut leonis de tribu Juda, sed etiam ut agni ira, a se praevisa, dicit: *Et reges terrae, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus, et liber absconderunt se in speluncis, et in petris montium; et dicunt montibus et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni: quoniam venit dies magnus irae ipsorum, et quis poterit stare?* Sic itaque spes nostrae ascensionis salubri metu temperanda est, ut illa nos impellat ad augenda virtutum merita; iste autem a peccatis, quibus merita minuuntur vel delentur, cohibeat.

Meditatio CXC.

(Sabbato infra Oct. Ascens.)

De Christi glorioso in coelum ingressu.

Ephes. 4, 8; Ps. 67, 19, et 46, 6. — etc.

Punctum I. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem* (Ephes. 4, 8). Haec verba, quibus regius Vates (Ps. 67, 19) figuram hodiernae ascensionis describit, et Deum, in montem Sina ad dandam Moysi legem descendentem, atque inde rursus ad coelum ascendentem refert, Apostolus ad describendam Christi ascensionem adhibuit; in qua ille patres de limbo secum in coelum, quasi de captivitate sibi captivatos, id est, libertati assertos abduxit, sicut Deus Moysen Israelitas suos ex servitute aegyptiaca reduxit in terram beatam. Itaque Christus horum comitatu ascensionem suam in coelum adornavit, multoque gloriosius cum iis ad Patrem suum coelestem reversus est, quam olim Abraham, cum de quatuor regibus victor rediit; — qui, ut (Gen. 14, 16) dicitur, de illorum captivitate *reduxit omnem substantiam, et Lot fratrem suum* (id est, nepotem ex fratre), *cum substantia illius, mulieres quoque et populum.* Considera igitur, Christo in monte Oliveti modo haud visibili adstitisse omnium in limbo detentorum animas, et multas etiam (ut plurium doctorum est sententia), suis corporibus rursus unitas, mox cum ipso in coelum assumendas; praeterea innumerabilem Angelorum multitudinem, ut regem triumphantem obsequioso famulatu in regiam suam civitatem deduceret, obviam illi descendisse. Ut tamen animus spectatorum curiositate quadam a contemplanda Christi ascensione non distraheretur, voluit Christus, ut hic suus tum hominum, tum Angelorum comitatus illorum oculos effugeret, atque adeo ipse solus ab iis spectari posset. Neque vero eam rem aegre ferebant beatae Patrum animae, licet corporibus rursus unitae; sed contentissimae erant, se coelo dignas habitas esse, etiamsi ab hominibus non conspicerentur. Hinc discas 1^0, quantum a

distractionibus in divinis mysteriis contemplandis tibi cavendum sit, cum pro iis evitandis etiam gloriosum comitatum suum Christus discipulorum oculos latere voluerit, et in conspectu hominum ascensionem suam minus celebrem reddi. — 2⁰ Non sit tibi curae, an ab hominibus beatus videaris, modo revera sis, et propter virtutes tuas coelo dignus habearis. — 3⁰ Ita te animarum saluti impende, ut et ipse aliquando captivam ducas captivitatem, diabolo ereptam.

Punctum II. *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubae* (Ps. 46, 6). Hoc regii Psaltis de Christo ascendente vaticinium non de aliquo humanis sensibus subjecto, sed de spirituali Angelorum jubilo ac laudum concentu, instar sonantium tubarum jucundo ac quasi per vehementiam suam sonoro, intelligendum est. Vis cum Angelorum jubilo et applausu in coelum deduci? Fuge in terra exemplo Christi applausus hominum. Fac, ut de te sit gaudium coram Angelis Dei, tanquam de peccatore poenitentiam agente (Luc. 15, 10). Recrea nunc Angelos, quia teste Paulo (1. Cor. 4, 9). *Spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus.*

Punctum III. Expende, quid jubilantes Angeli, interno quodam animi applausu et stupore abrepti, acclamaverint, vel accinuerint. Minime dubium est, quin alii Davidicum illud dixerint (Ps. 23, 7): *Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit rex gloriae!* — alii responderint (v. 8): *Quis est iste rex gloriae?* — et mox omnes pleno choro concinuerint (ib.): *Dominus fortis, et potens; Dominus potens in praelio;* et (v. 10): *Dominus virtutum ipse est Rex Gloriae;* alii deinde quaesierint: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* (Is. 63, 1); quibus responsum alii dederint (ib.): *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae;* — alii cecinerint: *Exaltare super coelos Deus* (Ps. 107, 6). *Ascende super Cherubim, et vola super pennas ventorum!* (Sec. Ps. 17, 11); alii: *Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae* (Ps. 131, 8); alii: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem; . . .*

in saecula saeculorum (Apoc. 5, 12 sq.). Hujusmodi propemptica Servatori tuo ascendenti tu etiam accine, teque Angelorum Choris junge. Sic Angeli ea, quae in hac vita laudabiliter gessimus, laudibus extollent, quando ad illos ascenderimus. Vanae autem et inanes sunt laudes hominum, quae transeunt cum ipsis.

Meditatio CXCI.

(Dominica infra Oct. Ascens.)

Christus sedet ad dexteram Patris.

Marc. 16, 19; Ps. 109, 1; Hebr. 1, 13 sq.

Punctum I. *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei* (Marc. 16, 19). Id, veluti jam factum, quia certo futurum erat, quidem praevidit et praedixit regius vates (Ps. 109, 1). *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Considera itaque, Patrem coelestem ab aeterno decrevisse, deinde manifestasse ac executum fuisse hoc suum decretum, quo Christum ad dexteram suam assumere statuit, atque per hoc Filio suo dixisse: *Sede a dextris meis.* Quo aliud non indicatur, quam collocatio in regia sede et throno (cfr. Apoc. 3, 21), super omnes Angelos evecto, et manifestatio divinae voluntatis, qua voluit, ut omnes Christum tanquam Deum, Patri in suprema potestate secundum personalitatem aequalem, secundum humanitatem vero omnibus Angelis et hominibus praelatum, et cum suprema potestate regnandi praefectum, venerarentur. Ideo inquit S. Petrus (Act. 2, 34—36): *Non enim David ascendit in coelum; dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Congaude ergo

Christo, et gratulare illi supremum Dominium et regiam unctionem, per unionem divinitatis, et per merita infiniti valoris, praesertim humiliationis usque ad crucem obtentam, et dic: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. — Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor et gloria, et potestas in saecula saeculorum* (Apoc. 5, 12 sq.). Id est, dignus est accipere, fidem, aestimationem et cultum, quibus testemur et profiteamur haec omnia. Quod ut reipsa facias, stude servare omnia, non solum, quaecunque mandavit, sed etiam, quaecunque nutu vel signo quocunque manifestavit sibi placere; hoc enim est, sessionem a Dextris Dei approbare ac ratam habere, — quo modo eam approbant ac ratam habent Angeli teste Paulo (Hebr. 1, 13 sq.), ubi ait: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis?* Ita et tu ministerium tuum imple (2. Tim. 4, 5), et cooperare ejus regimini animarum.

Punctum II. Considera, quare Christus dicatur *sedere*, et non dicatur *stare* a dextris Dei. Ideo, quia per sessionem denotatur non solum regiminis ac dominii potestas, sed etiam stabilitas et quies aeterna, debita pro fatigatione et labore multiplici in carne passibili. Unde, quia Deus nos teste S. Paulo (Eph. 2, 6) *consedere fecit in coelestibus in Christo Jesu:* patiamur cum Christo in carne passibili. Sic enim conregnabimus, et implebitur illud (Apoc. 14, 13): *Amodo dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.*

Punctum III. Per verba: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, significatur pax et tranquillitas regni Christi, et subjectio omnium, qui Christum, vel Ecclesiam, nempe fidei illius addictos, persecuti sunt ac deinceps persequentur. Tali pace et subjectione nostrorum inimicorum etiam nos in coelo potiemur; mundus enim, et rebellio carnis, et diaboli pedibus nostris substernentur, si contra hos legitime certaverimus. *Nam et qui certat*

in agone, non coronabitur, nisi legitime certaverit (2. Tim. 2, 5). *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo* (Apoc. 3, 21). Tunc cum Christo, capite nostro, gaudiis aeternis replebimur et conregnabimur, — *cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem et virtutem* (1. Cor. 15, 24). Gaudeamus de plena victoria Christi et conemur ejusdem triumphi participes fieri.

Meditatio CXCII.

(Feria II. infra Oct. Ascens.)

Gaudium in coelo de adventu Christi.

Luc. 15, 20 sqq. etc.

Punctum I. Pone tibi ob oculos mentis ex Genesi (27, 26) Isaacum, flagranti erga filium amore dicentem: *Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi.* Et ex alio loco (Gen. c. 45. et 46) imaginare tibi gaudium Patriarchae Jacob, quando audivit Joseph filium suum vivere, et regnare super universam Aegyptum, et quando etiam hoc ipsum oculis suis conspexit. Contemplare etiam Tobiam seniorem, quanto gaudio affectus fuerit ex reditu filii, quando *suscipiens osculatus est eum* (Tob. 11, 11). Imo etiam mirare gaudium Patris erga filium prodigum ad se reversum (Luc. 15, 20): *Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.* Et (v. 22): *Dixit autem pater ad servos suos: Cito afferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manu ejus, et calceamenta in pedes ejus, et adducite vitulum saginatum.* Et (v. 32): *Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit, perierat, et inventus est.* — Nunc ex his omnibus notis exemplis perpende immensum Patris coelestis gaudium, Filium ad se vocantis, qui est ipsum osculum Patris, qui est Rex coeli et terrae, qui ex periculosa peregrinatione

pro debito apud Patrem retulit solutionem infiniti valoris; qui ex obedientia erga Patrem mortuus est et revixit, perierat et inventus est. Tunc in toto coelo haud dubie audita fuerit vox paterna: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (Matth. 17, 5). — Ita etiam Pater coelestis in te sibi complacebit, et cum ejusmodi complacentia te in coelo recipiet, si imitatione Filii ejus cum veritate queas dicere: *Ego, quae placita sunt ei, facio semper* (Joan. 8, 29).

Punctum II. Considera, quantum gaudium perceperit Christus ex Patris sui complacentia; quando etiam ipse dicere potuit: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus. Ego te clarificavi super terram; opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam* (Joan. 17, 6. 4). Et vicissim: *Nunc clarificatus est Filius hominis et Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso, et continuo clarificabit eum* (Joan. 13, 31 sq.). — Quantum gaudium existimandum est Christum sensisse de summo honore ipsi in aeternum exhibendo, de coelestibus sensuum externorum oblectamentis, de Angelorum gratulatione, de tot coelo genitis et secum adductis incolis?, — de quibus si eum interroges verbis (Gen. 33, 5): *Quid sibi volunt isti? et si ad te pertinent?*, respondebit: *Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus.* Quibus etiam suus sedes juxta cujusque merita pro potestate sua divisit, et inter Angelos, Archangelos, etc., assignavit. Ideo et tu omni diligentia et constantia cura, tuam salutem, omnia ejus praesidia et adjumenta arripe, impedimenta remove, ut hoc gaudium tua accessione compleas, ejusdem te participem reddas, ac simile percipias, et tibi dicatur: *Intra in gaudium Domini tui* (Matth. 25, 21). — Interim sufficientissima gaudendi tibi causa sit, quod tantum habeas Redemptorem, qui tam immensis fruatur gaudiis.

Punctum III. Considera gaudium Angelorum de recepto suo Rege, de coepta instauratione sedium suarum vacantium, et aucto Sanctorum sodalium numero; si enim est gaudium coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente (Luc. 15, 7), quantum erit gaudium de tam multis non amplius indigentibus poenitentia, et jam in

gratia et gloria stabiliter perseveraturis? Nulli itaque labori et studio parcas, ut etiam tu tale gaudium Angelis, praesertim tutelari, et aliis specialiter tibi patrocinantibus et benefacientibus coeli civibus parias. Considera, quantum quoque ulterius Angelis accreverit gaudium ex novis ministeriis, sibi in adjuvanda gubernatione Ecclesiae a Christo Rege suo assignatis; cum etiam homines de officiis in aula suorum principum obtentis gaudeant, qui tamen tali amore erga suas principes, et commissos sibi clientes non feruntur, sicut Angeli; de quibus S. Paulus (Hebr. 1, 14): *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, quae haereditatem capient salutis?* Sic etiam tu servitium divinum, et ministerium erga proximum cum gaudio peragas. — Denique perpende ingens gaudium novarum coelitum de reserato sibi coelo, tamdiu occluso, de obtento loco aeternae beatitudinis, de ejus securitate, perpetuitate, etc., de sensuum oblectamentis ab iis, qui cum corporibus assumpti sunt, perceptis. Hujusmodi gaudia victoria sensuum tibi augebis, et coelum tibi reseratum per sedulam omnis peccati fugam conservabis.

— —

Meditatio CXCIII.

(Feria III. infra Oct. Ascens.)

Christus Patrem rogat, ut Spiritum sanctum mittat.

Joan. 14, 15—17.

Punctum I. *Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere* (Joan. 14, 15—17). Considera, Christum quam primum ad Patrem suam pervenit, et ad ejus dexteram considere coepit, hujus promissionis suae memorem, ne dilectissimos discipulos et fideles suos orphanos relinqueret (Joan. 14, 18), mox Patrem coelestem rogasse, ut alium Paraclitum illis daret, qui

duplex promissionis officium, ipso nomine Paracliti expressum, illis praestaret, nempe officium Advocati et Consolatoris; Advocati quidem; nam, ut inquit S. Paulus (Rom. 8, 26): *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. Sed ipse Spiritus postulat pro nobis* (suggerendo quomodo oremus), *gemitibus inenarrabilibus,* — quos scilicet in anima orantis modo inenarrabili excitat, ut Deus gemitus ejus facile exaudiat. Consolatoris vero: dum spiritualibus ac coelestibus solatiis animos replet, ut humana, carnalia et terrena gaudia prorsus contemnant, et adversa quaevis fortiter perferant. Et quia idem Paraclitus est etiam Spiritus veritatis, ideo Christus pro eo rogavit Patrem, et certus se exaudiendum, ejus missionem promisit, dicens: *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo* (nempe me rogante), *ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis* (Joan. 14, 26). Ut itaque etiam tu per Christi merita et intercessionem Paraclitum ac Spiritum veritatis accipias, non minus tibi, quam primis Christi fidelibus necessarium, — requisitam conditionem ac dispositionem habere debes, indicatam illis verbis: *Si diligitis me, mandata mea servate* (Joan. 14, 15), et mox a Christo similibus verbis repetitam (v. 23): *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus,* — utique comitante etiam Spiritu sancto, qui ab utroque procedit. Ut itaque totius SS. Trinitatis habitaculum effici merearis, non ex servili timore, sed ex amore, quo Deus te praevenit, serva a Christo tradita mandata. Ad quorum proinde observationem hic non per comminationem extremi judicii aut inferni, sed per expetitam dilectionem suam suaviter impellit, ipsum etiam vocabulum *mandata* mitigans per verba: *Sermonem meum;* et per adjectam promissionem mutui amoris ac intimae praesentiae, quae habetur per gratiam sanctificantem, veluti per specialem participationem ipsius naturae divinae totiusque SS. Trinitatis.

Punctum II. Ut omnem etiam obicem recipiendi Spiritus sancti a te amoveas, considera, quare Christus dixerit, quod *Spiritum veritatis mundus non possit ac-*

cipere, nimirum: *Quia non videt eum, nec scit eum* (Joan, 14. 17). Mundus enim nihil aestimat, nisi quod sensu et ratione naturali percipit, ideoque nec appetit, nec ad illud recipiendum se disponit. Sic ergo nec tu Spiritum veritatis accipere poteris, si solummodo bona naturalia, ac oculis et sensibus subjecta aestimes, vel ea amore supernaturalium et spiritualium bonorum, per quae Spiritus sanctus se animae communicat, non contemnas. Cave etiam, ne mundo fidas; quia enim Spiritum veritatis non potest accipere, necessario fallax est (cfr. Joan. 8, 44; 1. Joan. 5, 19).

Punctum III. Considera, certissimum medium, ut Spiritus sanctus totaque SS. Trinitas maneat nobiscum, et mansionem faciat, esse dilectionis perseverantiam. Deus enim, quando caritate et observantia suorum mandatorum attractus in animam hominis per gratiam sanctificantem intravit, deinde neminem deserit, nisi prius deseratur. Itaque cum S. Paulo (Rom. 8, 35—39) ita tecum statue: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? etc. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.*

Meditatio CXCIV.

(Feria IV. infra Oct. Ascens.)

De regressu discipulorum ex monte Oliveti in Jerusalem.

Luc. 24, 52.

Punctum I. *Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno* (Luc. 24, 52). Cum

Christus videntibus Apostolis elevatus esset in coelum, et nubes suscepisset eum ab oculis eorum, illi, licet in coelum intueri perrexerint, donec a duobis Angelis ipsis diceretur: *Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum?* — non intermiserunt tamen ante suum regressum in Jerusalem Christum, jam ab oculís interposita nube susceptum, adorare. Non enim est magnum, durantibus visionibus et illustrationibus divinis esse devotum, nec desistere ab oratione, at illis cessantibus, et interposita nube, mentem obscurante, ab oratione et devotione non desistere, hoc profecto laudandum ac imitandum est. Ne ergo ab oratione et devotione facile te retrahi sinas, illustrationum vel consolationum subtractione, vel interveniente nube ariditatis, obcaecationis, tentationis, aut tribulationis. Imo tunc maxime orandum, quando id minime lubet, et magis expedit. Unde discipuli Christi in monte Oliveti non tantum debuissent illum adorare sublatum in coelum, sed etiam quando cum Magistro suo in luctu, et in tentationis aestu positi erant, debuissent excusso somno et taedio parere monenti: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (Matth. 26, 45).

Punctum II. Quamvis Apostoli fuerint viri Galilaei, tamen non in Galilaeam, sed Jerosolymam in Judaea sitam, regressi sunt, ut obtemperarent praecepto Christi (Luc. 24, 49; Act. 1, 4), non obstante, quod nulla insinuata esset ipsis causa, cur potius Jerosolymis, quam alibi adventum Spiritus sancti praestolari expediret. Ita et a nobis alienae altiorique voluntati in omnibus praesertim in propriis rebus, pertinentibus ad obtinendam gratiam Spiritus sancti, et ad profectum in exercitationibus spiritualibus, et studio virtutum, coece obediendum est; quamvis enim ratio praecepti nos lateat, ea tamen supponenda est, et cogitandum, Superioribus causam, cur hoc illudve imperent, jam fore perspectam, nihilque illos sine praevio consilio jubere; — id, quod in hoc etiam Christi praecepto paulo post patuit. Quamvis enim tum, cum Christus id praeceptum dedisset, discipuli causam illius ignorarent, deinde tamen clare apparuit, rationem, cur Apostolos Jerosolymis Spiritum sanctum accipere voluerit, fuisse gravissimam, nimirum

eo consilio Christus hoc imperaverat, ut miraculi magnitudo in urbe frequentissima, et coram tot tamque diversis nationibus eo magis elucesceret, et ad promulgandam confirmandamque legem Evangelicam tanto plus valeret.

Punctum III. Considera, merito Apostolos post visum Christi, in coelum gloriose ascendentis, triumphum regressos esse cum magno gaudio; si enim tres Magi solummodo videntes stellam, *gavisi sunt gaudio magno valde* (Matth. 2, 10); et si pastores, viso Christo in praesepi egente, frigente et inglorio, reversi sunt *glorificantes et laudantes Deum in omnibus, quae audierant, et viderant* (Luc. 2, 20): quanto magis oportuit gaudere de ascensione Christi ad Patrem, et ad gloriam, tantis laboribus et doloribus comparatam? praesertim postquam Christus tantis beneficiis accendit illam dilectionem, jure requisitam his verbis (Joan. 14, 38): *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem;* — postquam etiam ipsis testatus est (Joan. 14, 3): *Vado parare vobis locum; et si abiero, et praeparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut, ubi ego sum, et vos sitis;* et (Joan. 16, 7): *Ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos;* — et (Joan. 14, 18): *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum; mundus jam me non videt; vos autem videtis me, quia ego vivo, et vos vivetis;* — et (Joan. 16, 16): *Modicum, et jam non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me;* — et (Matth. 28, v. ult.): *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* Propter has causas, his textibus significatas, gaude etiam tu gaudio magno de ascensione Christi; ut autem sic gaudere possis, cura, ut promissiones factae etiam circa te impleantur.

Meditatio CXCV.

(Feria V. infra Oct. Ascens.)

Apostoli orando se disponunt ad accipiendum Spiritum sanctum. (1.)

Act. 1, 14.

Punctum I. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Jesu, et fratribus ejus* (Act. 1, 14). Etiamsi Christus certissimo et saepius promiserit discipulis suis adventum Spiritus sancti, imo, ut ille mitteretur, Patri coelesti se supplicaturum asseveraverit: sciebant tamen, Deum etiam a se, more in conferendis gratiis usitato, velle rogari; ideo continuo vacabant orationi; audiverant enim aliquando Christum dicentem: *Pater vester de coelo dabit Spiritum bonum petentibus se* (Luc. 11, 13). Viderant etiam Spiritum sanctum super Christum nonnisi orantem descendisse (Luc. 3, 21): *Jesu baptizato et orante apertum est coelum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum.* Ex quo cognoscimus, quanti Deus aestimet, et quomodo exigat, simulque praemiis remuneretur devotam orationem, et quam multas gratias propter ejus defectum nobis subtrahat. Hinc Christus ipse verbo et exemplo suo frequenter discipulos hortatus est ad orationem, adeo, ut (Luc. 18, 1) diceret: *Oportet semper orare, et nunquam deficere.*

Punctum II. Considera, quare Deus ita aestimet et desideret orationem. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (Joan. 4, 23 sq.). Ex quibus verbis patet, quare et quomodo Deo sit accepta oratio. Per orationem enim, quae *in veritate* fit, in qua nimirum os et cor concordant, et quae *in spiritu* fit, qua nimirum anima per intellectum et voluntatem tota fertur in Deum: homo conjungitur et assimilatur Deo, qui est

purissimus Spiritus, et perpetuo in seipsum tendit, per intellectum quidem sui comprehensione perfectissima, per voluntatem autem infinito sui ipsius amore. Unde simili modo in spiritu vult adorari, scilicet per intellectum et affectum, elevatum ad Deum, et segregatum a corporalibus rebus. Talis adoratio in spiritu et veritate impetrat Spiritum sanctum, i. e. advocatum et consolatorem nostrum, qui nos doceat, et suggerat nobis omnem veritatem (Joan. 14, 26).

Punctum III. Considera causam, cur specialiter expressum sit, quod oratio aliorum fidelium fuerit conjuncta cum oratione Mariae Matris Jesu. Non caret res ista mysterio; factum enim hoc est, ut indicaretur, tunc orationem nostram fore efficacem, quando fuerit conjuncta cum oratione Mariae Matris Jesu, per quam proinde omnes gratiae et favores a Filio nobis petendi sunt. — Imprimis vero communicatio Spiritus sancti intercessione beatissimae Matris Dei nobis efflagitanda est, quia B. Virgo, faecundata a Spiritu sancto, et nobis Filium Dei genuit (Luc. 1, 35), et Spiritus sancti gratiam nobis impetrabit, ut nos ipsi quoque *filii Dei et nominemur et simus* (1. Joan. 3, 1). In ordine enim gratiae B. Maria secunda est Eva, — *eo quod mater esset cunctorum viventium* (Gen. 3, 20) et ipsa Mater nostra sub cruce a Christo constituta (Joan. 19, 27), spiritualiter in Christo nos genuit.

Meditatio CXCVI.

(Feria VI. infra Oct. Ascens.)

Apostoli orando se disponunt ad accipiendum Spiritum sanctum. (2.)

(Continuatio.)

Act. 1, 14.

Punctum I. Unanimitatem, sive mutuam caritatem in aliqua communitate esse efficacissimum medium impetrandi dona et gratias Spiritus sancti, patet ex particula

adverbiali: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione, etc.* (Act. 1, 14). Nam Christus (Matth. 18, 19) promisit: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est.* Ista enim consensio et conjunctio animorum facit, ut conjuncta vis fortius moveat, et qui secundum se indignus est exaudiri, tamen ut membrum conjunctum per caritatem cum aliis membris alicujus communitatis placentis Deo, fiat dignus, et mereatur exaudiri.

Punctum II. Considera, quomodo unanimitas non tantum orantibus impetret, sed etiam non orantibus mereatur Spiritum sanctum. Dicit enim S. Paulus (2. Cor. 13, 11): *Idem sapite, pacem habete, et Deus pacis, et dilectionis erit vobiscum.* Quia enim Spiritus sanctus est Deus pacis et dilectionis, ideo in corde cum aliis idem sapiente et pacem habente libenter habitat, et se illi in praemium confert, odio vero et dissensione fugatur. Ideo S. Paulus Ephesios admonet (4, 30—32). *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, etc., tollatur a vobis. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* Hinc patet, quare S. Joannes (20, 19 sqq.) tam diligenter notaverit, quod Christus post resurrectionem suam discipulis apparens, bis precatus sit pacem, et deinde primum dederit Spiritum sanctum: *Venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis, etc. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum.*

Punctum III. Considera, quod caritas et unanimitas removeat impedimenta Spiritus sancti. *Quoniam,* ut dicitur in libro Sapientiae (1, 4 sq.) *in malevolam animam non intrabit sapientia* (quae est donum Spiritus sancti), *nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinae effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate.* E contrario ait S. Petrus (I. 4, 8): *Ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem conti-*

nuam habentes; quia caritas operit multitudinem peccatorum, — quae, ut patet ex priore textu, sunt impedimenta Spiritus sancti.

Meditatio CXCVII.

(Vigilia Pentecostes.)

Apostoli orando se disponunt ad accipiendum Spiritum sanctum. (3.)

(Continuatio.)

Act. 1, 14.

Punctum I. Considera, Christum, etiamsi discipulis suis promiserit Spiritum sanctum, nunquam tamen illis tempus determinatum indicasse; et licet (Act. 1, 5) insinuaverit, brevem eousque intercessuram moram, dicens: *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies;* tamen per decem dies expectare illos debuisse, ut perseverantia sua mererentur acceptionem Spiritus sancti. Hinc inquit S. Lucas (Act. 1, 14): *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione, etc.* Qua de perseverantia Christus ipse dixit in parabola illius, qui sibi ab amico tres panes mutuos dari petierat (Luc. 11, 8—10): *Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, et si non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi, quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis, petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperiete vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit; et pulsanti aperietur.* Unde Christum triduana solummodo perseverantia commovit ad ingens miraculum, per quod septem panibus ad satietatem refecit quatuor millia virorum, dicens: *Misereor turbae, quia triduo jam perseverant mecum, et non habent, quod manducent, et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via* (Matth. 15, 32; cfr. Marc. 8, 1 sqq.).

Punctum II. Scrutare causam, cur Deus saepe differat dare, quod petitur, et quare proinde requirat a nobis perseverantiam. Occurrent mox plures graves rationes. 1) Ut probetur et excitetur nostra fiducia; ideo monet Propheta Habacuc (2, 3): *Si moram fecerit* (Deus), *expecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit.* 2) Ut exerceatur et roboretur nostra constantia. Sic contingit mulieri Chananaeae, pro filiae suae sanitate deprecanti (Matth. 15), ubi Christus *non respondit ei verbum* (v. 23); discipulis autem importunitatem ejus diutius non ferentibus, dixit: *Non sum missus, nisi ad oves, quae perierunt, domus Israel* (v. 24). Illi vero nondum desistenti ulterius respondit: *Non est bonum, sumere panem filiorum, et mittere canibus* (v. 26). Adhuc tamen perseveranti et dicenti: *Etiam Domine; nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum* (v. 27), tandem laudans Christus perseverantiam fiduciae, respondit: *O mulier, magna est fides tua; fiat tibi, sicut vis* (v. 28). 3) Ut beneficium aucto semper desiderio petatur, amplius aestimetur, atque obtentum majori gratitudine recipiatur, et diligentius custodiatur ac conservetur; qui fines proinde etiam movent Deum ad illud tandem conferendum. 4) Ut homo interea magis se disponat, ac dignum reddat petito beneficio, atque sic illud impetret.

Punctum III. Considera denique, quam aequum et conveniens sit, ut Deus non statim exaudiat nostras preces, et promissa beneficia conferat: quia etiam nos saepe differimus obedire ejus inspirationibus, admonitionibus, et praeceptis. Hinc saepe diu clamat: *Ecce sto ad ostium, et pulso; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, introibo ad illum, et coenabo cum illo, et ipse mecum* (Apoc. 3, 20). Saepe tardamus, et tamen fateri cogimur cum sponsa (Cant. 5, 2): *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et concinni mei guttis noctium* (ex frigore noctis). Perseverantia itaque nostra expiemus tarditatem nostram, ut tandem mereamur accipere, quod constanter petimus.

Meditatio CXCVIII.

(Dominica Pentecostes.)

De adventu Spiritus sancti die Pentecostes. (1.)

Act. 2, 1 sq.

Punctum I. *Cum complerentur dies Pentecostes* (i. e. dies quinquaginta, sive quinquagesima dies, qua lex evangelica erat promulganda, — sicut Moyses promulgavit legem Decalogi die quinquagesima a liberatione de servitute Aegyptiaca, sive ab exitu de Aegypto, id est, a Paschate Judaeorum), *erant omnes pariter in eodem loco, et factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes* (Act. 2, 1 sq.). Considera, sicut eodem die, quo promulgata fuit a S. Petro, et legi Moysis subrogata lex Evangelica, Christi fidelibus in coenaculo praesentibus datus est Spiritus sanctus, ut eam cordibus illorum inscriberet, et sublato servili timore Judaeorum, jugum Christi suave ac onus leve per infusum amorem redderet: ita tibi quoque eodem die, quo per baptismum subjectus es legi Evangelicae, Spiritum sanctum, qui est Spiritus amoris, modo quodam non visibili infusum esse, ac tamdiu in te manere, quamdiu per peccatum non expellitur. Agnosce ergo maximum hoc beneficium, ac pro illo gratus esse stude. Quantus enim hic Dei in te favor, quod, cum nemo possit introire in regnum Dei, *nisi renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto,* ut testatur Christus ipse (Joan. 3, 5), — tu quoque ex aqua et Spiritu sancto renatus fueris! Audi autem S. Paulum ad Ephesios (4, 30) scribentem: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Id igitur omni studio conare, ut illum per integram legis Evangelicae observationem tecum retineas, atque sic illa Christi promissio in te impleatur (Joan. 14, 15): *Si diligitis me, mandata mea servate; et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum.*

Punctum II. Considera, indicia in te existentis et operantis Spiritus sancti colligi ex iisdem indiciis, quibus in Pentecoste manifestavit suum adventum: *Factus est repente de coelo sonus* (Act. 2, 2). Attende itaque, an, quando sentis in anima tua aliquem sonum, impulsum, afflatum, strepitum alicujus affectus, ille fit de coelo? An, inquam, inspiret coelestia bona, an vero terrena? Sonus enim, qui a vento et spiritu superbiae, vel a spiritu carnis, aut mundi, vel a spiritu malo editur, non est de coelo, nec coelestia aeternaque bona intonando inspirat.

Punctum III. Aliud indicium sancti Spiritus continetur in verbis: *Tamquam advenientis Spiritus vehementis* (Act. 2, 2). Nam, ut S. Ambrosius (l. 2. in Luc.) ait: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Itaque quando non tarde, nec remisse ad stadium virtutis ac perfectionis impelli te sentis, signum est, te regi a Spiritu sancto, quo filii Dei aguntur; nam, ut ait S. Paulus (Rom. 8, 14): *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Pari ergo vehementia et alacritate obtemperandum est affectui, et impulsui Spiritus sancti, omniaque obstacula, et impedimenta, eo incitantia, perfringenda, omnes morae perrumpendae, etc.

Meditatio CXCIX.

(Feria II. Pentecostes.)

De adventu Spiritus sancti die Pentecostes. (2.)

(Continuatio.)

Act. 2, 3.

Punctum I. *Et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis, seditque supra singulos eorum* (Act. 2, 3). Signum exterius interni spiritus est lingua. *Ex abundantia enim cordis os loquitur* (Luc. 6, 45). Si itaque, vel cum vocaliter oras, vel si cum alio sermonem misces, vel si pro concione dicis, lingua tua plus quam

hominem sonet, luceat et ardeat: signum est, te repletum esse Spiritu sancto. Si autem orans, Deum labiis honores, cor autem longe sit ab illo (Matth. 15, 8); si illud nec a Spiritu sancto illuminetur, nec amore accendatur; si colloquia tua nihil spirituale, neque ullum aedificationis verbum sonent; si omni doctrinae coelestis ac boni exempli splendore careant, nec tantam vim habeant, ut alios ad coelestium amorem inflammare possint; si pro concione te potius, quam Christum praedices, et auditorem nec erudias, nec inflammes, — adeoque si supra te non appareat lingua, tanquam ignis: signum est, te neque intus Spiritu sancto repletum esse.

Punctum II. In verbis: *Seditque supra singulos eorum* — tria consideranda sunt. 1) Quod ignis Spiritum sanctum denotans, dicatur *sedisse,* sicut versu praecedenti illi, qui recipiebant Spiritum sanctum, dicebantur *sedentes:* quo indicabatur, Spiritum sanctum apud discipulos permansurum et perseveraturum esse, sicut illi prius fuerant perseverantes in oratione, sui collectione ac dispositione continua ad recipiendum et retinendum Spiritum sanctum. — 2) Quod nullus ex congregatis fuerit praeteritus a Spiritu sancto; quia enim *omnes erant perseverantes unanimiter in oratione* (Act. 1, 14), *et omnes erant pariter in eodem loco* (Act. 2, 1): ideo Spiritus sanctus venit in singulos, et repleti sunt omnes Spiritu sancto. Quandocunque ergo in religiosa multitudine omnes orationem suam cum aliis diligenter peragunt, et sunt pariter, i. e. pari fervore, pari studio virtutis, pari observantia Regularum, etc., in eodem loco: pares favores coelestes accipiunt.

Punctum III. Denique in praedictis verbis considerandum est 3) quod, licet singuli eundem Spiritum sanctum acceperint, non tamen una communi lingua omnium capita irradiata fuerint, sed singulae linguae super singulorum capita sederint, ut indicaretur, in cujusque corde propriam ac peculiarem gratiam Spiritus sancti diffusam esse. Ita enim inquit S. Paulus (Rom. 5, 5): *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Unde quamvis omnes quidem repleti sint Spiritu sancto, pro diversa tamen capacitate ac dispositione inae-

qualiter sunt repleti. Ideo S. Paulus, cum (Ephes. 4, 4) dixisset, quod omnes fideles sint unum corpus et unus spiritus (v. 7) ait: *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Mensura hujus donationis est juxta mensuram meritorum. — Dispone igitur cor tuum quam maxime cum gratia Dei ardenter petita poteris ad accipiendum Spiritum sanctum, et ideo etiam ad S. Sacramenta suscipienda animam tuam magna cum devotione praepara.

Meditatio CC.

(Feria III. Pentecostes.)

De adventu Spiritus sancti die Pentecostes. (3.)

(Continuatio.)

Act. 2, 4; v. 13—17.

Punctum I. *Coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (Act. 2, 4). In aedificatione turris Babylonicae varietas linguarum causa dissensionis, confusionis et cessationis ab officio aedificioque fuit: in extructione Ecclesiae multiplex donum linguarum causa unionis et consummationis aedificii fuit, quia ejus ope variae nationes fide et caritate conjunctae sunt. Tunc ergo donum variarum linguarum te crede assecutum (tale scilicet, ut unusquisque sua lingua te loquentem audiat), si absque spiritu, ut vocant, nationali omnibus aequali cum caritate loquaris, et neminem verbo offendas, nemini contradicas, nemini obloquaris; si auditorum captui et sensui te accomodes; si cum S. Paulo dicere possis (1. Cor. 9, 22): *Omnibus omnia factus sum.* — Illud praeterea pro majore tui humiliatione observa, quod omne id, quidquid recte et laudabiliter loqueris, a Spiritu sancto tibi datum fuerit eloqui, et tu plus nec potueris, nec possis eloqui, quam ipse dederit.

Punctum II. *Alii autem irridebant dicentes: Quia musto pleni sunt isti* (Act. 2, 13). Sic nulla res tam

bene agitur vel dicitur, quin ab aliquibus elevetur et contemnatur. Noli ergo aegre ferre, si non omnes habeas laudatores rerum tuarum, sique eas aliqui vilipendant, ac sinistre de iis loquantur.

Punctum III. *Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, et locutus est eis: Viri Judaei, et qui habitatis Jerusalem universi: hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia; sed hoc est, quod dictum est per prophetam Joël* (2, 28): *Et erit in novissimis diebus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae, etc.* (Act. 2, 14—17). Hic est iterum effectus et indicium praesentis Spiritus sancti, si alios contra sinistros de ipsis sermones tuearis cum Petro, jam Spiritus sancti pleno; vel si, quantum status tuus permittit, piis sermonibus alios instruas, ac excites ad virtutem, — prout etiam mulieres ac filiae Jerusalem a Spiritu sancto donum prophetandi, id est, de ministeriis fidei loquendi, accepisse memorantur. Absit vero a te, ut hujusmodi sacros sermones pro ebriorum deliriis habeas, sicut illi viri Judaei. Talem quoque divini nectaris ebrietatem tibi procura, qualem Apostoli habuerunt; de quibus impletum est vaticinium Jeremiae (31, 14): *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine: et populus meus bonis meis implebitur.*

Meditatio XXI.

(Feria IV. infra Oct. Pent.)

De primis quatuor donis, quibus Spiritus veritatis illuminat.

Is. 11, 2 sq.

Punctum I. Considera, ab Isaia (11, 2 sq.) septem praecipua et primaria dona Spiritus sancti referri, ad quae cetera omnia fere referuntur, et inter ea quatuor spectare

ad intellectum, darique *Spiritu veritatis* (ut illum Christus appellat Joan. 14, 17), de quo idem Christus (ib. v. 26) inquit: *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quaecunque dicere vobis.* Et (Joan. 16, 12): *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Haec igitur veritas, quando est circa objecta divina et aeterna, actus et habitus supernaturalis in illa tendens vocatur ab Isaia (l. c.) *Spiritus sapientiae,* qui nimirum versatur circa objecta altissima. Quando vero est circa objecta temporalia, prout ad salutem nobis conducunt, vocatur *Spiritus scientiae,* repraesentantis illorum utilitatem et modum, quo illis recte utamur. Quando autem est circa objecta obscura, e. g. circa legitimum sensum S. Scripturae, dicitur *intellectus.* Quando denique est circa objecta eligibilia, i. e. talia, quae in deliberationem venire possunt, actus et habitus, quo in illa tendimus eaque cognoscimus, appellatur *Spiritus consilii,* sive prudentiae. Haec quatuor in eminenti valde gradu Isaias tribuit Christo his verbis: *Et requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis. Et replebit eum Spiritus timoris Domini* (Is. 11, 2 sq.). Considera ergo hic seorsim quatuor dona intellectum illuminantia, quam excellentia, utilia, et necessaria sint ad sancte, secure, tranquille, suaviter et beate vivendum, et quomodo sint pars summae felicitatis in hac vita. Ea igitur pete a Spiritu sancto tibi dari, in te conservari et perfici.

Punctum II. Considera haec dona plerumque a Spiritu sancto non nisi adhibitis prius a nobis certis mediis impertiri, nempe oratione, meditatione, lectione, auditione verbi divini, usu et exercitio multaque experientia, non autem sine mediis, et sine propria cooperatione. Sic (Act. 16, 14) de Lydia purpuraria tantum dicitur: *Cujus Dominus aperuit cor, intendere his, quae dicebantur a Paulo.* — Alia ejusmodi media, quae adhibenda sunt, indicantur ab Ecclesiastico (c. 39) et passim in S. Scriptura. Diligenter itaque et constanter his utere, si vis

accipere et mereri Spiritus sancti dona, quae sunt diligentiae et virtutis praemia.

Punctum III. Considera, quod Christus Spiritum sanctum dixerit (Joan. 14, 17) esse: *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.* Nempe cum ignoti nulla sit cupido, et cum Spiritus veritatis non detur nisi desiderantibus et petentibus, ac sese disponentibus dignosque reddentibus: ideo mundus, qui tantum ea, quae sensibus subjecta sunt iisque blandiuntur, appetit, eum, quem non videt, nec scit, non potest appetere, nec accipere. Tu ergo, quia ex fide et quotidianarum inspirationum experientia, novisti Spiritum sanctum, et veritates illius, quas ipse docet esse certissimas, et scitu quam maxime necessarias: eas praefer sapientiae totius mundi, memor illius moniti S. Pauli (1. Cor. 3, 18): *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum.* Et (Rom. 8, 6): *Prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus vita et pax: quoniam sapientia carnis inimica est Deo.* Unde ab hac tanquam e diametro contraria Spiritui sancto, et a contemptu bonorum Spiritus sancti, quae mundus proinde accipere non potest, singulariter tibi abstinendum est, aestimatio vero et notitia illorum, atque inde consequens spes, desiderium, ipsa denique assecutio omni studio curanda.

Meditatio CCII.

(Feria V. infra Oct. Pent.)

De reliquis tribus donis, quibus Spiritus Paraclitus voluntatem perficit.

Is. 11, 2 sq.

Punctum I. Quoad reliqua dona, quae ab Isaia (l. c.) dicuntur: *Spiritus fortitudinis, pietatis et timoris Domini,* — considera: 1) *Spiritum fortitudinis* homini dari

ad fortiter vincendum seipsum, tum in respuendis bonis, non conducentibus ad salutem, tum in admittendis et fortiter perferendis malis et adversis, ipsoque etiam, quando opus fuerit, Martyrio, pro obtinenda salute generose et alacriter subeundo. Postquam hoc Spiritu fortitudinis donatus fuerit S. Paulus, de bonis, ut inutilibus ad salutem, cujuscunque ordinis sint, generose contemnendis, sic scripsit (Philipp. 3, 7): *Quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo, omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Et (Rom. 8, 35 sqq.) de adversis fortiter ferendis haec exaravit: *Quis ergo nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus, sicut oves occisionis* (Ps. 43, 22). *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos, etc.*

Punctum II. Considera, 2⁰ *Spiritum pietatis* non tantum restringi ad virtutem illam specialem, qua hominibus, qui vitam nobis dederunt, vel qui singulari quodam modo nobis conjuncti sunt, ut fratribus, consanguineis, popularibus, etc. debitum amorem, et obsequium exhibemus; sed extendi etiam ad supremum nostrae vitae principium, et ad omnes homines, in quantum ab eodem principio procedunt, et ratione illius tanquam fratres et sorores nobis conjuncti sunt; unde universim homines virtutis studiosi, in quantum se recte erga Deum, et erga proximum habent, dum videlicet implent illa duo praecepta, — *in quibus universa lex pendet et Prophetae* (Matth. 22, 40), homines *pii* vocantur. Et de hac pietate S. Paulus (1. Tim. 4, 8) inquit: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.* Adeoque utilis est ad praesentem et futuram vitam beate agendam. Quanto igitur studio hoc donum Spiritus sancti est petendum, procurandum, conservandum, augendum?

Punctum III. Considera 3⁰ *Spiritum timoris* non esse spiritum timoris servilis; unde S. Paulus (Rom. 8, 15)

in Spiritu sancto baptizatis ait: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum.* Adeoque illius timoris Spiritus petendus, accipiendus et retinendus a nobis est, qui ab Isaia (11, 3) super Christum Filium Dei naturalem requievisse scribitur; quo scilicet sollicite cavemus, quidquid Deo, ut dilectissimo Patri nostro, posset displicere. Attende ergo, quam circumspecte et caute te geras in evitandis periculis et occasionibus peccandi non tantum graviter, sed etiam leviter; quomodo tibi semper diffidas, in tentatione vigiles, in securitate timeas, et an de te dici possit: *Beatus homo, qui semper est pavidus* (Prov. 24, 18).

Meditatio CCIII.

(Feria VI. infra Oct. Pent.)

De sex prioribus fructibus Spiritus sancti. (1.)

Gal. 5, 22 sq.

Punctum I. Quamvis omnis habitus et actus virtutum fructus sint Spiritus sancti, per gratiam sanctificantem diffusi in cordibus nostris, S. Paulus tamen (Gal. 5, 22 sq.) tanquam fructus suaviores, quique humanis sensibus facilius percipi possint, duodecim tantum enumerat, dicens: *Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Praecipius itaque, et loco ac dignitate primus fructus Spiritus sancti est *caritas,* qua Deum diligimus propter se, et proximum propter Deum. Considera hujus fructus utilitatem. *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. 8, 28). — Considera ejusdem suavitatem; Deum enim diligens anima per experientiam dicere potest: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (Ps. 33, 9). Proximum vero diligens, expertus dicit: *Ecce quam bonum, et quam jucundum,*

habitare fratres in unum (Ps. 132, 1). — Cum hoc fructu connexus est secundus, nempe *gaudium* de Deo et in Deo; qui enim diligit Deum, gaudet de infinita et immutabili ejus bonitate, eamque per amorem possidens, in ipsa quoque gaudet et satiatur, ita ut haec bonitas Dei infinita sufficientissima sit ipsi et maxima gaudendi ratio. Ideo S. Paulus (Philipp. 4, 4) dixit: *Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete.* Deinde qui diligit Deum, servat ejus mandata (Joan. 14, 15); sicut autem transgressio mandatorum parit in anima tristitiam ac remorsum: ita observatio parit gaudium. Unde: *Secura mens quasi juge convivium* (Prov. 15, 15). Similiter qui diligit proximum, gaudet de ejus prosperitate, et animi sui concordia cum omnibus.

Punctum II. Considera, quomodo cum prioribus duobus fructibus conjunctus haereat tertius fructus, scilicet *pax* cum Deo, cum proximo, et secum ipso. Hunc fructum Spiritus sancti ex caritate Dei et proximi ortum, et summi gaudii gustum in se continentem, precatur nobis S. Paulus (Philipp. 4, 7): *Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu.* — Hanc pacem animi retinere non possumus sine *patientia* in adversis, quae vel a Deo nobis immittuntur, vel a proximo inferuntur, vel ex corpore vel anima nostra oriuntur; ideo hic est quartus fructus Spiritus sancti, cujus cum pace animi connexionem indicavit Christus (Luc. 21, 19): *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Punctum III. Sicut sine patientia non potest conservari pax et tranquillitas animi: sic sine *benignitate* et *bonitate* non potest conservari caritas cum proximo. Ideo inquit S. Joannes (I. 3, 17 sq.): *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* Itaque diligamus benefaciendo, quod est officium bonitatis; operi autem et beneficio praestito accedat vultus serenus, sermo suavis et affectus promptus, — quod est officium benignitatis; quam esse fructum Spiritus sancti, cum dono coelestis sapientiae

dari solitam, patet etiam ex illo (Sap. 7, 23), ubi Spiritus sapientiae dicitur esse Spiritus *benefaciens, humanus, benignus.*

Meditatio CCIV.

(Sabbato infra Oct. Pent.)

De sex posterioribus fructibus Spiritus sancti. (1.)

(Continuatio.)

Gal. 5, 22 sq.

Punctum I. Quia nec caritas, nec pax, nec patientia potest stare sine mansuetudine, ideo fructibus praedictis (Gal. 5, 22) merito accensetur *mansuetudo* (ib. v. 23), quae maxime necessaria est religioso, in communitate viventi. Ideo S. Paulus (2. Tim. 2, 24) ait: *Servum autem Domini non oportet ligitare, sed mansuetum esse ad omnes.* Quod ipse Dominus suo exemplo docere nos voluit, dicens: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (Matth. 11, 29). Hoc qui discunt, beatos Christus pronuntiat, et possessionem terrae promittit (Matth. 5, 4): *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram;* uti et David (Ps. 36, 11): *Mansueti autem habitabunt terram.* In terris cum aliis in pace vivent; et corda eorum possidentes multum efficient; sed possidebunt etiam terram futuram, i. e. coelestem: *Salvos facit omnes mansuetos terrae* (Ps. 75, 10). Hanc vero animi suavitatem et modum agendi cum fortitudine quadam, si opus sit, exercenda, componere sciunt, edocti sapientiam, de qua dicitur (Sap. 8, 1): *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.*

Punctum II. Mansuetudini praemiserat S. Paulus (Gal. 5, 22) *longanimitatem:* tu hic eam perpende cum fide, quia utraque hominem perficit, ut se recte habeat ad Deum, sicut mansuetudo illum perficit, ut se recte habeat ad proximum. Est autem longanimitas juxta S. Thomam

(1. 2. q. 70. a. 3., ubi explicat hos duodecim fructus Spiritus sancti): *Imperturbata expectatio bonorum speratorum.* Unde in illis sibi procurandis nullo labore, nulla difficultate se frangi sinit animus, quasi in longum tempus se extendens. Itaque sicut Deus (Ps. 102, 8) dicitur: *Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors:* ita aequum est, ut etiam tu sis longanimis erga Deum. Ita enim admonet Propheta (Habac. 2, 3): *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit.* Ad hanc longanimitatem additur a Spiritu sancto sextus fructus, nimirum *fides,* qua bona promissa a Deo firmiter creduntur. et cum magna fiducia expectantur. Unde S. Paulus (Hebr. 11, 1) scribit: *Est autem fides sperandarum substantia rerum.* Ubi ejus efficaciam innumeris veterum Patrum exemplis comprobat, et tandem (v. 33) concludit, compendio dicens: *Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, etc.* O quam foecundus est iste fructus, in corde seminatus, et oratione, meditatione, spirituali lectione irrigatus!

Punctum III. Tandem, ut homo recte se erga seipsum habeat, fructus diffusi in cordibus nostris Spiritus sancti est: *Modestia, continentia, castitas* (Gal. 5, 23). Modestia omnes actiones corporis, omnia verba, omnes operationes sensuum ad decentiam et honestatem componit, ut talis sit exterius, qualis debet esse interius; qui, ut inquit S. Petrus (I. 3, 4): *Absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* De hoc fructu (Prov. 22, 4) dicitur: *Finis modestiae timor Domini.* Itaque ex hac ipsa modestia sequitur *continentia,* quae veretur admittere quamcunque inordinatam oblectationem sensuum, vel passionum effraenationem, vel appetitus inferioris concupiscentiam; atque haec continentia est fructus tam pretiosus, ut Ecclesiasticus (26, 20) divino ore asserat: *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animae.* — Ex continentia subsequitur *castitas,* quae tam in corpore, quam in animo angelica sit oportet. Eam S. Paulus Timotheo suo (I. 5, 22) hisce verbis praecepit: *Teipsum castum custodi.* Nam: *Beati mundo corde,*

quoniam ipsi Deum videbunt (Matth. 5, 8). Istos duodecim fructus, hujus et praecedentis meditationis, pete a Spiritu sancto per merita passionis et crucis Christi Domini, quae est lignum illud vitae, de quo in Apocalypsi (22, 2) dicitur: *Ex utraque parte fluminis lignum vitae, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.*

PARS V.

Meditationes a festo SS. Trinitatis usque ad finem Octavae festi SS. Corporis Christi.

Meditatio CCV.

(Dominica I. post Pent. — In festo SS. Trinitatis.)

De sanctissima Trinitate.

1. Joan. 5, 17; Matth. 28, 19.

Punctum I. *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt* (1. Joan. 5, 7). Considera itaque incomprehensibilem Dei perfectionem, vi cujus Personae realiter (ut scholae loquuntur) inter se distinctae, unam communem habent naturam infinite perfectam, et sunt unus idemque Deus; quibus proin summa cum veneratione et latriae cultu congratulaberis et congaudebis de sua Divinitate simplicissima, et Personarum Trinitate. — Considera deinde, quomodo hae tres divinae Personae dignentur etiam in consortium suae divinae naturae nos assumere, et suo modo unum secum efficere per unionem nostrae voluntatis cum divina, et per caritatem, qua alios amamus propter Deum. Atque, ut sic unum essemus in Deo et cum Deo,

Christus ipse non pro Apostolis tantum, sed etiam pro omnibus nobis a Patre coelesti ultimis et efficacissimis precibus rogavit (Joan. 17, 20): *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.*

Punctum II. Quia invisibilis Dei unitatem ac Trinitatem in se ipsa intueri non potes, considera illam in imagine sua; dixit enim Deus (Gen. 1, 26): *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* — in quantum videlicet (ut similitudinem hanc explicat S. Damascenus) tres potentiae spirituales reminiscendi, intelligendi et appetendi in eadem anima rationali contentae, ejusdem divinae naturae trinam personalitatem denotant ac repraesentant. Ideo aestima tuam dignitatem et excellentiam, atque indignum ac indecorum reputa, te alia objecta memoria complecti, intellectu percipere, voluntate et amore prosequi, quam quae ad Deum cognoscendum et amandum referuntur. — Sicut Deus Pater seipsum cognoscendo et comprehendendo generat Filium, uterque vero amando spirat Spiritum sanctum, ita et tu tribus illis animae potentiis nonnisi ad cognoscendum et amandum Deum uti debes.

Punctum III. Considera, quomodo homo non tantum, ut creatus, sed etiam ut regeneratus per baptismum, sit imago SS. Trinitatis; atque hoc Christus etiam per externam professionem SS. Trinitatis indicari voluit, quando (Matth. 28, 19) praescribens formam baptismi, dixit discipulis suis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Quibus verbis SS. Trinitas sui imaginem nobis imprimit, et per gratiam in cordibus nostris diffusam efficit nos, ut loquitur S. Petrus (II. 1, 4), *divinae consortes naturae,* — et (ut inquit Synodus Tridentina sess. 6, c. 7): *Haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, fidem, spem et caritatem;* quorum habituum subordinatio, — dum scilicet actus fidei praerequiritur ad actum spei, uterque autem ad actum caritatis, — pulcherrima SS. Trinitatis imago exsistit, qua Filii a Patre, Spiritus sancti autem, qui divina caritas est, ab utroque processio repraesentatur. Hanc

itaque unius naturae divinae et trium Personarum imaginem per baptismum tibi infusam, nunquam sine in te veterascere, sed audi S. Paulum, omnes baptizatos monentem (Ephes. 4, 23): *Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis;* — (uti fit in baptismi regeneratione); et (Coloss. 3, 10): *Expoliantes veterem hominem cum actibus suis, induentes novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum.*

Meditatio CCVI.

(Feria II. post fest. SS. Trin.)

De omnipotentia Dei Patris.

Punctum I. Considera tria potissimum spectare ad extollendam, et summo honore ac amore prosequendam omnipotentiam divinam. 1° Quod coelum et terram ex nihilo produxerit cum tanto apparatu et varietate rerum, ad ornatum, utilitatem, necessitatem, ipsamque etiam voluptatem pertinentium: ita ut sive totum universum, sive partes singulae expendantur, praesertim substantiae rationales, Angeli et homines, magna in illis divinae potentiae et artis specimina eluceant. Unde Deus ipse opera a se facta intuens: *Vidit cuncta, quae fecerat, et erant valde bona* (Gen. 1, 31). Quae omnia summa quoque facilitate, unico verbo: *Fiat*, i. e. solo voluntatis suae efficaci decreto produxit. *Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt* (Ps. 32, 9). 2° Quod omnia ita a Deo dependeant, ut nisi ea continuo conservaret, illico in nihilum suum reverterentur. Unde Judas (II. Macc. 8, 18) dixit: quod Deus possit *universum mundum uno nutu delere*, — nempe si nolit amplius conservare. Et (Sap. 11, 26) dicitur: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum esset, conservaretur?* Deus est enim, ut S. Paulus

dicit (Hebr. 1, 3): *Portans omnia verbo virtutis suae.* — 3° Quod Deus in omnibus creaturis operetur, et istae tam quoad existentiam, quam quoad operationem suam ab omnipotentia Dei dependeant. Ideo Isaias (26, 12): *Omnia opera nostra operatus es in nobis.* Et ipse Christus: *Pater meus usque modo operatur, etc.* (Joan. 5, 17); et S. Paulus (Rom. 11, 36): *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia;* — et (II. Cor. 3, 5): *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis: sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Hinc autem, quia Deus in gratiam tui et uniuscujusque hominis tanta et tam continuo operatur, ut Pater liberalissimus, atque inter alia sua opera te quoque produxit, etiamnum conservat, et ad omnes actiones tuas concurrit: facile colligitur et concluditur, quanto in illum debeas ferri amore, qua cura otium vitare debeas, nec unquam cessare a bono opere, sed omnia tua opera ad illius cultum referre, facere ea valde bona, omnia ipsi adscribere, pro omnibus gratias agere.

Punctum II. Considera, quomodo Deus peculiariter erga electos suos omnipotentiam suam ostendat, dum scilicet, illos mirabili quodam modo protegit contra potentissimos hostes; ut patet ex prodigiosa liberatione Israëlitarum (Exod. c. 7 sqq.) de servitute Pharaonis, in mari rubro submersi (Exod. c. 14), trium puerorum de fornace Babylonica (Dan. c. 3), Danielis de lacu leonum (Dan. c. 6), innumerorum Christi fidelium et tui etiam ipsius de persecutionibus hostium visibilium ac invisibilium, praesertim in frequentissimis et gravissimis tentationibus, occassionibus, ac peccandi periculis liberati. Ideo (Ps. 96, 10) dicitur: *Qui diligitis Dominum, odite malum! Custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.* — Deinde considera, quam innumera et magna patraverit Deus miracula in gratiam Sanctorum, vel per Sanctos, — sicut Psalmista exclamat (Ps. 67, 36): *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Maxime autem expende summum illud miraculum, quo producta est propter peccatores admiranda unio inter Verbum divinum et inter Christi humanitatem; illudque etiam, quo Deus continuo species panis et vini sine sua substantia conservat, per

consecrationem in Corpus et Sanguinem Christi conversa. Denique considera, si omnipotentia Dei tam admirabilis est in operibus et rebus conditis in usum communem, tam malorum, quam bonorum hominum: qualia sint futura illa opera, quae in coelo pro praemiis et gaudiis beatorum sunt condita. De quibus expertus testis ait (I. Cor. 2, 9): *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Quis autem non diligat tam potentem, tam bonum, et amicos suos tam liberaliter et fortiter diligentem Deum? Hinc aestima etiam, quanta fiducia divinae protectioni servus Dei se debeat committere, et cum Davide omnem in eo spem ponere, et ideo cum eodem Propheta (Ps. 27, 7) exclamare: *Dominus adjutor meus, et protector meus! In ipso speravit cor meum, et adjutus sum.* — Deinde quam efficacia auxilia possit sperare ad opera virtutum, Deo quibusvis miraculis gratiora; — denique quanto satius sit, contemptis hujus vitae praemiis, in altera primum vita mercedem laborum et operum nostrorum expectare, ubi praemia sunt maxima et aeterna. Ne ergo inter eos esto, de quibus dicitur (Matth. 6, 16): *Quia receperunt mercedem suam;* — vel (Matth. 25, 26): *Serve male et piger, etc.*

Punctum III. Considera, quomodo Deus sit potens, et potentia sua utatur adversus malos. Patet id satis ex Angelis coelo ejectis; ex hominibus diluvio universali deletis; Sodomis igne consumptis, uti et ex quatuordecim millibus hominum, et septingentis ob murmurationem simili incendio pereuntibus (ut dicitur Num. 16, 49), atque aliis innumeris, de quibus Beatissima Virgo in suo Cantico inquit: *Fecit potentiam in brachio suo. — Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles* (Luc. 1, 51 sq.). Vel maxime autem patet omnipotentia Dei in malos ex atrocitate et aeternitate poenae infernalis. Doctrinam timoris Dei hinc colligendam suggerit nobis Christus ipse (Luc. 12, 5): *Ostendam autem vobis, quem timeatis; timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete.* Timor autem iste amori jungatur, ut desinat esse servilis, et in filialem

transeat; praesertim quia Deus propter multa et gravia peccata tua solum paterna castigatione te punivit, et potentia ad inferendas gravissimas ac aeternas poenas usus non est; imo potius efficacissima media, tum universalia, tum particularia, et auxilia gratiae quam plurima et aptissima contulit, ac potenti manu ex inferni faucibus te hactenus eripuit. Quae distinctius tecum expendens ac enumerans, pro inferni flammis, ardenti in Deum amore conflagrabis, atque in holocaustum te tuaque omnia offeres.

Meditatio CCVII.

(Feria III. post fest. SS. Trin.)

De Sapientia Filii.

Punctum I. Considera illa verba S. Pauli cum admiratione exclamantis (Rom. 11, 33): *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei!* Qui solus seipsum perfecte comprehendit, et in seipso cognoscit omnem veritatem possibilem, omnia praeterita, praesentia, et futura; qui cor hominis inscrutabile perfectissime scrutatur, et omnes ipsius cogitationes et affectus intimos quacunque temporis differentia existentes, vel etiam sub quacunque conditione exstituros, clarissime et distinctissime, et jam ab aeterno et etiamnum semper cognoscit; idque verum est respectu omnium hominum, Angelorumque existentium ac possibilium, quamvis sint possibiles tantum, et conditiones sine fine variari possint. Et tamen neque cognitionis aeternitate, neque objectorum multitudine et diversitate Deus fatigatur, aut perturbatur. Itaque et tu exclama: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei!* Ambula semper in conspectu Dei, memor, omnes actiones tuas internas et externas, et omnia verba tua ab ipso clarissime et certissime cognosci, ut ea vel remuneretur, vel puniat; perspectas ipsi etiam esse omnes tuas tribulationes, miserias, necessitates; omnes petitiones tuas illi innotescere.

Unde accede ad ipsum magna fiducia. Time judicem. Demerere, bene semper agendo et fortiter patiendo, liberalissimum remuneratorem. Ama Deum, mente tecum revolvens, quomodo ipse scientiam suam in totius generis humani, et praecipue in tuam utilitatem ac bonum impenderit.

Punctum II. Considera sapientiam et providentiam Dei tam quoad gubernationem universalem totius Universi, quam quoad singulas creaturas. Nam, ut ipse Christus ait (Luc. 12, 6 sq.): *Quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo. Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeribus pluris estis vos.* Et in libro Sapientiae (8, 1) dicitur: *Attingit usque in finem fortiter et disponit omnia suaviter.* Et (ib. 14, 3): *Tua, Pater, providentia gubernat.* Omnia mala, quae in toto mundo fiunt, sapientissime permittit, et ad finem sibi praefixum ordinat, ita ut ea noverit in bonum convertere. Ideo Propheta Amos (3, 6): *Erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Unde gubernatio divina est sapientissima, efficacissima atque facillima Deo. Cujus providentiae proinde te tuaque omnia penitus committes cum plena resignatione, indifferentia et fiducia; petesque a Deo dirigi non secundum tuam, sed illius sapientiam ac voluntatem, cui tuam cum integra proprii intellectus et judicii conformatione perfectissime subjicies ac resignabis.

Punctum III. Considera, quomodo Deus thesauros suae sapientiae, scientiae ac providentiae etiam in homines effundat. Ipse enim immediate illuminat Angelos superiores, hi inferiores; isti, quia sunt in ministerium et custodiam hominum missi (Hebr. 1, 14), instruunt homines; homines autem docendo, praedicando, libros edendo inter se divinae sapientiae radios propagant. Unde nunc mundus plenus est libris et instructoribus, de quibus dictum est: *Vos estis lux mundi* (Matth. 5, 14). Nec solum tamen per Angelos et homines Deus sapientiam suam communicavit, sed ipsam divinam Sapientiam Filium suum carne humana indutum, misit in mundum (Hebr. 1, 1 sq.). Ille ergo venit tanquam: *Lux vera, quae illuminat omnem hominem venien-*

tem in hunc mundum (Joan. 1, 9); — et: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (ib. v. 18). — *Coepit facere et docere* (Act. 1, 1), — ut sic exemplo suo et doctrina sua coelestem sapientiam in nos transfunderet coelestis Sapientia. Ille vero ad Patrem reversus, misit nobis Spiritum veritatis, uti pollicitus est, dicens (Joan. 16, 12 sq.): *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso, sed quaecunque audiet* (scilicet a coelesti Sapientia), *loquetur;* — quod de facto in cujusvis anima facit per divinas suas inspirationes, quas constanter in te experiris. Utere ergo diligenter mediis acquirendi coelestem sapientiam, scilicet orationis, meditationis, sacrae lectionis; praesertim autem noli animae aures occludere Spiritui sancto. Oppone coelestem sapientiam sapientiae mundi, sophismatis diaboli, tepidorum hominum axiomatis, tuis falsis principiis. Et sic experieris, verum esse, quod de coelesti Sapientia Salomon dixit (Sap. 7, 11 sq.): *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius, et laetatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia.* Et (v. 14): *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati.* Quantum ergo meretur amari Deus propter thesauros scientiae, sapientiae et providentiae in omnes homines, et praecipue in te effusos, per tot spirituales exercitationes, inspirationes, studia litterarum, lectionem, et auditionem piorum sermonum?

Meditatio CCVIII.

(Feria IV. post fest. SS. Trin.)[1])

De misericordia Spiritus sancti.

Punctum I. Considera, quam recte Psaltes regius dixerit (Ps. 32, 5): *Misericordia Domini plena est terra.* Cum enim misericordia sit benigna et clemens depulsio miseriae alienae, ex indigentia boni necessarii ortae, vel ex culpa promeritae ac debitae: Deus imprimis benigne depellit miseriam hominum, dum de bonis necessariis ad salutem tum corporis, tum animae abundantissime providet. Hac misericordia fretus idem regius Psaltes (Ps. 68, 17) precatur: *Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* Corpori quippe suppeditat victum, vestitum, habitationem, sanitatem, etc. Animae post lapsum Adami pro Redemptore dedit Filium suum Unigenitum, quia alius nemo naturam lapsam poterat erigere: dedit ejusdem merita infiniti valoris; dedit sacramenta, et inter ea Sacramentum Corporis ac Sanguinis Christi in cibum ac potum animae; dedit sacrificium ad Deum colendum, placandum, demerendum omnium praestantissimum; dedit innumera alia media salutis communia et particularia. Et haec quidem omnia dedit immerentibus ac indignis, quin potius propter innumera et gravia peccata, contra ipsum Deum ab hominibus commissa, omnia alia commeritis. Et praeter illa dedit adhuc medium facillimum, quaevis alia bona impetrandi, dum scilicet Joannes (14, 13 sq.) per ipsum Christum nobis promittit: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Et ut hoc ipso medio recte uti possemus, dedit etiam nobis ipsum Spiritum sanctum, qui est caritas et misericordia ipsa. Ideo

---

[1]) Pro devotione novendiali ante festum SS. Cordis Jesu Chr. D. N. (feria VI. post Oct. Corp. Chr.) instituenda inservire poterunt Med. sequentes de SS. Euchar. (Med. 209—216).

S. Paulus (Rom. 8, 26) inquit: *Similiter autem Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis* (suggerendo nobis, quid et quomodo oremus) *gemitibus inenarrabilibus.* Si ergo tanta est misericordia Dei ad pellendam omnem miseriam: indignum est, nos alibi solatium vel auxilium quaerere apud ullam creaturam; vel Deo minus confidere, vel non nisi vilia, nobis parum utilia, Deo ingrata, aut omnino nihil petere; adhuc autem foret iniquius, si erga tam misericordem ac liberalem Dominum non vicissim liberales, aut in cultu ejusdem negligentes, ac parum devoti, in amore tepidi essemus.

Punctum II. Considera, quanta sit Dei misericordia in ordine ad depellendam miseriam hominum, ex divinae Majestatis gravissima et multiplici laesione debitam. Quamvis enim dignitas et excellentia personae laesae infinito excessu superarit vilitatem hominum laedentium, et plerique illorum ipsum verum Deum non amplius agnoverint; qui vero agnoverant, non glorificarint, ita ut totus mundus per quater mille annos in maligno positus esset (1. Joan. 5, 19): Pater divinus tamen misit Filium suum; Filius venit in uterum Virginis, et Spiritus sanctus obumbravit illi, ut conciperet, et pareret Filium Dei, per quem genus humanum acciperet remissionem peccatorum, et pretium infinitum non tantum ad dissolvenda peccata, sed etiam ad obtinenda media facillime impetrandae veniae, quot et quantacunque essent peccata. Unde comparatis inter se infinita Majestate Dei, vilitate hominis, multitudine hominum peccantium, gravitate et frequentia peccatorum, poenarum maximarum et aeternarum reatu, mediorum neglectu beneficiorum collatorum contemptu: infinitam necesse est esse misericordiam Dei, quando toties veniam perfectam, et cum accessione novae gratiae largitur, quotiescunque peccator unicum actum perfectae contritionis elicit, vel praemissa confessione absolutionem accipit, idque non tantum septies, nec tantum septuagies septies (Matth. 18, 22), sed semper, etiam per totum tempus vitae, ita ut multis dicere possit Deus (Ps. 94, 10): *Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi: Semper hi errant*

corde. Unde etiamsi Deus saepe etiam demonstraverit mundo justitiam suam (quam vindicativam vocant Scholastici): tamen recte ait S. Jacobus in Epistola sua canonica (2. 13): *Superexaltat autem misericordia judicium;* et David (Ps. 102. 8): *Miserator et misericors Dominus, longanimis, et multum misericors.* — Ex his ergo ita concludendum est: Si Deus tam facilis est ad miserendum, non ego propterea tanto facilior esse debeo ad illum offendendum: nam praesumptio de misericordia Dei est blasphemia quasi in Spiritum sanctum: *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti* (Marc. 3. 29): sed potius debeo esse facilis ad sperandum et procurandam veniam, et ad diligendum multum, quia mihi donatum est multum (Luc. 7, 47).

Punctum III. Quia Deus tam misericors est erga te miserum hominem, tu debes vicissim esse misericors erga proximum, et ejusdem miseriam, sive corporalem, sive spiritualem sublevare: sibi enim Deus hanc misericordiam factam, vel non factam esse reputat (Matth. 25, 40): *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis;* — et (v. 45): *Quamdiu non fecistis uni de minimis his, nec mihi fecistis.* — *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (Matth. 5, 7). Similiter debes facilis esse ad remittendam offensam. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater coelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* (Matth. 6, 14). *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam* (Jacob. 2, 13). Nequit enim sine misericordia erga proximum stare caritas proximi, et sine caritate proximi nequit consistere caritas Dei, quae infinitae ejus bonitati, per tot effectus potentiae, scientiae, sapientiae, providentiae et misericordiae hactenus demonstratae, debetur. Ideo S. Joannes (I. 3, 17) scribit: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clausit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Et (ib. 3, 20) idem Apostolus scribit: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum*

oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?

Meditatio CCIX.

(Feria V. — In solemnitate SS. Corporis Christi.)

SS. Eucharistia est Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi.

Matth. 26, 26 sqq. etc.

Punctum I. Quia Christus instituens Sacramentum Eucharistiae (Matth. 26, 26) expresse Apostolis suis dixit: *Accipite et comedite: Hoc est enim Corpus meum;* — et (v. 28): *Hic est enim Sanguis meus, etc.:* certum est Eucharistiam esse Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, ac proinde merito illum (Matth. 28, 20) de se dixisse: *Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Hinc autem patet, quantus huic Sacramento cultus debeatur. Num quid enim non majori veneratione dignum est sacrosanctum hoc mysterium, quam ejusdem figura, per quam illud in vetere lege adumbrabatur? Atqui tunc temporis summus cultus Arcae foederis est exhibitus; siquidem rex David jussit coram illa victimas et sacrificia offerri, adhiberi etiam carmina, et varia instrumenta musica, ipseque totis viribus ante illam, velut ante Dominum, saltavit (2. Reg. 6, 14); atque cum eam ob causam ab uxore rideretur, dixit (ib. v. 21 sq.): *Ante Dominum, — et ludam, et vilior fiam, plusquam factus sum, et ero humilis in oculis meis.* Salomon autem paternae pietatis exemplum secutus, magnificentissimum templum ipsi Arcae, ex omni parte auro vestitae, extrui curavit (2. Reg. 8, 1 sqq., 3. Reg. 6, 9 sqq.), cujus tabernaculum *Sancta Sanctorum* (Hebr. 19, 3) appellabatur, quo nonnisi semel in anno sacerdotibus summis, sacra

ibidem peracturis, ingredi licebat, ut testatur Paulus (Hebr. 9, 7). Quanto igitur sublimior cultus competit Sacramento Corporis et Sanguinis Christi, quod per antonomasiam *Venerabile* appellari solet? In Arca enim, ut iterum videre est apud S. Paulum (Hebr. 9, 4): *Tantum erat urna aurea habens manna, et virga Aaron, quae fronduerat, et tabulae Testamenti.* In Sacramento Ecclesiae autem continetur *Panis vivus, qui de coelo descendit* (Joan. 6, 51); ipse supremus pastor et Pontifex, cujus florens Aaronis virga symbolum erat; ipse denique legislator Deus, homo factus. Quodsi ergo Oza propter attactum Arcae minus reverentem mox poenas dare debuit (ut 2. Reg. 6, 7 dicitur): *Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta arcam Dei:* quomodo non times tibi, cum Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi minus digne et reverenter sumis, vel tangis? Cur non potius imitaris Obededom, de quo, quia dignum habitaculum Arcae praestitit (ib. v. 11) dicitur: *Benedixit Dominus Obededom et omnem domum ejus?*

Punctum II. Considera, quam gloriosum sit Christo, et nobis proficuum, quod Sacramentum Eucharistiae non tantum, cum illud sumimus (ut aliqui haeretici volunt), sed semper et constanter Corpus et Sanguinem Christi contineat. Quia enim nato Christo in urbe Bethlehem, id est, in *domo panis,* non erat locus in diversorio, ideo Pater coelestis ita eum honorari voluit, ut ubique nunc sint innumerae domus panis, in quibus Christus perpetuo habitet, et velut in divino throno residens a fidelibus adoretur. Fidelibus vero ejus continua praesentia, et liber ad illum accessus, summum praestat in rebus adversis solatium, in dubiis consilium, in arduis auxilium, in periculis praesidium. Multa itaque frequentia, fiducia, devotione accedas, et adores Christum in Venerabili Sacramento, te diu noctuque praestolantem, et paratum ad dandas aures petitionibus tuis.

Punctum III. Considera, quam justus sit honor, Christo Eucharistico, hac die (i. e. in festo SS. Corporis Christi) per totum christianum orbem exhibitus, tum scilicet

ubique solemni pompa sub hoc Sacramento per omnes urbes et oppida circumfertur. Sic nempe Pater coelestis disposuit, et Filius, qui lugubri nuper pompa in urbem Jerosolymam ex monte Oliveti ignominiose cum facibus, gladiis et fustibus deductus, ad diversos judices raptatus, ad montem Calvariae cum crucis onere eductus fuerat, ubique nunc triumphali apparatu circumductus a principibus, sacerdotibus, magistratibus, civibus, militibus, etc. honoraretur; sicut prius ab omni sorte hominum ludibriis et blasphemiis affectus est. Hujus multiplicis triumphi figura fuit illa circumductio Mardochaei per urbem in veste et diademate regio, cum acclamatione: *Sic honorabitur, quemcunque voluerit rex honorare* (Esth. 6, 9). Figura etiam fuit solemnis deportatio Arcae ex domo Obededom in civitatem David, id est, Sion, quae est pars Jerusalem (2. Reg. 6, 15): *Et David, et omnis domus Israël ducebant arcam testamenti Domini in jubilo et in clangore buccinae.* Gratulare itaque Christo omnem illum honorem, qui festo die Corporis illius gloriosi sub Sacramento latentis, illi ubivis terrarum a quibusvis hominibus externo cultu ac plausu publico, tum etiam interna animi veneratione exhibetur. Acclama illi: *Hosanna filio David! Benedictus, qui venit in nomine Domini* (Matth. 21, 9). Prosterne te ante illum in via per veram contritionem, ut merearis audire: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus* (ib. v. 5). Propone ipsi infirmitates tuas, ut qui olim teste Luca (Act. 10, 38): *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo,* — etiam tibi benefaciat, benedicat, teque sanet oppressum tentationibus diaboli, dum in solemni processione domum mentis tuae pertransit. Si enim tanta fuit vis et potestas in Petro (Act. 5, 15 sq.): *Ut in plateas infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quenquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis, — qui curabantur omnes:* quid non efficient Species illae sacramentales, quae gloriosum Corpus Christi pertranseuntis obtegentes, umbrae salutiferae munere erga animas nostras funguntur?

Meditatio CCX.

(Feria VI. infra Oct. SS. Corp. Chr.)

SS. Eucharistia est sacrificium maximum omnium sacrificiorum.

Punctum I. Considera, *quis* in sacrificio Eucharistiae sit praecipuus offerens sacerdos, et *quid* offerat. Quod attinet ad primum: principalis offerens, ut patet ex forma consecrationis in persona Christi ab aliis sacerdotibus prolata, est ipse Filius Dei, ab aeterno Patre ad hoc electus; hic enim (Matth. 3, 17) de illo clara voce testatus est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* De eo, et excellentia ac dignitate illius ita loquitur S. Paulus (Hebr. 5, 5 sq.): *Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Ps. 2, 7). *Quemadmodum et in alio loco* (Ps. 109, 4): *dicit: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (i. e. secundum ritum, per Melchisedech praefiguratum); nam Melchisedech, ut inquit idem S. Paulus (Hebr. 7, 2 sq.): *Primum quidem interpretatur rex justitiae; deinde autem rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens.* Quod dicitur, non quia his caruit, sed ut idem Paulus (v. 6) explicat, quia ejus generatio (quae alias pro sacerdotio levitico (2. Esdr. 7, 64) postulabatur) — non annumeratur, sed sine his omnibus solum sacerdotium illius memoratur (Gen. 14, 18 sqq.): ut hoc silentio praefiguret Sacerdotem Christum, qui secundum divinitatem est sine matre, secundum humanitatem est sine patre. Et ob eandem rationem de illo Melchisedech inquit ulterius S. Paulus (Hebr. 7, 3): *Assimilatur autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum;* — scilicet in suo prototypo, nempe Christo, cui (Ps. 109, 4) dictum est: *Juravit Dominus et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum.* Ex quibus verbis ulterius declarat S. Paulus (v. 24—27) digni-

tatem sacerdotalem Christi dicens: *Hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium; unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus; qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostiam offerre, deinde pro populi.* Quia itaque Christus rex est justitiae, rex pacis, Filius Dei, sacerdos ac Pontifex a coelesti Patre electus ac in aeternum confirmatus cum jurejurando, sanctus, innocens, etc.: patet, quam gratum et acceptum sit Deo Patri Eucharistiae sacrificium. Quod quia (ut secundo considerandum est) quoad rem oblatam, idem est cum ipso principali offerente, estque rursum ipse Filius Dei secundum naturam illius divinam et humanam; Christus enim sacerdos est, ipse et hostia; ideo ejus excellentiam per comparationem cum antiquis sacrificiis recte colligit S. Paulus (Hebr. 9, 13 sq.) inquiens: *Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, mundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?* Ex dignitate offerentis principalis, et rei oblatae per sacrificium Eucharistiae, collige nunc, quanta animi puritate, vitae sanctitate, timore et reverentia sacerdotes subordinati, imo omnes fideles simul cum Christo Eucharistiae sacrificium offerre eique assistere, et quanti hoc ipsum suum munus aestimare debeant.

Punctum II. Considera *modum ac circumstantias* offerendi praedictum Sacrificium. Modus enim separata consecratione Corporis et separata consecratione Sanguinis illud offerendi, vi verborum est symbolica repraesentatio sacrificii cruenti, in quo Sanguis a Corpore separatus est; ad quod significandum etiam vestes sacerdotales, omnes ceremoniae referuntur. Tempus offerendi hoc sacrificium non tantum est quotidianum, sed pro diversa mundi plaga est continuum. Locus non tantum est in una urbe, sed in

toto orbe, ubi erecta sunt templa. — Quantus inde in Deum honor, quantus in homines singulos, et in totam Ecclesiam retundat fructus, dum Sacrificium infiniti valoris toties, et tam constanter a tot sacerdotibus, tamquam ministris, per Christum effertur? Si enim sola Abrahami et Isaaci testificatio, qua ille ad proprium filium immolandum, hic ad victimae vicem subeundam se paratum esse profitebatur (quando Deus Gen. 22, 12 dixit: *Nunc cognovi, quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me),* — si inquam, haec sola testificatio permovit Deum, ut mox (v. 18) ipsi diceret: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae:* quid non efficiet tam multiplex, tam manifesta. et Patri coelesti gloriosa testificatio illius obedientiae, qua proprius Filius fuit obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis? (Philipp. 2, 8.) Hinc ergo Deo summum, multiplicem et continuum gratulare honorem, et simul summam per hoc sacrificium concipe fiduciam obtinendi maxima bona. Immola te etiam per quotidianam et continuam mortificationem Deo in sacrificium, atque sic ea, quae Filius Dei pro te passus est, grata memoria recole.

Punctum III. Considera, finem hujus sacrificii esse quintuplicem. Primus est, ut sit sacrificium *latreuticum,* et ut Deus digno sacrificio honoretur: hoc autem est dignum et proportionatum ipsius infinitae majestati, quia Sacerdos et Hostia est aequalis dignitatis divinae. Hinc istud sacrificium in Ecclesia est unicum, et a sacrificio cruento in cruce quoad rem oblatam non distinctum, servitque ad omnes fines hic enumerandos, nec unquam alio permutabitur, sed Christus manet Sacerdos in aeternum. E contrario in veteri Lege quasi ad levandum fastidium varia erat sacrificia. et tamen haec omnia tandem displicuerunt. Ideo S. Paulus (Hebr. 10, 8 sqq.) Christum, qui est Sacerdos et Hostia, inducens loquentem ait: *Hostias, et oblationes, et holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quae secundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam* (Ps. 39, 7 sq.). *Aufert primum, ut sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu*

Christi semel. — Secundus finis est, ut sit sacrificium *propitiatorium et satisfactorium* pro peccatis vivorum et mortuorum, et infinita sua dignitate reparet honorem divinum, tot ac tantis peccatis hominum gravissime laesum. — Tertius, ut sit *eucharisticum*, seu tale, per quod gratiae agantur pro tot et tantis beneficiis a Deo toti generi humano, et unicuique in particulari collatis. — Quartus, ut sit *impetratorium* novorum beneficiorum ac gratiarum. — Quintus, ut sit *holocaustum* et oblatio integra ex purissimo amore Dei et nostri, quo *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis* (Ephes. 5, 2). Ad hos quinque fines vide, qua frequentia, fiducia, religione, ac devotione, etc. hoc sacrificio usus fueris, ac deinceps uti debeas.

Meditatio CCXI.

(Sabbato infra Oct. Corp. Chr.)

SS. Eucharistia est novum et aeternum testamentum.

Matth. 26, 28; Marc. 14, 24; Luc. 22, 20; 1. Cor. 11, 25; Hebr. 9, 15 sqq.

Punctum I. Cum ex Evangelistis (et ex S. Paulo 1. Cor. 11, 25 dicente in persona Christi: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine)*, de fide constet, SS. Eucharistiam esse Christi testamentum, mox ante mortem illius conditum: ideo considera, quis et quomodo testetur. Testator est Filius unigenitus æterni Patris, adeoque Patris infinite locupletis ex asse haeres, qui etiam (Matth. 11, 27) dixit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Qui praeterea non solum plenum consensum, sed etiam mandatum testandi a Patre accepit. Ipse enim dixit (Joan. 14, 31): *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* — Modus testandi erat accipere calicem vini in sacras et venerabiles

manus, et istud convertere in suum Sanguinem, dicendo: *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (Missale). Ut vero hoc testamentum in ordine ad relinquendam haereditatem mox suum valorem, et ad eam actu adeundam completum jus sortiretur, — *(Ubi enim testamentum est*, inquit S. Paulus Hebr. 9, 16, — *mors necesse est, intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin non valet, dum vivit, qui testatus est)*, — Sanguinis sui promissa fusione, illud mox altero die implevit; quam proinde nunc Sacramentum Eucharistiae, velut signum symbolicum et authenticum testamentum, testatur. Recte ergo de caritate nostri testatoris S. Joannes (13, 1) dixit: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Alii enim testatores non moriuntur in gratiam suorum haeredum, sed, quia morientur et bona sua necessario deserere debebunt, ideo faciunt testamentum. At noster testator moritur in gratiam haeredum, et quia vult, ut haeredes possint adire haereditatem. — Quis unquam testator testamentum suum proprio sanguine scripsit, eique fidem sanguine suo fecit? Noster testator in Eucharistia omnem suum sanguinem nobis reliquit, ut ejus pro nobis jam effusi exhibitione ac sumptione jus ad relictam nobis haereditatem praetendere possemus. Quantum amoris, quantum gratitudinis debes tam impense amanti testatori? Quantum etiam fiduciae ac spei ad obtinendam haereditatem ex hoc testamento concipere debes, cum sit factum a testatore sapientissimo et liberrimo ad testandum, firmatum sit proprio Sanguine, depositum ad manus supremi judicis, aeterni scilicet Patris, nunquam sit amplius revocandum, nunquam irritandum, sed perpetuo in valore suo perstiturum?

Punctum II. Considera, quid Filius Dei testetur, et quae bona nobis relinquat in novo suo testamento. Non enim tantum terram promissionis, lacte et melle manantem, et terrena bona nobis reliquit, sicut Judaeis in veteri et nunc revocato testamento: sed adoptionem filiorum Dei, remissionem peccatorum, in hac vita omnia bona gratiae, in altera etiam bona gloriae, ut simus *haeredes Dei*, et

cohaeredes Christi (Rom. 8, 17), quemadmodum ipse declaravit (Luc. 22, 29): *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Haec bona haereditaria tam ampla sunt, ut multitudine haeredum non tantum non minuantur portiones, sed per communicationem meritorum, bonorum exemplorum, mutuorum auxiliorum potius augeantur. Si ergo testator tam fuit liberalis erga nos, quam nos debemus esse liberales erga nostrum testatorem? Sicut enim ingratissimus haeres esset hominis praedivitis, amplissimam haereditatem filio ex asse relinquentis, si is parceret sumptibus in demortui testatoris funus faciendis, et nec lapidem sepulchralem in illius memoriam poni curaret, nec eleemosynas in pauperes divideret, nec stipendia pro Missae sacrificiis in subsidium testatoris animae, forsan piacularibus flammis addictae legendis, erogaret: sic Christo testatori ingratissimus esset, qui in cultu et obsequio ipsi praestando, et in signis gratitudinis eidem exhibendis parcus et illiberalis esset.

Punctum III. Considera, quomodo beneficio praedicti testamenti bona nobis relicta consequi et haereditatem adire possimus: scilicet si Patri coelesti nos legitimos esse haeredes probaverimus. Ille enim hujus testamenti executor a Filio rogatus est (Joan. 17, 24): *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Huic ergo per vitae innocentiam et puritatem palam facere debemus, nos veros et legitimos relictorum a Christo bonorum esse haeredes. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat* (1. Cor. 11, 28). Ipsum etiam testamentum debemus acceptare devota sumptione; hoc enim per se, et ex verbis Christi patet (Joan. 16, 15): *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Denique debemus nos offerre ad solvenda pia legata, quale est illud (Joan. 13, 34): *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*

Meditatio CCXII.

(Dominica II. p. Pent. — Dominica infra Oct. Corp. Chr.)

SS. Eucharistia est coena magna.

1. Cor. 11, 20; Luc. 14, 16; Esth. 1, 3.

Punctum I. Cum SS. Eucharistiae sacramentum praefiguratum fuerit in coena legali, ideo S. Paulus (1. Cor. 11, 20) *Dominicam coenam* appellavit. Idem est sensus totius Ecclesiae, quae in Dominica infra hanc (SS. Corporis Christi) Octavam Evangelium de *coena magna* (Luc. 14, 16) praelegit ad designandam coenam Eucharisticam, et in Missarum solemnibus verba illa Davidica (Ps. 140, 2) adhibet: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum,* — (quod quidem secundum aliquos Patres de Missae sacrificio intelligendum). Considera ergo divinum hoc convivium, quod ad lucernam luminis fidei sumitur, recte coenam dici: 1⁰ Quia institutum et necessarium est ad reficiendas vires, diurnis laboribus et functionibus fractas. Unde ad hanc coenam ipse Christus nos invitat (Matth. 11, 28): *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* — 2⁰ Qui animo ab aliis jam sepositis curis et negotiis libero (ut vespere esse solet) sumendum est. — 3⁰ Quia quieti spirituali per familiarem cum Christo conversationem post sumptam SS. Eucharistiam indulgendum est, et animus collectus per externorum sensuum soporem ac continentiam reliquo tempore servandus. — 4⁰ Quia haec coena trahit secum et disponit nos ad aeternam quietem, de qua (Apoc. 14, 13): *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.* Tuum est, ut has rationes omnes ad intentum finem perducas.

Punctum II. Considera, quod recte etiam *magna* coena vocetur: impletur enim per illam vaticinium (Is. 25, 6): *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae.*

Sive itaque spectetur praestantia cibi et potus, sive multitudo convivarum, et in iis interna animae requisita dignitas, sive ingens pretium passionis et meritorum desumptum ex bonis Filii Dei, imo pretium totius divinitatis cum humanitate Verbi expensum: profecto *coena magna* est. Ideo etiam ab interpretibus comparatur cum *grandi convivio* (Esth. 1, 3), quod Rex Assuerus principibus et populo suo paraverat. Unde necesse est, ut in te etiam omnia sint magna, quae ad digne accumbendum huic convivio requiruntur; ut praeparatio sit magna, puritas, fides, spes, caritas, humilitas, devotio, reverentia, fames spiritualis, gratitudo, etc., sint magnae.

Punctum III. Uti princeps in sui despectum cedere putaret, si ex sumptuoso convivio, aulicis suis exhibito, recedentes, veluti non fuissent satiati, mox ad cauponas diverterent: ita aestima, non decenter te acturum cum Deo, si postquam huic coenae magnae accubuisti, quasi non satiatus, gustum tui appetitus rebus terrenis aut vanis, et, si cum divino hoc cibo comparentur, vilissimis ac foetentibus oblectes, atque sic reipsa imiteris ingratos Judaeos, qui cum quotidie coelesti Manna pascerentur, aliorum vilissimorum ac foetentium ciborum desiderio dixerunt (Num. 11, 5): *Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis. In mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique, et cepae et allia.* Cave igitur, ne de te dicatur: *Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis; qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora* (Thren. 4, 5).

Meditatio CCXIII.

(Feria II. infra Oct. Corp. Chr.)

SS. Eucharistia est Manna, sive panis Angelorum.

Joan. 6, 31 sqq.; 6, 49 sqq.; Sap. 16, 20 sq.

Punctum I. Considera, cum Manna Israëliticum fuerit figura SS. Eucharistiae (ut patet ex consensu totius Eccle-

siae, et ex verbis Christi apud Joan. 6, 31 sqq.), atque adeo ipsum nomen coelestis Mannae, escae et panis Angelorum (ut appellatur Sap. 16, 20; Ps. 77, 25; 104, 40; cfr. Exod. 16, 14 sqq.) praecipue conveniat SS. Eucharistiae, sicut nomen Agni paschalis principalius ipsi convenit, quam aguo legali: quomodo Manna per similitudinem quandam repraesentaverit panem eucharisticum, qui vere est panis Angelorum, non quia pariter Angelorum opera ex materia coelesti sive nubium est efformatus, sed quia eo, non quidem sub speciebus eucharisticis, sed velamine isto remoto, per visionem beatificam Angeli fruuntur. Sicut enim Sapiens de Manna Israëlitico Deum alloquens inquit (Sap. 16, 20 sq.): *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de coelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua* (scilicet Manna, quo sustentasti Hebraeos) *dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat, et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur*[1]*):* ita idem de SS. Eucharistia longe majori jure dici potest. Est enim panis Angelorum: tum quia hi dicto modo vescuntur illo, tum quia homines illos vescentes, Angeli vitae puritate et sanctitate esse debent. Est panis de coelo paratus sine labore, magis quam Manna. Sic enim ipse Christus Judaeis dixit (Joan. 6, 32 sq.): *Non Moyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum. Panis enim Dei est, qui de coelo descendit, et dat vitam mundo.* — Habet etiam *omne delectamentum in se,* et omnem *saporis suavitatem,* quam viri saltem pii ac justi experiuntur. Nam et ab Israëlitico illo Manna nonnisi his solis dulcedinem, et suavitatem saporis praestitam esse S. Augustinus (l. 2. Retract. c. 19), Abulensis et alii colligunt ex libro Numerorum (11, 4), ubi populus nauseans manna, et alios cibos appetens, videtur eorum delectamentum et suavitatem in Manna non reperisse, sicut pii et

---

[1]) Non quidem, quasi substantia ipsa in id, quod quisque volebat, esset conversa, ut aliqui putabant: sed per imitationem saporis cujuscunque cibi desiderati.

justi, qui non murmurabant. Hi itaque in nostro Manna similiter et longe magis reperiunt omne delectamentum saporisque suavitatem; substantiam etenim suam (tum quoad divinitatem, quam quoad humanitatem), et dulcedinem illis ostendit (invitante regio Psalte Ps. 33, 9: *Gustate, et videte, quam suavis est Dominus),* — deserviens uniuscujusque voluntati: sive in divinitate se quis vellet convertere ad degustandam omnipotentiam, quae panem et vinum in Christi Corpus et Sanguinem convertit; sive ad degustandam sapientiam et providentiam, quae modum excogitavit; sive ad bonitatem, misericordiam, benignitatem, caritatem, quae dedit totum Christum in cibum et potum. ad salutem animae, omni homini etiam vilissimo, quotiescunque voluerit, et digne susceperit; sive in humanitate se quis vellet convertere ad percipiendam suavitatem obedientiae, — obediente scilicet Deo voci hominis (Jos. 10, 14), atque de coelo in aram descendente, quam primum verba consecrationis a qualicunque sacerdote fuerint prolata; sive ad percipiendam suavitatem humilitatis, caritatis, mansuetudinis, et quarumcunque aliarum virtutum, quas ipse Christus sub SS. Eucharistia hominibus communicata in seipso degustandas exhibet, et quarum imitandarum saporem ex se diffundit. Ideo Christus ipse promisit (Apoc. 2, 17; cfr. Hebr. 9, 4): *Vincenti dabo Manna absconditum.* Jam his in terris habebis praegustum gaudiorum coelestium.

Punctum II. Considera, in quo Manna Eucharisticum excedat figuram suam, scilicet ipsum antiquum Manna Israëliticum. In eo scilicet, quod nostrum tum quoad substantiam, tum quoad gustum saporis et suavitatis, non externos duntaxat sensus (quod Israëliticum Manna fecerat), sed ipsam animam recreantis, tum quoad efficaciam ac salubritatem, longe veteri sit nobilius ac praestantius. Has novi illius Mannae qualitates, et prae altero praerogativas Christus ipse commemorat (Joan. 6, 49—52. 64): *Patres vestri manducaverunt Manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens, ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro*

mundi vita. — *Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Considera haec verba et cum S. Petro profitere: *Domine, verba vitae aeternae habes* (ib. v. 69).

Punctum III. Considera, sicut Manna Israëlitarum et Christianorum in aliquibus est simile, in aliquibus dissimile, sic oportere, ut in aliquibus imitemur Israëlitas, in aliquibus non imitemur. Sicut enim ipsi colligentes Manna, exiverunt extra castra (nam quia haec, prout in viis, quae multorum pedibus tritae sunt, contingere solet, lutosa erant, extra castra in agro et planitie deserti mundissimum Manna colligendum erat, ut patet ex libro Exodi c. 16. v. 13. 25. et 27.): ita nos digne suscepturi SS. Eucharistiam, exire debemus a nobis ipsis; quod indicat S. Paulus (Hebr. 13, 13): *Jesus, ut sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus ergo ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* — Similiter imitari debemus Israëlitarum frequentiam in colligendo Manna. Non tamen imitemur illorum fastidium et nauseam de Manna, quadraginta annis ad ipsos de coelo misso. Sive enim illa nausea provenerit ex eo, quod non omnes illam varietatem saporis perceperint (quam liber Sapientiae c. 16. 20. verbis alioquin universalibus affirmat), sive provenerit ex eo, quod sua exilitate et ipsius etiam coloris tenuitate oculis tandem viluerit, non obstante gustus delectamento (ut colligitur ex Numer. 11, 6, ubi murmurantes dixerunt: *Anima nostra arida est, nihil respiciunt oculi nostri, nisi Man):* nos utramque causam tollamus, peccata scilicet, et depravationem gustus per amorem rerum temporalium, ac sensibus blandientium; haec enim impediunt, quominus sentiamus delectamenti varietatem; deinde ariditatem animae corrigamus, non respiciendo ad solas species externas per oculos, sed ad cibi praestantiam per fidem.

Meditatio CCXIV.

(Feria III. infra Oct. Corp. Chr.)

SS. Eucharistia est sacrum viaticum.

Joan. 6, 56 etc.

Punctum I. Ecclesia, quae in hymno, composito a S. Thoma Aquinate, et Missae festi Corporis Christi inserto, canit: *Ecce panis Angelorum,* — mox addit: *Factus cibus viatorum.* Ipse Christus quoque (Joan. 6, 56) inquit: *Caro mea vere est cibus.* Praefiguratur etiam (3. Reg. 19, 7 sq.), ubi Eliae, in itinere obdormiscenti, Angelus ad caput illius subcinericium panem et vas aquae deponens, dixit: *Surge, comede, grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb.* Considera ergo, quam grandis et longa tibi restet via, ante finem vitae nunquam emetienda; quam proinde necessarium tibi sit pro magno itinere magnum viaticum. Tale magnum viaticum est Sacramentum Eucharistiae; cum enim ipse Christus de ea dicat (Joan. 6, 32): *Pater meus dat vobis panem de coelo verum,* — ipse vere est cibus animae; — et si panis subcinericius positus ab Angelo, suffecit pro itinere quadraginta dierum: panis iste positus et datus a Patre coelesti, et infinitis modis praestantior, sufficit pro quantocunque itinere toti mundo. Ideo in ejus commendationem mox addidit Christus (ib. v. 33): *Panis enim Dei est, qui de coelo descendit, et dat vitam mundo,* — et (v. 59): *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* — Cognita efficacia et necessitate hujus panis, perpende etiam bonitatem et misericordiam Dei, in typo et figura tibi ostensam ab ipso Christo (Marc. 8, 2), ubi misertus triduanae se sequentium inediae, et periculum intuitus, quo multos in via succumbere necesse erat: septem panes miraculose multiplicavit, et quatuor hominum millia iisdem refecit; atque sic demonstravit, quanta misericordia

nobis, per totam vitam nostram constanter ipsum sequentibus, de viatico providerit, animo repetens ista sua verba: *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent; et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via.* Itaque hoc viatico vires ad tam grande iter necessarias continuo refice, magna cum sollicitudine metuens, et magna cum fiducia cavens, ne deficias in via.

Punctum II. Cum via nostra non solum grandis, sed etiam acclivis, ardua, laboriosa, et multis ventorum, imbrium, tempestatum adversitatibus ac molestiis obnoxia sit, quae vires ut plurimum frangunt et animum affligunt: considera, quam necessarium et efficax sit nostrum viaticum; quod utrumque ex virtute symbolica significandi per species panis et vini colligitur, et exprimitur verbis regii vatis (Ps. 103, 15): *Vinum laetificet cor hominis, — et panis cor hominis confirmet.* Si enim haec vis est vini et panis materialis ac sensibilis, quanta erit vis panis, — *qui de coelo descendit, et dat vitam mundo* (Joan. 6), et qui carnem Filii Dei sub speciebus panis in cibum exhibet? Quam fortem iste reddet ad itineris difficultates superandas? Quam infractum ad molestias et adversitates tolerandas? Multo sane verius de hoc, quam de materiali illo dici potest, quod *panis cor hominis confirmet.* — Jam vero, cum ob praesentiam Sanguinis Christi etiam vim potus habeat, ut Christus ipse testatur: *Sanguis meus vere est potus* (Joan. 6, 56): ideo, sive sumatur sub speciebus vini, prout sumitur a solis sacerdotibus in sacrificio Missae; sive sub speciebus panis tantum accipiatur, — recte tamen de illo dici potest, quod veram cordis laetitiam, tam inter adversa hujus vitae, quam post hanc vitam inter coelestia gaudia pariat, atque adeo — *vinum laetificet cor hominis,* — si tamen cum debita dispositione et animi praeparatione tam salubris cibi et potus sumptio fiat.

Punctum III. Quia via nostra ad montem Domini non solum grandis, laboriosa, et adversitatibus septa est, verum etiam obsessa hostibus, quibuscum fessus et fractus congredi nec audet, nec potest: vires ad congrediendum et vincendum, viaticum nostrum restauret necesse est; ad

quod spiritu prophetico respexisse Davidem, plurimi SS. Patres et interpretes testantur, cum dixit (Ps. 22, 5): *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Et versu praecedenti satis indicavit, quantum ex eo, quod Christum intra se quis suscipiat, ad pugnandum animi accedat, dicens: *Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* (ib. v. 4). Illuminatur enim intellectus, ut fraudes et insidias inimici clare conspiciat, sicut ad pugnam illuminati sunt oculi Jonathae, deficientes spiritus vitales modico melle reficientis (1. Reg. 14, 27): *Extenditque summitatem virgae, quam habebat in manu, et intinxit in favum mellis, et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi ejus.* Hanc vim SS. Eucharistiae inesse experti sunt duo euntes in Emmaus, quibuscum licet medius iret Christus, oculi tamen eorum tenebantur, ne eum agnoscerent (Luc. 24, 16); cum vero: *Accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis, aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum,* (ib. v. 30), h. e. postquam SS. Eucharistia refecti fuerunt, (ut aliqui interpretes censent). Voluntas etiam roboratur, ne tentationi succumbat. Ideoque inquit Christus (Joan. 6, 58): *Qui manducat me et ipse vivet propter me.* Hanc intellectus illuminationem, hoc novum voluntatis robur ut et tu promerearis, intellectum submitte ad obsequium frequentium actuum fidei (2. Cor. 10, 5), voluntatem ad obsequium maximae devotionis erga SS. Eucharistiae Sacramentum. Et quia pugna vehementissima esse solet in mortis agone, pro quo proinde etiam in Ecclesia obligatio datur suscipiendi sacrum viaticum, (quae quidem praxis ex constitutione Apostolica, imo ex ipsius Christi praecepto introducta esse videtur): quotidie roga Deum, ne sine eo te decedere sinat ex hac vita; et si pastor animarum es, diligentissime provideas, ne aegroti sine s. Viatico moriantur.

Meditatio CCXV.

(Feria IV. infra Oct. Corp. Chr.)

SS. Eucharistia est pignus futurae gloriae.

Joan. 6, 41 etc.

Punctum I. Considera, quam recte ab Ecclesia in officio canonico de festo Corporis Christi, et in Antiphona pro distributione S. Communionis recitanda, necnon a Concilio Tridentino (sess. 13, c. 2) SS. Eucharistia dicatur: *Pignus futurae gloriae.* Quando enim Corpus et Sanguinem Christi digne sumumus, certi quodammodo efficimur de obtinenda aeterna beatitudine. Ipse enim Christus promisit (Joan. 6, 51): *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum;* — et ad haec referuntur verba, quae dicuntur in Apocalypsi (2, 7): *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei;* SS. Eucharistia nimirum est fructus arboris vitae, quo nutrimur ad immortalitatem paradisi coelestis. Sicut enim dans pignus, ne illud fiat caducum, debitum solvit: sic Christus, ne quasi jacturam dati sui Corporis et Sanguinis patiatur, et ipsum fine suo careat, propter quem datum est, confert specialia auxilia ad promerendam vitam aeternam. Et sicut pignora aliqua sunt fructifera, ex quorum perceptis fructibus creditor potest sibi accipere solutionem debiti: sic istud sacrum pignus ipsam gloriam aeternam velut fructum suum parit; quia digne sumenti Eucharistiam applicantur merita Passionis Christi, et confertur gratia Spiritus sancti cum donis et fructibus ejus, qui non solum, ut S. Paulus (Eph. 1, 14) inquit: *Est pignus haereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis,* — sed etiam est largitor ejusdem. Ne ergo tantam certitudinem obtinendae aeternae gloriae vel per neglectum auxiliorum, vel ad eam augendam et stabiliendam a Deo tibi conferuntur, vel per amissionem gratiae collatae, tanquam pignoris dilapidator perde.

Punctum II. Cum ad aeternam gloriam certe obtinendam necessaria sit remissio peccatorum, non solum gravium, quae ad dignum SS. Eucharistiae sumptionem per se loquendo supponitur, sed etiam levium, quae ad gravia disponunt, et promerentur, ut Deus in illa labi nos permittat: nullum certitudinis hujus consequendae securius medium habemus, quam SS. Eucharistiam. Haec enim digne suscepta dubios nos esse de remissis peccatis non sinit; utpote qua nobis communicatur ille ipse Sanguis, qui pro nobis fusus est in remissionem peccatorum, et quo aspersi et abluti protegimur ab Angelo percussore (Exod. 12, 22 sqq.; Hebr. 11, 28). Nimirum idipsum Christus in sacro hoc convivio praestat, quod amici facere solent, qui in conviviis offensas leves sibi mutuo remittere consueverunt. Hanc veniae et perfecte reconciliationis, ac promissae aeternae gloriae certitudinem indicare voluit Christus (Joan. 6, 37), ubi agens de hoc SS. Mysterio inquit: *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum, qui venit vd me, non ejiciam foras.* Accede itaque ad divinum hoc convivium cum profunda humilitate, pete delictorum tuorum veniam, prosterne te ad Christi pedes cum Magdalena, defle peccata tua, et ob id ipsum, quod ea toties tibi dimissa sint, tanto majori amore exardesce.

Punctum III. Quia vero Concilium Tridentinum (sess. 13, can. 5), supponens quidem praecedentem veritatem, etiam ait: *Si quis dixerit, vel praecipuum fructum SS. Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit,* — ideo vel maxime pensandus est ille fructus et effectus, qui ad futuram gloriam obtinendam pignoris more ab ipso Christo promittitur (Joan. 6, 57): *Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Quibus verbis non solum habitualis gratiae infusio denotatur, sed etiam specialia auxilia perseverantiae in gratia insinuantur: sicut communi mensa et conviviorum frequentia, etiam inter homines amicitia firmior et indissolubilior reddi solet. Quia vero ad hanc perseverantiam maxime necessaria est fortitudo ac robur in superando diabolo, et in

victoria sui ipsius, ideo ubi in latina versione Bibliorum Manna, Eucharistiam praefigurans, vocatur *Panis Angelorum*, in hebraeo textu dicitur *Panis fortium*, seu robustorum. Firmum itaque, quoties ad SS. Eucharistiam sumendam accedis, tecum statue propositum, et illud nunc, ac deinceps intuitu tam multarum SS. Communionum serio renova, quo tecum ipse decernas, Deum, toties divinae suae mensae te adhibere dignantem, nunquam offendere, neque ab amicitia illius recedere; utere eum in finem oratione illa, qua Sacerdotes in Missae sacrificio perseverantiam in gratia ante s. Communionem petunt: *Libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis; et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas: qui cum Deo Patre, etc.*

Meditatio CCXVI.

(Feria V. Oct. SS. Corp. Chr.)[1]

SS. Eucharistia est Memoriale mirabilium Dei.

Joan. 3, 16; Luc. 22, 19 etc.

Punctum I. Ex verbis regii Vatis (Ps. 100, 4): *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, et miserator Dominus: Escam dedit timentibus se,* — perpende, quomodo Deus, dando hanc escam Eucharisticam, memoriam fecerit mirabilium suorum. Deus in tribus praecipue toti mundo se mirabilem reddidit: nempe *omnipotentia,* quae maxime in creatione mundi, ex nihilo producti, re-

---

[1]) Cum festum SS. Corporis Chr. inter diem 21. Maji et 24. Junii celebretur, adeoque dies Octav. Corp. Chr. in diem 28. Maji — 1. Julii incidere possit, ad numerum meditationum usque ad diem 1. Junii (cfr. tom. II.), si opus sit, complendum, meditationes ex prioribus (tom. I.) nondum peractis, vel posterioribus (tom. 2.) instituendis assumantur.

luxit; — *sapientia*, quam potissimum per incarnationem demonstravit, dum invenit modum, quo condigne quidem sibi satisfieret pro peccatis hominum, summa tamen hominibus misericordia et clementia exhiberetur, tanta videlicet, ut non solum a morte aeterna liberarentur, sed vitam haberent, et quidem *abundantius* haberent (Joan. 10, 10); — *bonitate*, qua potentiam et sapientiam suam est executus, praesertim, quando: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* (Joan. 3, 16). Haec tria autem omnia vel maxime resplendent ex SS. Eucharistia: 1. *Omnipotentia:* dum sub modicis speciebus Panis et vini per miraculosam utriusque substantiae destructionem, et accidentium sine subjecto conservationem, ipsius mundi Conditoris integrum et sensibile Corpus, modo insensibili et modo existendi substantiis spiritualibus proprio, ponit in quavis minima particula Hostiae consecratae; et post specierum corruptionem, materiam panis et vini, prius destructam, ex suo nihilo reproducit. — 2. *Sapientia:* dum modum excogitavit, quo Christus pro meritis suis gloriosus existeret in coelo, et simul nobiscum esset in terra *usque ad consumationem saeculi* (Matth. 28, 20); quo nos, quemadmodum Filii Dei Carne et Sanguine sumus regenerati ad vitam aeternam, ita eodem veluti cibo et potu sustentaremur et nutriremur in vitam aeternam; quo denique divina et humana natura Christi intima rursum conjunctione se hominibus per veram internam praesentiam, et spiritualem animae nutritionem communicaret. Denique 3. *bonitas* Dei ex Sacramento Eucharistiae clarissime enitescit: dum non tantum semel, sed quotiescunque illam sumimus, impletur illud testimonium S. Joannis (3, 16): *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, etc.*, et illud S. Pauli (Rom. 8, 32): *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* — Horum itaque trium mirabilium Dei memoria excitari te oportet ad summam spem, et ad fiduciam in Deum, qua minime dubites, quod possit, sciat, et velit intuitu hujus Memorialis, si ferventi

susceptione ei offeratur, cum illo omnia tibi donare; — praeterea studiose attendere et assiduis precibus gratiam petere debes, ut Deum in debitum obsequium trium praedictorum Mirabilium neque ex infirmitate humana, neque ex imprudentia intellectus, neque ex malitia voluntatis offendas.

Punctum II. Considera deinde, quomodo ipse Christus memoriam *Mirabilium suorum* fecerit, quae scilicet usque ad tempus mortis maxime in illo fuerint mirabilia. Erant et in illo praecipue tria: 1) *Summa paupertas*, quae statim coepit a nativitate, ubi pannis involutus, reclinatus est in praesepio (Luc. 2, 7. 12. 16). — 2) *Summa humilitas*, dum exaniniens semetipsum sub forma servi, in similitudinem hominum facti (Philipp. 2, 7 sq.), divinitatis majestatem, et thesauros sapientiae ac sanctitatis infinitae abscondit. — 3) *Summa mansuetudo*, dum inter homines conversatus, perversos illorum mores, odia et persecutiones patientissime tulit, ut merito (Matth. 11, 29) praecipua haec esse diceret, quae omnes imitarentur: *Quia mitis sum et humilis corde.* Unde cum Christus in fine suae vitae urbem regia quidem potestate ingrederetur, S. Mat thaeus (21, 5 allegans Prophetam Zachar. 9, 9) in illius mansuetudinem, humilitatem et paupertatem oculos conjici jussit, utpote qui super vilem et conductitiam asinam, vilissimis discipulorum vestimentis stratam, non super generosum, et regio sumptu ornatum equum sedens, Jerosolymam ingressus erat: *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis;* addit Propheta Zacharias (l. c.): *Et ipse pauper.* Harum trium mirabilium virtutum Christus in SS. Eucharistia memoriam fecit, dum exiguis panis et vini speciebus, veluti pauperibus pannis involutus, in hominum ore et stomacho, veluti in loco, ubi bruta et bestiis similes animae stabulantur, reclinari se patitur, et frequenter etiam in foetentes ac spallidas hominum vilissimorum caulas, pro viatico morientium deferri non dedignatur; — dum etiam majestatem divinitatis et splendorem gloriosi sui Corporis sub ignobili ac inglorio velamine specierum eucharisticarum abscondit; et venit mansuetus non solum *ad*, sed *in* homines, qui pravis suis

moribus et peccatis graviter eum odisse ac persequi per totum anteactae vitae tempus non destiterunt. Haec non tantum ut mirabilia mirare, sed ut memoranda exempla imitare.

Punctum III. Considera mirabilia, quorum praecipuam memoriam Christus in SS. Eucharistia facere intenderat, esse ea, quae contigerunt tempore Passionis suae. Unde ad recolendam hanc suam Passionem in ipsa SS. Eucharistiae consecratione dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur* (Luc. 22, 19), — *quod pro vobis tradetur* (1. Cor. 11, 24). In consecratione Sanguinis addidit: *Qui pro vobis fundetur* (Luc. 22, 20). Ob eandem effusi Sanguinis memoriam celebrandam Sacramentum Eucharistiae sic instituit, ut diversa forma, et sub diversis ac separatis speciebus vi verborum poneretur Corpus, et vi aliorum verborum poneretur Sanguis; et insuper adjecit expressum praeceptum: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22, 19). Sit igitur tibi — *Memoriale super altare in odorem suavissimum Domino* (Lev. 2. 2). Tria autem per hanc commemorationem maxime mirabilia sunt in memoriam revocanda. Mirabilis *obedientia* usque ad mortem, mortem autem crucis, in qua non solum Patri coelesti, sed etiam impio Pilato et ministris ejus obedivit; — Mirabilis *patientia* omnium eorum cruciatuum, contumeliarum, blasphemiarum, quae ab impiis Sacerdotibus, perversis Judaeis, et infidelibus gentilibus fuerunt illatae; — Mirabilis *caritas*, ex qua animam suam posuit non tantum pro amicis, sed et pro inimicis suis (Rom. 5, 8) Singulorum horum mirabilium memoriam facit in Sacramento Eucharistiae, dum voci sacerdotis consecrantis ad nutum obedit, et ab eo tractari se sinit; dum plurima perfert ab impiis Sacerdotibus, malis et indigne communicantibus catholicis, et ab infidelibus haereticis, ac aliis a fide alienis; — dum sustinet etiam innumeras blasphemias Sanctissimi Sacramenti, magicos etiam abusus, et judaicam crudelitatem; denique dum ponit animam suam, quotiescunque eam cum Corpore et Sanguine suo tradit sumendam. Hinc agnosce, quantam vicissim debeas Christo eucharistico, praeter continuam memoriam horum mirabilium in Superioribus et per

illos tibi loquenti, obedientiam; quantam erga omnes patientiam et caritatem; quantam et quam firmam erga ipsam Eucharistiae Sacramentum fidem, devotionem, ac reverentiam: ut pro tantis contumeliis, blasphemiis et infidelium sceleribus illi satisfacias, et factam injuriam aliquomodo compenses.

A. M. D. G.

Index Meditationum.

Pars I.

Meditationes a Dominica prima Adventus usque ad Nativitatem Christi.

Meditatio:		Pag.
I.	*(Dominica I. Adventus.)* Verbi divini aeternitas, et dignitas infinita	1
II.	*(Feria 2. infra hebd. I. Adv.)* De creatione hominis in statu innocentiae	5
III.	*(Feria 3. infra hebd. I. Adv)* De invidia et odio diaboli erga hominem in statu innocentiae	8
IV.	*(Feria 4. infra hebd. I. Adv.)* Jactura innocentiae ex invidia diaboli	11
V.	*(Feria 5. infra hebd. I. Adv.)* Damna ex peccato Adami	13
VI.	*(Feria 6. infra hebd. I. Adv.)* Necessitas incarnationis divinae ad redimendum hominem	16
VII.	*(Sabbato ante Dom. II. Adv.)* Eligitur Mater tanto Filio digna	19
VIII.	*(Dominica II. Adv)* Promittitur et revelatur adventus Christi	20
IX.	*(Feria 2. infra hebd. II. Adv.)* De fine incarnationis	23
X.	*(Feria 3. infra hebd. II. Adv.)* Alius finis incarnationis	25
XI.	*(Feria 4. infra hebd. II. Adv.)* Alius finis incarnationis	27
XII.	*(Feria 5. infra hebd. II. Adv.)* Causae incarnationis: Misericordia, amor et justitia Dei .	29
XIII.	*(Feria 6. infra hebd. II. Adv.)* Unde B. Virgo merita fuerit, ut esset Mater Dei	31

Meditatio:		Pag.
XIV.	*(Sabbato ante Dom. III. Adv.)* De reliquis Christi progenitoribus	33
XV.	*(Dominica III. Adv.)* Incarnatio ab Angelo nuntiatur. (1.)	37
XVI.	*(Feria 2. infra Dom. III. Adv.)* Incarnatio ab Angelo nuntiatur. (2.) Continuatio .	39
XVII.	*(Feria 3. infra Dom III. Adv.)* Responsum B. Virginis, et finis colloquii . . .	40
XVIII.	*(Feria 4. infra Dom. III. Adv.)* De Verbi divini incarnatione	42
XIX.	*(Feria 5. infra Dom. III. Adv.)* De itinere B. Virginis ad Elisabeth	43
XX.	*(Feria 6. infra Dom. III. Adv.)* De gestis in visitatione Elisabeth	45
XXI.	*(Sabbato ante Dom. IV. Adv.)* De cantico Magnificat. (1.)	47
XXII.	*(Dominica IV. Adv.)* De eodem cantico. (2.)	48
XXIII.	*(Feria 2. infra hebd. IV. Adv.)* De eodem Cantico. (3.)	51
XXIV.	*(Feria 3. infra hebd. IV. Adv.)* De humilitate B. Virginis	52
XXV.	*(Feria 4. infra hebd. IV. Adv.)* S. Joseph dubitat de Sponsa gravida dimittenda .	53
XXVI.	*(Feria 5. infra hebd. IV. Adv.)* S. Joseph de mysterio incarnationis edocetur . . .	55
XXVII.	*(Feria 6. infra hebd. IV. Adv.)* De tempore Nativitatis	57
XXVIII.	*(Sabbato. — Vigilia Nativ. Dom.)* De profectione a Nazareth	58

Pars II.

A Nativitate Christi usque ad Dominicam in Septuagesima.

XXIX.	*(Dominica. — In festo Nativ. Dom.)* De Nativitate Domini	61
XXX.	*(Feria 2. — Die 1. post fest. Nat. D.)* De infante in praesepio reclinato	63
XXXI.	*(Feria 3. — Die 2. post fest. Nat. D.)* De Angelorum in Christi Natali exultatione .	64
XXXII.	*(Feria 4. — Die 3. post fest. Nat. D.)* De cantico angelico: Gloria in Altissimis, etc.	66
XXXIII.	*(Feria 5. — Die 4. post fest. Nat. D.)* De advocatione pastorum	67
XXXIV.	*(Feria 6. — Die 5. post fest. Nat. D.)* De reversione pastorum	68

Meditatio:		Pag.
XXXV.	*(Sabbato. — Die 6. post fest. Nat. D.)* De tempore Circumcisionis	70
XXXVI.	*(1. Jan. — In festo Circumcisionis D. N.)* De Circumcisione	71
XXXVII.	*(2. Jan. — In festo Circumcisionis D. N.)* De circumcisione interna	73
XXXVIII.	*(3. Jan. — In festo Circumcisionis D. N.)* De nominis Jesu impositione	74
XXXIX.	*(4. Jan. — In festo Circumcisionis D. N.)* De Nominis Jesu significatione, et exaltatione	75
XL.	*(5. Jan. — Vigilia Epiphan. D.)* De Nominis Jesu invocatione et veneratione . . .	77
XLI.	*(6. Jan. — Epiphania Domini.)* De stella Magos evocante	79
XLII.	*(7. Jan. — Die 2. infra Oct. Epiph.)* De stellae vicissitudine	80
XLIII.	*(8. Jan. — Die 3. infra Oct. Epiph.)* De turbatione Herodis, et totius Jerosolymae	82
XLIV.	*(9. Jan. — Die 4. infra Oct. Epiph.)* De insidiis Herodis	83
XLV.	*(10. Jan. — Die 5. infra Oct. Epiph.)* De colloquio Herodis cum Magis . .	84
XLVI.	*(11. Jan. — Die 6. infra Oct. Epiph.)* De adventu Magorum in Bethlehem . . .	85
XLVII.	*(12. Jan. — Die 7. infra Oct. Epiph.)* De adoratione Magorum, et oblatione munerum .	86
XLVIII.	*(13. Jan. — Octav. Epiph. — Dom. II. post Epiph.)* De reditu Magorum	88
XLIX.	*(14. Jan.)* De Purificatione B. Virginis .	89
L.	*(15. Jan.)* De Praesentatione Christi in templo. (1.)	90
LI.	*(16. Jan.)* De Praesentatione Christi in templo. (2.) Continuatio . . .	91
LII.	*(17. Jan.)* De Praesentatione Christi in templo. (3.) Continuatio	93
LIII.	*(18. Jan.)* De Praesentatione Christi in templo. (4.) Continuatio	94
LIV.	*(19. Jan.)* De Praesentatione Christi in templo. (5.) Continuatio	95
LV.	*(20. Jan.)* De Praesentatione Christi in templo. (6.) Continuatio	97
LVI.	*(21. Jan. — Dominica III. post Epiph.)* De fuga Christi in Aegyptum. (1.)	98
LVII.	*(22. Jan.)* De fuga Christi. (2.) Continuatio	99
LVIII.	*(23. Jan.)* De commoratione Christi in Aegypto	100
LIX.	*(24. Jan.)* De caede Innocentium . .	102
LX.	*(25. Jan.)* De reditu Christi ex Aegypto	103

Meditatio:		Pag.
LXI.	*(26. Jan.)* De ascensu Christi duodennis in Jerusalem	105
LXII.	*(27. Jan.)* De Christo a Parentibus quaesito et invento	106
LXIII.	*(28. Jan. — Dominica IV. p. Epiph.)* De Christo in templo docente	107
LXIV.	*(29. Jan.)* De verbis B. Virginis ad Filium	109
LXV.	*(30. Jan.)* De verbis Filii ad Matrem .	110
LXVI.	*(31. Jan.)* De profectu Christi in sapientia, aetate et gratia	111
LXVII.	*(1. Febr.)* De obedientia Christi erga Parentes	113
LXVIII.	*(2. Febr.)* Christus fabrilem artem exercet	114
LXIX.	*(3. Febr.)* Conceptio S. Joannis Baptistae	116
LXX.	*(4. Febr. — Dominica V. p. Epiph.)* Nativitas S. Joannis Baptistae	118
LXXI.	*(5. Febr.)* Vita S. Joannis Baptistae in eremo	121
LXXII.	*(6. Febr.)* Humilitas S. Joannis Baptistae	122
LXXIII.	*(7. Febr.)* Responsio S. Joannis ad interrogationes propositas	123
LXXIV.	*(8. Febr.)* Praedicatio S. Joannis parantis Domino plebem perfectam. (1.) . . .	124
LXXV.	*(9. Febr.)* Praedicatio S. Joannis. (2.) Continuatio	126
LXXVI.	*(10. Febr.)* Pradicatio S. Joannis. (3.) Continuatio	128
LXXVII.	*(11. Febr. — Dominica VI. p. Epiph.)* Praedicatio S. Joannis. (4.) Continuatio .	130
LXXVIII.	*(12. Febr.)* De baptismo Christi . .	131
LXXIX.	*(13. Febr.)* De prodigiis in baptismo Christi factis	133
LXXX.	*(14. Febr.)* Christus in desertum secedit	134
LXXXI.	*(15. Febr.)* Christus tentatur a Diabolo. (1.)	135
LXXXII.	*(16. Febr.)* De tentatione Christi. (2.) Continuatio	136
LXXXIII.	*(17. Febr.)* De tentatione Christi. (3.) Continuatio	137
LXXXIV.	*(18. Febr.)* Christi ex deserto reditus, et Joannis de illo testimonium	139
LXXXV.	*(19. Febr.)* Prima discipulorum vocatio	141

Pars III.

Meditationes de Passione D. N. J. Chr., a Dominica Septuagesimae usque ad Pascha.

Meditatio:		Pag.
LXXXVI.	*(Dominica in Septuagesima.)* Quaenam in Passione Domini consideranda. (1.) .	144
LXXXVII.	*(Feria 2. post Dom. Septuages.)* Quaenam in Passione Domini consideranda. (2.) Continuatio	146
LXXXVIII.	*(Feria 3. post Dom. Septuages.)* De consiliis Judaeorum adversus Christum .	148
LXXXIX.	*(Feria 4. post Dom. Septuages.)* Christus venditur triginta argenteis. (1.) . .	151
XC.	*(Feria 5 post Dom. Septuages.)* Christus venditur. (2.) Continuatio	153
XCI.	*(Feria 6. post Dom. Septuages.)* Discipuli Hierosolymam mittuntur ad parandum Pascha, quo et Christus ascendit . .	154
XCII.	*(Sabbato ante Dom. Sexages.)* Christus discipulis pedes lavat. (1.)	156
XCIII.	*(Dominica Sexagesimae.)* Christus discipulis pedes lavat. (2.) Continuatio . . .	158
XCIV.	*(Feria 2. post Dom. Sexages.)* Christus discipulis pedes lavat. (3.) Continuatio	159
XCV.	*(Feria 3. post Dom. Sexages.)* Institutio Sacramenti SS. Eucharistiae . . .	160
XCVI.	*(Feria 4. post Dom. Sexages.)* Christus manifestat suum proditorem . . .	162
XCVII.	*(Feria 5. post Dom. Sexages.)* Discipulorum ambitio, et Petri praefidentia a Christo reprehenditur	164
XCVIII.	*(Feria 6. post Dom. Sexages.)* Christus hortatur ad fidem et spem	166
XCIX.	*(Sabbato ante Dom. Quinquages.)* Christus hortatur ad orationem	169
C.	*(Dominica in Quinquagesima.)* Christus hortatur discipulos ad perseverantiam . .	170
CI.	*(Feria 2. post Dom. Quinquages.)* Christus hortatur discipulos ad mutuam caritatem et patientiam	173
CII.	*(Feria 3. post Dom. Quinquages.)* Christus hortatur ad mortem fortiter pro se ferendam	174
CIII.	*(Feria 4. post Dom. Quinquages. — Dies Cinerum.)* Christus consolatur discipulos, ob obitum suum tristes. (1.) . . .	176

Meditatio:		Pag.
CIV.	*(Feria 5 post Dom. Quinquages.)* Christus suos discipulos consolatur. (2.) Continuatio . .	178
CV.	*(Feria 6. post Dom. Quinquages.)* Christus in coena orat Patrem	179
CVI.	*(Sabbato ante Dom. I. Quadrages.)* Christus in ultima coena valedicit discipulis . . .	181
CVII.	*(Dominica I in Quadragesima.)* Christus exit e coenaculo ad hortum	183
CVIII.	*(Feria 2. post Dom. I. Quadrages.)* Christus tristatur usque ad mortem	184
CIX.	*(Feria 3. post Dom. I. Quadrages.)* Christus orat in horto. (1.)	186
CX.	*(Feria 4. post Dom. I. Quadrages.)* Christi oratio in horto. (2.) Continuatio	187
CXI.	*(Feria 5. post Dom. I. Quadrages.)* De agonia Christi	189
CXII.	*(Feria 6. post Dom. I. Quadrages.)* De adventu Judae cum cohorte et de traditione Christi	190
CXIII.	*(Sabbato ante Dom. II. Quadrages.)* De Christi ad cohortem sermone	192
CXIV.	*(Dominica II. in Quadragesima.)* Christus inhibet Petrum percutientem, et sanat Malchum	194
CXV.	*(Feria 2. post Dom. II. Quadrages.)* Christus comprehenditur	195
CXVI.	*(Feria 3. post Dom. II. Quadrages.)* Christus deducitur ad Annam	197
CXVII.	*(Feria 4. post Dom. II. Quadrages.)* Christus alapa percussus ad Caipham transmittitur .	198
CXVIII.	*(Feria 5. post Dom. II. Quadrages.)* De triplici Petri negatione	200
CXIX.	*(Feria 6. post Dom. II. Quadrages.)* De poenitentia Petri	202
CXX.	*(Sabbato ante Dom. III. Quadrages.)* Christus falso accusatur apud Caipham	203
CXXI.	*(Dominica III. in Quadragesima.)* Christus condemnatur apud Caipham ad mortem .	204
CXXII.	*(Feria 2. post Dom. III. Quadrages.)* Christus illusus in domo Caiphae. (1.)	206
CXXIII.	*(Feria 3. post Dom. III. Quadrages.)* Christus illusus in domo Caiphae. (2.) Continuatio .	208
CXXIV.	*(Feria 4. post Dom. III. Quadrages.)* De matutino concilio Judaeorum, et Christi traductione ad Pilatum	210
CXXV.	*(Feria 5. post Dom. III. Quadrages.)* Judae desperatio	211
CXXVI.	*(Feria 6. post Dom. III. Quadrages.)* Christus accusatur apud Pilatum	213

Meditatio:		Pag.
CXXVII.	*(Sabbato ante Dom. IV. Quadrages.)* Christus mittitur ad Herodem et illuditur .	215
CXXVIII.	*(Dominica IV. in Quadragesima.)* Christus comparatur et postponitur Barabbae .	217
CXXIX.	*(Feria 2. post Dom. IV. Quadrages.)* Christus flagellatur	219
CXXX.	*(Feria 3. post Dom. IV. Quadrages.)* Christus spinis coronatur	221
CXXXI.	*(Feria 4. post Dom. IV. Quadrages.)* Christus a Pilato ad populum educitur . .	223
CXXXII.	*(Feria 5. post Dom. IV. Quadrages.)* Christus injuste condemnatur	225
CXXXIII.	*(Feria 6. post Dom. IV. Quadrages.)* Acta post condemnationem	227
CXXXIV.	*(Sabbato ante Dom. Pass.)* De bajulatione crucis	228
CXXXV.	*(Dominica Passionis.)* De gestis in monte Calvariae ante crucifixionem . .	230
CXXXVI.	*(Feria 2. infra hebd. Pass.)* De crucifixione Christi	233
CXXXVII.	*(Feria 3. infra hebd. Pass.)* Titulus Crucis	235
CXXXVIII.	*(Feria 4. infra hebd. Pass.)* Divisio vestium Christi, et blasphemiae in eundem . .	237
CXXXIX.	*(Feria 5. infra hebd. Pass.)* De primo Christi verbo in cruce	239
CXL.	*(Feria 6. infra hebd. Pass.)* De secundo verbo Christi in cruce	241
CXLI.	*(Sabbato infra hebd. Pass.)* De tertio verbo Christi in cruce	243
CXLII.	*(Dominica in Palmis.)* De quarto verbo Christi in cruce	245
CXLIII.	*(Feria 2 major. hebd.)* De quinto verbo Christi in cruce	247
CXLIV.	*(Feria 3. major. hebd.)* De sexto verbo Christi in cruce	249
CXLV.	*(Feria 4. major. hebd.)* De septimo verbo Christi in cruce	250
CXLVI.	*(Feria 5. in coena Domini.)* De morte Christi in cruce	251
CXLVII.	*(Feria 6. in Parasceve.)* Signa, et gesta in morte Christi	253
CXLVIII.	*(Sabbato sancto.)* De sepultura Christi .	255

Pars IV.

Meditationes pro tempore paschali usque ad festum SS. Trinitatis.

Meditatio:		Pag.
CXLIX.	*(Dominica Paschae. — Fest. Resurrectionis D. N. J. Chr.)* Anima Christi ad limbum descendit, et corpori rursus unitur .	259
CL.	*(Feria 2. Paschae.)* Christus redivivus apparet sanctissimae Matri suae . .	262
CLI.	*(Feria 3. Paschae.)* De primo piarum mulierum ad sepulchrum adventu. (1.) .	265
CLII.	*(Feria 4. infra Oct. Paschae.)* De piis mulieribus ad sepulchrum adventantibus. (2.) Continuatio	267
CLIII.	*(Feria 5. infra Oct. Paschae.)* De piis mulieribus ad sepulchrum adventantibus. (3.) Continuatio	269
CLIV.	*(Feria 6. infra Oct. Paschae.)* Petrus et Joannes ad sepulchrum accurrunt . .	271
CLV.	*(Sabbato in Albis.)* Christus apparet Mariae Magdalenae. (1.)	274
CLVI.	*(Dominica in Albis.)* Christus apparet Mariae Magdalenae. (2.) Continuatio .	276
CLVII.	*(Feria 2. post Dom. in Albis.)* Christus apparet mulieribus in via	279
CLVIII.	*(Feria 3. post Dom. in Albis.)* Christus apparet Petro	281
CLIX.	*(Feria 4. post Dom. in Albis.)* Christus apparet duobis discipulis euntibus in Emmaus. (1.)	284
CLX.	*(Feria 5. post Dom. in Albis.)* Christus apparet duobis discipulis euntibus in Emmaus. (2.) Continuatio	286
CLXI.	*(Feria 6. post Dom. in Albis.)* Christus apparet duobis discipulis euntibus in Emmaus. (3.) Continuatio	289
CLXII.	*(Sabbato ante Dom. II. post Pascha.)* Christus apparet discipulis, absente Thoma. (1.)	291
CLXIII.	*(Dominica II. p. Pascha.)* Christus apparet discipulis, absente Thoma. (2.) Contin. .	293
CLXIV.	*(Feria 2. post Dom. II. p. Pascha.)* Christus apparet discipulis, absente Thoma. (3.) Contin.	295
CLXV.	*(Feria 3. post Dom. II. p. Pascha.)* Christus apparet discipulis, absente Thoma. (4.) Contin.	297

Meditatio:		Pag.
CLXVI.	*(Feria 4. post Dom. II. p. Pascha.)* Incredulitas Thomae	299
CLXVII.	*(Feria 5. post Dom. II. p. Pascha.)* Christus apparet discipulis, praesente Thoma	300
CLXVIII.	*(Feria 6. post Dom. II. p. Pascha.)* Christus apparet septem discipulis piscantibus. (1.)	302
CLXIX.	*(Sabbato ante Dom. III. p. Pascha.)* Christus apparet discipulis piscantibus. (2.) Contin.	304
CLXX.	*(Dominica III. p. Pascha.)* Christus apparet discipulis piscantibus. (3.) Contin.	305
CLXXI.	*(Feria 2. post Dom. III. p. Pascha.)* Christus apparet discipulis piscantibus. (4.) Contin.	307
CLXXII.	*(Feria 3. post Dom. III. p. Pascha.)* De vicaria Christi potestate S. Petro collata. (1.)	309
CLXXIII.	*(Feria 4. post Dom. III. p. Pascha.)* De vicaria Christi potestate S. Petro collata. (2.) Contin.	310
CLXXIV.	*(Feria 5. post Dom. III. p. Pascha.)* De reliquo Christi cum S. Petro colloquio. (1.)	312
CLXXV.	*(Feria 6. post Dom. III. p. Pascha.)* De Christi cum S. Petro colloquio. (2.) Contin.	313
CLXXVI.	*(Sabbato ante Dom. IV. p. Pascha.)* Christus apparet discipulis in monte Galilaeae	315
CLXXVII.	*(Dominica IV. p. Pascha.)* De verbis Christi ad discipulos in monte Galilaeae. (1.)	316
CLXXVIII.	*(Feria 2. post Dom. IV. p. Pascha.)* De verbis Christi ad discipulos in monte Galilaeae. (2.) Continuatio	318
CLXXIX.	*(Feria 3. post Dom. IV. p. Pascha.)* De verbis Christi ad discipulos in monte Galilaeae. (3.) Continuatio	320
CLXXX.	*(Feria 4. post Dom. IV. p. Pascha.)* De verbis Christi ad discipulos in monte Galilaeae. (4.) Continuatio	322
CLXXXI.	*(Feria 5. post Dom. IV. p. Pascha.)* De verbis Christi ad discipulos in monte Galilaeae. (5.) Continuatio	324
CLXXXII.	*(Feria 6. post Dom. IV. p. Pascha.)* Christus redivivus quadraginta diebus conversatur in terra	325
CLXXXIII.	*(Sabbato ante Dom. V. p. Pascha.)* De ascensionis annuntiatione	328
CLXXXIV.	*(Dominica V. p. Pascha.)* Christus docet efficaciam orationis	330
CLXXXV.	*(Feria 2. post Dom. V. p. Pascha.)* Oratio Christi ad Patrem. (1.)	332
CLXXXVI.	*(Feria 3. post Dom. V. p. Pascha.)* Oratio Christi ad Patrem. (2.) Continuatio	334

Meditatio:		Pag.
CLXXXVII.	*(Feria 4. post Dom. V. p. Pascha. — Vigilia Ascensionis.)* De ultima apparitione Christi in die ascensionis	337
CLXXXVIII.	*(Feria 5. post Dom. V. p. Pascha. — In festo Ascensionis D. N.)* De ascensione Christi in coelum	339
CLXXXIX.	*(Feria 6. infra Oct. Ascens.)* De apparitione Angelorum post ascensionem Christi	341
CXC.	*(Sabbato infra Oct. Ascens.)* De Christi glorioso in coelum ingressu . . .	343
CXCI.	*(Dominica infra Oct. Ascens.)* Christus sedet ad dexteram Patris . . .	345
CXCII.	*(Feria 2. infra Oct. Ascens.)* Gaudium in coelo de adventu Christi . . .	347
CXCIII.	*(Feria 3. infra Oct. Ascens.)* Christus Patrem rogat, ut Spiritum sanctum mittat	349
CXCIV.	*(Feria 4. infra Oct. Ascens.)* De regressu discipulorum ex monte Oliveti in Jerusalem	351
CXCV.	*(Feria 5. — Octava Ascensionis.)* Apostoli orando se disponunt ad accipiendum Spiritum sanctum. (1.)	354
CXCVI.	*(Feria 6. post Octava Ascens.)* Apostoli orando se disponunt ad accipiendum Spiritum sanctum. (2.) Continuatio .	355
CXCVII.	*(Sabbato. — Vigilia Pentecostes.)* Apostoli orando se disponunt ad accipiendum Spiritum sanctum. (3.) Continuatio .	357
CXCVIII.	*(Dominica Pentecostes.)* De adventu Spiritus sancti die Pentecostes. (1.) . .	359
CXCIX.	*(Feria 2. Pentecostes.)* De adventu Spiritus sancti die Pentecostes. (2.) Continuatio	360
CC.	*(Feria 3. Pentecostes.)* De adventu Spiritus sancti die Pentecostes. (3.) Contin.	362
CCI.	*(Feria 4. infra Oct. Pent.)* De primis quatuor donis, quibus Spiritus veritatis illuminat	363
CCII.	*(Feria 5. infra Oct. Pent.)* De reliquis tribus donis, quibus Spiritus Paraclitus voluntatem perficit	365
CCIII.	*(Feria 6. infra Oct. Pent.)* De sex prioribus fructibus Spiritus sancti. (1.) .	367
CCIV.	*(Sabbato infra Oct. Pent.)* De sex posterioribus fructibus Spiritus sancti. (2.) Continuatio	369

Pars V.

Meditationes a festo SS. Trinitatis usque ad finem Octavae festi SS. Corporis Christi.

Meditatio:		Pag.
CCV.	*(Dominica I. post Pent. — In festo SS. Trinitatis)* De sanctissima Trinitate .	372
CCVI.	*(Feria 2. post fest. SS. Trin.)* De omnipotentia Dei Patris	374
CCVII.	*(Feria 3. post fest. SS. Trin.)* De Sapientia Filii	377
CCVIII.	*(Feria 4 post fest. SS Trin.)* De misericordia Spiritus Sancti	380
CCIX.	*(Feria 5. — In solemnitate SS. Corporis Christi.)* SS. Eucharistia est Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi .	383
CCX.	*(Feria 6. infra Octav. SS. Corporis Chr.)* SS. Eucharistia est sacrificium maximum omnium sacrificiorum . . .	386
CCXI.	*(Sabbato infra Oct. Corp. Chr.)* SS. Eucharistia est novum et aeternum testamentum	389
CCXII.	*(Dominica II. p. Pent. — Dominica infra Octav. Corp. Chr.)* SS. Eucharistia est coena magna	392
CCXIII.	*(Feria 2. infra Octav. SS. Corporis Chr.)* SS. Eucharistia est Manna, sive panis Angelorum	393
CCXIV.	*(Feria 3. infra Octav. SS. Corporis Chr.)* SS. Eucharistia est sacrum viaticum .	397
CCXV.	*(Feria 4. infra Octav. SS. Corporis Chr.)* SS. Eucharistia est pignus futurae gloriae	400
CCXVI.	*(Feria 5. — Oct. SS Corp. Chr.)* SS. Eucharistia est Memoriale mirabilium Dei .	402

Corrigenda et addenda.

Pag. 3. Punctum III. linea 11. lege: supremi.
„ 3. P. III. l. 19. lege: *unus*.
„ 6. P. II. l. 21. lege: (Ps. 61, 2).
„ 16. l. 12. lege: nunquam.
„ 24. P. III. l. 8. lege: ergo (loco: ego).
„ 35. l. 11. lege: Judex.
„ 35. l. 11. lege: Pontifex.
„ 51. l. 4. inf. lege: promissis ac votis.
„ 57. P. I. l. 8. lege: ipsam.
„ 58. l. 15. lege: suo tempore.
„ 58. P. I. l. 2. inf. lege: emetienda.
„ 61. P. I. l. 1. lege: cum essent.
„ 62. l. 5. lege: quaereret.
„ 64. P. II. l. 8. lege: sibi eventura.
„ 66. P. II. l. 6. lege: et voluit esse.
„ 68. P. III. l. 9. lege: cum Christo esto, et fidelis, et .
„ 73. P. I. l. 14. lege: *Eum, qui non noverat*, etc.
„ 73. P. III. l. 1. lege: Tertius actus.
„ 76. P. III. l. 3. inf. lege: odore.
„ 78. P. II. l. 10. lege: (3, 17).
„ 79. l. 7. inf. lege: obtestatur.
„ 80. P. III. l. 1. lege: obedientium.
„ 81. l. 7. lege: et nutus.
„ 81. P. II. l. 1. lege: ingredientibus.
„ 82. P. II. l. 10. lege: ea te (loco: ex te).
„ 84. P. III. l. 4. adde: Mich. 5, 2.
„ 84. P. III. l. 1. inf. lege: in hac via.
„ 86. P. III. l. 7. lege: pompam.
„ 89. P. I. l. 4. adde: Exod. 13, 2; Num. 8, 16.
„ 96. P. III. l. 2. inf. lege: Audi.
„ 97. P. II. l. 1. lege: *haec ipsa*.
„ 97. P. II. l. 5. lege: tamen.
„ 99. P. III. l. 4. inf. lege: tentationis, etc. positi.
„ 103. P. I. l. 2. lege: dicens.
„ 106. P. I. l. 3. lege: *notos*.
„ 115. l. 2. lege: (2, 5 sq.).

Pag. 117. linea 12. lege: Med. 15.
„ 123. Punctum II. l. 5. lege: ingenerare.
„ 124. l. 2. lege: de te innotescere.
„ 124. P. III. l. 6. lege: boni.
„ 128. l. 6 sq. lege: implendo.
„ 141. not. l. 1 sq. lege: post diem 24 . . . post diem sequentem 20.
„ 149. l. 19. lege: coangustabunt.
„ 153. l. 3. lege: occiderent.
„ 157. l. 3. lege: quo magis.
„ 163. l. 9. lege: efficias.
„ 164. l. 3. lege: Petri praefidentia.
„ 169. P. II. l. 6. lege: utpote potens.
„ 196. P. II. l. 6. lege: extinguere.
„ 207. l. 8. lege: conspuentium.
„ 217. l. 4. lege: Luc. 23, 14—25.
„ 217. P. I. l. 11. lege: Luc. 23, 14—19.
„ 229. l. 7. lege: constitutus esset.
„ 229. l. 7. inf. lege: sancte administrata.
„ 233. P. II. l. 10. adde post Isaiae: de urbe Jerusalem loquentis.
„ 254. P. II. l. 3. inf. lege: inclementia.
„ 259. l. 2. inf. lege: Ipsa etiam.
„ 293. l. 9. lege: cuivis coetui.
„ 298. P. III. l. 2. lege: *Spiritum sanctum.*
„ 304. P. II. l. 5. lege: escensione.
„ 316. l. 4. lege: illatos.

Druck der Verlagsanstalt vorm. G. J. Manz Regensburg.

246.723
I16 44438

ILLSUNG, S. J., JACOBUS

AUTHOR

Verba Vitae Aeternae, I.

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Fr. Seeliger	
	Sprague	
	McDermott	
	Fr. Malone	
	STORAGE - CBPL	

44438